8
2-c
1

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 G
25

I
18
D
8.-2.c.1

Digitized by Google

Oliva

FASCICULUS DISSERTATIONUM PHILOLOGICARUM.

Cura atque emendatione

CAROLI BERNIZII,

&

CORNELII VAN ARKEL.

Cum Indice rerum accuratiſſimo.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROTTERODAMI,

Apud ISAACUM VAN RUYNEN,

MDCCX.

LECTORI S.

Rituum profanorum pariter ac Eccleſiaſticorum notitiam penitiorem ad intellectum S. Scr. plane neceſſariam eſſe, apud eruditos in confeſſo eſt: & dudum jam obſervatum, innumeris in locis ceſpitaſſe, imò graviter erraſſe viros in illis hoſpites, quamvis ingenio, cæterarumque diſciplinarum cognitione alios longè ſuperarint.

Movit hoc procul dubio viros litterarum humaniorum amantes, ab aliquot annis, ut variorum opuſcula, Philologiam ſacram & hiſtorias ſpectantia, in faſciculos collecta luci donarent, ut ab omnibus facili negotio haberentur, quos fruſtra alioquin quæreres, aut inventos quovis pretio librariorum manibus vix extorqueres.

Succeſſus Faſciculorum & Faſcium orbi litterato jam communicatorum ſane non ſpernendus, & nobis calcar addidit, ſimile quid moliendi, exquiſitaſque in Philologia diſſertationes ac diſſertatiunculas, non ſemper aut ubivis obvias colligendi, ac typis mandandi.

Syntagma primum hic vides, Lector, in quo primarium locum occupant bina diſſertationes Sagit-

gittarii, viri, qui in Dei Sacrario conquiſitis undique Gentilium ſpoliis ditando, multum deſudavit. Continuo ſucceſſu (Deo dante) plura ſequentur, ſi faventia experturum ſit hoc opus judicia. Quod ſi videre contigerit, labori noſtro ſatisfactum cenſebimus. Sin minus, animam ſaltem, purioris litteraturæ ſtudium, quantum in nobis, promovendi, non defuiſſe, pro certo habeas, rogamus. Vale.

Q. D. B. V.

EXERCITATIONUM PHILOLOGICARUM

De

GENIIS

PRIMA,

continens

ΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑΝ,

Quam

benevolo Ampliſſimi Philoſophorum Ordinis conſenſu,

In illuſtri propter Salam Academia

Poſtridie Id. Decemb. anno CIƆ IƆC LIX.

Publico examini ſiſtet,

M. GEORGIUS Momma / Poet. L. Cæſar.

PRÆSES,

RESPONDENTE

HARTMANNO Schencken / Ruhla Thuringo.

Θεȣ̃ σὺν παλάμᾳ.

Exercitationis Philologicæ I.

De

GENIIS,

CAPUT PRIMUM.

Etymologia Genii *e Cenſorino*, *Iſidoro*, *Martiano Capella*. Genere *antiquitus dictum pro gignere*. Γένιος, Δαίμων, Δαιμόνιον. *Vocis* Dæmon *origo e Macrobio*, *Gyraldo*, *Platone*, *Martiano Capella*, *Servio*, *Auguſtino*, *Ludovico Vive*. *Genii Ethnicorum iidem*, *qui fidelium angeli*. *Quasnam voces Hebræas Græci Bibliorum Interpretes reddiderint per* δαιμόνια. *Inter illas* שדים, *ac unde deſcendat? R. Menaſſe notatus*. Δαιμόνιον μεσημβρινόν. *Chald.* מזיקין. *Dæmonia dicta* שעירים; *origo vocis & ſignificatio. Opinio Zabiorum de hircina Dæmonum forma: Diabolus cur in ea forma appareat? Dæmonia vocata* ציים-אלילים, Δαιμόνια *loco* τȣ̃ גר & ישון *poſitum*.

§. 1.

§. 1.

Ἄνευ προοιμίου, ſolennis Areopagi formula erat: Quam in præſenti noſtram facimus, dum in ea, quæ priſca Ethnicorum *turba*, *vana ſanctitudinis, privata rectæ rationis, inops* veræ *religionis, impos veritatis, ſcrupuloſiſſimo cultu tumida* de GENIIS finxit, nonnulla commentari inſtituimus. Unde vero ordiemur? ubi deſinemus? nam vere licet dicere, adeo hæc Græcis, Latinis aliisque *frequentata & celebrata ſunt, ut nemo ea commemorare adortus ſit, quin multo plura omiſerit, quem recenſuerit*. Quo tamen omnia commodo fiant ordine, diſpiciemus hac vice de NOMINIBUS; deinceps de reipſa, & quæ confinia huic ſunt alia, ſeorſim acturi. Δεῖ γὰρ πρῶτον, docente præclare iſtud ipſo veteri dicto, ἐξετάζειν τὰ ῥήματα.

Apulej. lib. de Deo Socrat.

id. ibid.

§. 2. Putat vero *Cenſorinus*, Genium nomen ſuum ſortitum eſſe *à genendo*, hujusque etymi triplicem affert rationem. *Hic*, ait, *ſive quod, ut genamur, curat, ſive quod una genitur nobiſcum, ſive quod nos vivos ſuſcipit* ac

de die natal. c. 3.

ac tuetur; *certe à genendo*, *GENIUS a gignendis rebus* nomen ei dedit. *Genium dicunt*, inquit, *quod quaſi vim habeat omnium rerum gignendarum*, *ſeu a gignendis liberis*. *Martianus Capella* ideo *Genium dictum* exiſtimat, *quoniam cum quis hominum genitus fuerit*, *mox eidem copulatur*. Notari hic poteſt, *genere* antiquos dixiſſe, quod poſteriores *gignere*, ut animadvertit inter alios etiam *Lambinus* & *Dempſterus*. *Lucretio* ſane iſtud verbi admodum familiare, ac aliquoties uſurpatum eſt. Ut lib. vers. 580. *l. 8. orig. c. 11.* *l. 2. de nupt. Mercurii & Philolog.* *ad Lucret. in paralip. ad l. 2. c. 14. A. R. Roſini.*

Quo pacto fiant, *& quavi cunque genantur.*

Et Lib. II vers. 1063.

------*geni debent nimirum & confieri res.*

Iterum Lib. III. vers. 799. conf. lib. IV. v. 155. 160.

Totum poſſe extra corpus durare genique.

Sed quid in re manifeſta plura? Liceat nunc e Latio in Græciam navigare, & quibus ea gens vocabulis Genios appellet, indagare.

§. 3. Ipſam Latinam vocem civitate ibi etiam donatam eſſe, ſuſpicari quis poſſet ex *Dione Coccejano*. Ubi enim inter prodigia refert, quod vultures in templo Genii P. R. & Con-

p. 47. cordiæ inſederitnt, ita ait: Γύπες τε ἐπί τε τοῦ νεὼ τοῦ ΓΕΝΙΟΥ τοῦ δήμου, καὶ ἐπὶ τῆς Ομονοίας παμπληθεῖς ἱδρύθησαν. Et rurſus, ubi ſimile ferme oſten-
p. 50. tum de bubone tradit: Βύας πρῶτον μὲν ἐς τὸν τῆς Ομονοίας ναὸν, ἔπειτα δὲ καὶ ἐπὶ τοὺς ἄλλους πάντας, ὡς εἰπεῖν τοὺς ἁγιωτάτους ἐπέπτατο. Καὶ τέλος, ἐπειδὴ πανταγόθεν ἀπηλαύνετο, ἐπί τε τοῦ ναοῦ τοῦ ΓΕΝΙΟΥ τοῦ δήμου ἱδρύθη, καὶ οὔτε ἑάλω, οὔτ' ἐξανέστη πλὴν ὀψέποτε. Communiter aliquin eam Græci exponunt per δαίμονα, & per diminutivum, δαιμόνιον, Quod ſuo ſcopo *Tertullianus* accommodans inquit: *Juramus, ſicut non*
Apologet, *per Genios Cæſarum, ita per ſalutem,*
c. 38. *quæ eſt auguſtior omnibus Geniis. Neſcitis Genios DÆMONAS dici, & inde diminutiva voce DÆMONIA?* Quid multa? Conſentiunt Scriptores; ὥσπερ ἐν κρατῆρι φιλοτησίῳ. Quare pergimus.

§. 4. De origine autem vocabuli δαίμονος non unam reperias ſententiam. *Macrobius* ſuam mentem hiſce
l. 1. Satur. aperit: *Dæmones dicti ſunt, aut quia*
c. 23. *ſunt* δαήμονες, *id eſt, ſcientes futuri: aut ut Poſſidonius ſcribit, in libris, quibus titulus eſt* περὶ ἡρώων καὶ δαιμόνων, *quia ex ætherea ſubſtantia parta atque diviſa*

qua-

qualitas illis eſt; *ſive* ἀπὸ τȣ̃ δειμένȣ, *id eſt* καιομένȣ, *ſive* ἀπὸ τȣ̃ δαιομένȣ, *id eſt*, μεριζομένȣ. *Euſebius*, ut refert *Gyraldus*, Dæmonas putat dici, παρὰ τὸ δαιμαίνω, quod *exterreo* & *pavefacio* ſignificat. *Steuchus*, referente eodem, exiſtimat vocabulum hoc in linguam Græcam ex Hebræa migraſſe, a Shadaim: prioreque ablata ſyllaba, *Daimones* fieri. Quod plane ridiculum eſt. Primam opinionem haud obſcure comprobare videtur *Plato*, ubi exponit, quos *Heſiodus* aureum genus hominum vocet, & poſt fata fieri Dæmones affirmet: nempe qui boni ſimulque prudentes ac ſapientes ſunt, atque ſe exiſtimare ſapientem, & Dæmonium eſſe omnem hominem, qui ſit bonus. Ita vero apud illum Socrates: Οἶμαι ἐγὼ λέγειν αὐτὸν (Heſiodum, cujus verba paulo ante adducta erant) τὸ χρυσȣ̃ν γένος ȣ̓κ ἐκ χρυσȣ̃ πεφυκὸς, ἀλλ᾽ ἀγαθόν τε καὶ καλόν. Et paucis interjectis quærit: οἱ δ᾽ ἀγαθοὶ ἄλλο τι ἢ φρόνιμοι; Reſpondet Her. Φρόνιμοι. Iterum Socrates: τȣ̃το τοίνυν παντὸς μᾶλλον λέγει, (ὡς ἐμοὶ δοκεῖ) τȣ̀ς δαίμονας, ὅτι φρόνιμοι καὶ δαήμονες ἦσαν, δαίμονας αὐτȣ̀ς ὠνόμασε. Καὶ ἔνγε τῇ ἀρχαίᾳ τῇ ἡμετέρᾳ φωνῇ αὐτὸ συμβαίνει τὸ

Hiſt. Deor. Syntagm. 15.

in Cratylo.

 ὄνομα.

ὄνομα. Λέγει οὖν καλῶς καὶ οὗτος καὶ ἄλλοι ποιηταὶ πολλοὶ ὅσοι λέγουσιν, ὡς ἐπειδάν τις ἀγαθὸς ὢν τελευτήσῃ μεγάλην μοῖραν καὶ τιμὴν ἔχει, καὶ γίνεται δαίμων, κατὰ τῆς φρονήσεως ἐπωνυμίαν. Ταύτῃ οὖν τίθεμαι καὶ ἐγώ, τὸν δαήμονα πάντ' ἄνδρα, ὃς ἂν ἀγαθὸς ᾖ, δαιμόνιον εἶναι, καὶ ζῶντα καὶ τελευτήσαντα, καὶ ὀρθῶς δαίμονα καλεῖσθαι. Eodem propendere videas *Martianum Capellam*, quando ſcribit: *Hos omnes* (ſc. Genios) *Græci Dæmonas dicunt* ἀπὸ τοῦ δαήμονας εἶναι. *Servius* quoque conſentit: *Corybantes Dæmones ſunt miniſtri matris Deûm. Dæmones quaſi* δαημονες, *qui totum ſciunt.* Nec abludit *Auguſtinus*, cum ait: Δαίμονες *dicuntur, quoniam vocabulum Græcum eſt, ob ſcientiam nominati.* Quare & *Ludovicus Vives*: Δαίμω *Græcis olim fuit* ἐπίσαμαι καὶ γινώσκω, *ſcio & novi. Inde* δαίμων, *quaſi* δαήμων, *ut inquit autor Etymologici magni.* πάντα ἐπιστάμενος καὶ γινώσκων. *Omnia ſciens & noſcens.* Poſt *Lactantii* l. 2. verba refert; quibus affirmat Dæmones Grammaticis dictos, Quaſi δαήμονας, i. e. peritos ac rerum ſcios. Quibus etiam *Chalcidium* in *Timæum Platonis* ſuffragari dicit.

l. 2. *de nupt. Merc. & Phil.*

Comm. ad l. 3. *Æn. v.* 111.

l. 9. *de civit. Dei. c.* 20.

comment. in h. l.

§. 5. Quo generali vocbulo Hebraice

braice vocari poſſit Genius, non ſatis conſtat; niſi quis, quoniam qui Ethnicis *Genii*, fidelibus dicuntur *angeli*, (quod vel ex *Auguſtino* manifeſtum, *l. 9. c. 19. de civ. Dei.* cum inquit; *Sed ne de verbis etiam nos certare videamur, quoniam nonnulli iſtorum, ut ita dixerim, Dæmonicolarum, in quibus & Labeo eſt, eosdem perhibent ab aliis ANGELOS dici, quos ipſi DÆMONES nuncupant; Jam mihi de bonis angelis aliquid video diſſerendum, quos iſti eſſe non negant, ſed eos BONOS DÆMONES vocare quam ANGELOS malunt.* Planiſſime *Philo*, quoque: *Quos alii Philoſophi GENIOS, Moſes ſolet vocare ANGELOS*) *lib. de Gigant. init.* conjecerit, de iis uſurpari vocem מלאכים poſſe. Quod equidem nos nec affirmamus, nec negamus; ab ipſis tamen Ethnicis Genium, etiam *Angelum* dictum eſſe, infra cap. 3. probatum dabimus.

§. 6. Nonnulla quidem Hebræorum in ſacro codice occurrunt vocabula, quæ Græci Bibliorum interpretes per δαιμόνια, ſed tamen, ut videtur, in pejori ſignificatu, niſi forte ultimum excipere velis, reddunt. Primum occurrit in *Lege repetita*, ubi dicitur: יזבחו לשדים לא אלה *Deuteron. XXXII. 17.*

 אלהים

Pſalm.CVI. 37. אלהים לא ידעום : Et apud *Regium Pſalmiſtam* : ויזבחו את-בניהם ואת בנותיהם לשדים *Tô* לשדים utrobique LXX. vertunt δαιμονίοις; *Vulgatus* & *alii* ſimiliter, *Dæmoniis*. Id deducit *R. Menaſſe* à שדה campus, ager, quia Dæmones plerumque agunt in locis deſertis. Sed eum ridet *Hoornbeekius*. Concedimus quidem Apellæ, Dæmones locis gaudere deſertis; unde LXX. Interpretum δαιμόνιον μεσημβρινὸν, & Vulgati *Dæmonium meridianum*, (quamvis & alia fortaſſe aſſignari poſſit ratio) Voſſius & Delrio explicant de Dæmonio quod in deſerto verſatur, vel ab eo venit. Judæis enim, ajunt, deſertum erat ad meridiem. *Raphael* quoque Dæ-
Tob.VIII 3. Matth: IV. monem qui afflixerat Saram, in deſertum ablegat; & in deſerto Chriſtus à Diabolo tentatur. Inde tamen certum minime eſt, τὴν שדים deſcendere à שדה Namque illud punctum in dextro cornu, hoc in ſiniſtro habet. Proinde melius deduxeris à שדד vel שוד, vaſtavit, perdidit. Inde ſingul. שד Dæmon, quaſi vaſtator, perdens. Quod à Chaldæo interprete in priori loco retinetur, in poſteriori vero vice alterius ponitur nomen

מזיקין

מזיקין, ſed in forma, ut loquuntur, emphatica. Origo ejus eſt a נזק nocuit, læſit, damno affecit.

§. 7. Alterum legitur apud *Eſaiam*, qui cum de Babylonis excidio Eſaii.
ac ruina vaticinatur, ait: ושכנו שם XIII. 21.
בנות יענה ושעירים ירקדו־שם c. 17. v. 7.
Vocem שעירים LXX. reddunt δαιμονίοις; 2. Paralip.
quanquam *iidem* illam in *Levitico* & c. 11. v. 24.
alibi ματαίοις vertant. *Vulgatus* in *Eſaiæ* loco exponit per *piloſos*, in *Levitici* per *Dæmones* Origo eſt שער horreſcere; unde שעיר piloſus, hirſutus, ſpeciatim vero hircus. Sane *R. Moſes Maimonides* in Levitici loco per In More
שעירם hircos, per hos Dæmones in- Nebocb.
telligit, ex opinione hominum orta part. 5.
a Zabiis. c. 47.
Ita vero ille: *Ex Zabiis quidam fuerunt, qui Dæmones colebant, & exiſtimabant, quod formam Hircorum habenat; unde & Dæmones Seirim, i. e. hircos appellabant. Quæ opinio Moſis tempore jam longe lateque in orbe diffuſa fuit, ſicut ait: Et non ſacrificabunt ultra ſua ſacrificia laſſeirim, hircis, (h. e. Dæmonibus ita appellatis) & hinc apud illud hominum genus, prohibitus quoque erat eſus hircorum.* Etiam *Vir plurimum Reverendus, Ampliſſ. ac Excell.* DN. JOHANNES HENRICUS URSI-

SINUS, *Eccleſiæ Evangelicæ Ratiſponenſis Paſtor Superintendens &c. Theologus ac Philologus Celeberrimus, Dominus Patronus ac Promotor meus æternum colendus, cui ut in cæteris ſtudiis meis, ita etiam in hoc ipſo Exercitio multa me, debere, debita cum reverentia profiteor*, notat, propterea ſic dici Dæmones, quod ſic appareant ut plurimum, tunc autem præprimis, cum non ideo comparent, ut aliquod miniſterium exſequantur, ſed ut apud ſuos ſibi majeſtatem concilient: Cauſam quoque aperit, ob quam ſuperbus ille Spiritus in forma hircina majeſtatis quærat imaginem. *Stulta*, inquit, *mortalium, eàque pervetuſta, Pana Deum eſſe naturæ, qui ut bipes hircus pingi ſolebat, ſtultiſſimum Spiritum ita cepit, ut non aliter appareat, ubi magnificentiſſime vult, quam hirciformis, quaſi ſe jactet Dominum naturæ.* (*conf.* Luc. 4. v. 6.) *in hirco ab antiquiſſimis temporibus cultum, cujus ſymbolum Hircus ſit, & a ſuis habeatur.* Videantur quoque *Voſſius & Schedius.* Dæmones præterea ſub ſpecie hirci præſtigioſam ſuam libidinem, & alia in homines aliquando exercere, ita paſſim experientia in magorum ſtrygumque foren-

Analect. Sac.

l. 1. idol. c. 8.

Syntagm. 4. c. 1. de Diis Germanic.

forenſibus confeſſionibus, nos docet, ut de eo amplius dubitare neutiquam poſſimus. Vide ſis celebrem Jeſuitam *Athanaſium Kircherum*. De Pane, Satyris, Faunis, caprinis, ut ita dicam, Dæmonibus ſuo dicetur loco. *l. 4. hierogram. 5. Obeliſci Pamphilii.*

§. 8. Tertium vocabulum legitur apud Davidem in his: כי כל־אל הי אלילים העמים Tò אלילים LXX reddunt δαιμόνια. Quanquam *iidem* alibi per εἴδωλα exponant. אליל autem *Schindlerus* deducit ab אל nihil, quia *idola vel non, vel nihil ſunt, nec opitulantur, aut proſunt. Martinius* vel ab אל non nihilum, *quia idolum eſt res ficta. Aut enim*, ait, *nihil eſt, aut ſaltem hoc non eſt, quod eſſe creditur*: Vel ab אל Deus, *ut ſit Deaſter. Kirchero* dicitur quaſi אל אל *non Deus, quod ſit umbra Dei, neque potentiam habeat, nec conſolationem opem ferre poſſit.* Pſalm. 96: 5. *Levit. 19. v. 4.* Pſalm. 97. 7. *Habac 2. v. 18. in Lexic. in rad.* אליל *in Lexic.* Philol. *in voce Dæmon. in* Concord. *V. T.*

§. 9. Quartum invenies apud Eſaiam, cum ait: ופגשו ציים את־איים. Vocem ציים LXX. vertunt δαιμόνια. Alibi vero ἰνδάλματα. ציה eſt ſiccitas, inquit *Martinius, terra arida, deinde homo aut beſtia in locis deſertis habitans. Inde tranſtulerunt* ציים ad dæmonia ſignificanda, quia in deſertis locis *apparere ſolent, aut forma animalium,* *c. 34. v. 14. Jer. 50. v. 35. l. cit.*

qua horrida in deſertis conſpiciuntur. Videantur ſuperiora ac Excell. DN. URSINUS. Quintum vocabulum eſt ישוד quod tamen Interpretes alii unanimi conſenſu futurum verbi eſſe dicunt. Vid §. 6. Septimum eſt גד de quo capite ſequenti agemus pluribus.

Anal. l. 6. n. 27.
Pſalm. 91. 6.
Eſa. c. 65. v. 11.

CAPUT SECUNDUM.

Genii *Homonyma. Dii ipſi a Platone δαίμονες dicti. Δαιμόνια in S. literis non ſemper malos ſpiritus ſignificant. Auguſtinus notatur. Vox ἄγγελος tributa abſoluta ſpiritibus malis. Sortes Planetarum, inter eas δαίμων & τύχη præcipuæ, illa Solis, hæc Lunæ. Error Alexandri Neapolitani, Gyraldi, Dempſteri notatus.* γλῶσσα τύχη, γλῶσσα *δαίμων.* גד & מני *in ſacris literis.* Genius *pro anima in corpore. Anima cujusque Genius cujusque ſingularis. Anima mundi Genius univerſalis. Auguſtinus enodatus. Mundus Philoſophis priſcis animal rationale. Ejus partes ſeu membra. Anima mundi* DEUS, *imo ipſe mundus* DEUS; *& an abſolute ſic dictus*: Genius *pro anima defuncti. Genus Geniorum anguſtius, qui nunquam in corpore fuerunt. Genius virorum, Juno fæminarum.*

narum. Juno Natalis. *Per eam mulieres, earumque amaſii, jurabant. An viris etiam tributa? Divites, Genii paraſitorum.*

§. I.

G*enii* ſive *Dæmonis* vox varie a Scriptoribus accipitur. Et primo *Plato*, quanquam Dæmones in Deorum numero minime collocet, gentilium tamen Deos, quandoque hoc ipſo nomine indigitat. Quod de eo teſtatur *Porphyrius*, inquiens: *l. 2. de abſtinent. 37.* Λοιπὸν οὖν ἡμῖν ἐστι τὸ τῶν ἀοράτων πλῆθος, οὓς δαίμονας ἀδιαστόλως εἴρηκε Πλάτων. Scilicet *Plato* unum agnovit Deum ſupremum, eumque ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε παντὸς; *in Timæo.* reliquos, quos cæteri colebant Deos, *ejus miniſtros*, & generatim interdum *Dæmonas* appellavit. Audiamus ipſum. Περὶ δὲ τῶν ἄλλων δαιμόνων, inquit, εἰπεῖν καὶ γνῶναι *loc. cit.* τὴν γένεσιν, μεῖζον, ἢ καθ' ἡμᾶς. Poſtea hos δαίμονας recenſet, eorumque generationem hoc deſcribit modo: Γῆς δὲ καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε, καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην. ἐκ τούτων δὲ, Φόρκυς τε καὶ Κρόνος, καὶ Ῥέα, καὶ ὅσοι μετὰ τούτων. Ἐκ δὲ Κρόνου καὶ Ῥέας, Ζεὺς, Ἥρα τε, καὶ πάντες ὅσους ἴσμεν πάντας ἀδελφοὺς, λεγομένους

μένους

μένους ἔτι τε τοὺς τούτων ἄλλους ἐκγόνους. At vero, annon hi Dæmones cæleſtes & magni Dii habiti? Certe Deos per Dæmonas hic intelligi, ei qui ſequentia in Platone legit, non poteſt eſſe obſcurum. Quare fortaſſe hos

admonit. ad gentes. cum *Clemente Alexandrino μεγάλους δαίμονας* diſcriminis cauſſa vocare poſſes. *Homerus* quoque promiſcue uſus eſt *Deorum* ac *Dæmonum* nominibus, Diisque aliquando Dæmonum nomina impoſuit. Cujus rei teſtis *Plutachus*, cum *Cleombrotum* ita loquentem facit:

lib. de defect. orac. Ἑλλήνων γὰρ, Ὅμηρος μὲν φαίνεται κοινῶς ἀμφοτέροις χρώμενος τοῖς ὀνόμασι, καὶ τοὺς θεοὺς ἔστιν ὅτε δαίμονας προσαγορεύων. Atque hoc in ſenſu (pro Diis) vox

c. 17. v. 18. *δαιμόνια* capi etiam videtur in *Actis* Apoſtolorum, ubi Athenienſes de Paulo: *Ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι.* Præterquam enim, quo cum mens loquentium monſtret, *Syrus* etiam *interpres* planiſſime confirmat, qui verba illa vertit: *Deos peregrinos prædicat.* Nec *Lutheri* verſio aliena: Es ſihet / als wolte er neue Götter verkündigen. Quare Auguſtino non facile

l. 9. de civit. Dei. c. 19. aſſentiendum, dicenti *Ubicumque illarum literarum* (ſacrarum) *hoc nomen poſitum reperitur, ſive DÆMONES,*

NES, *ſive DÆMONIA dicuntur*, *non niſi maligni ſignificantur Spiritus.* Sicut nec illud usque adeo cum veritate congruit, (ut hoc obiter addamus) quod vocem ἄγγελος ſimpliciter malis ſpiritibus tribui negant. Audite Apoſtolum: Οὐκ οἴδατε, ait, ὅτι ἀγγέλους κρινοῦμεν. *1 Cor. 6. v. 3.*

§. 2. Deinde vox hæc ab Aſtrologis priſcis ad ſidera tranſlata, & ſors quædam Planetarum illis ſic appellata eſt. Quippe ſingulis Planetarum ſua Sors tributa.

♄	Νέμεσις
♃	Νίκη
♂	Τόλμα
☉	Ἀγαθοδαίμων
♀	Ἔρως
☿	Ἀνάγκη
☾	Ἀγαθὴ τύχη.

Quas ſortes prolixe aſſerit *Seldenus* ex *Vettio Valente Antiocheno* & aliis, recenſetque etiam *Dietericus* & *Kircherus*. Hinc *Macrobius* intelligendus, cum *De Diis Syr. Syntagm. 1. c. 1. Antiq. Biblic. part 3. init.*

Oedip. Ægypt. tom. I. ſynt. 4. c. 8. l. I. Saturn. c. 19.

cum Δαίμονα, Ἔρωτα, Ἀνάγκην & Τύχην geniture præſides habitos eſſe apud Ægyptios tradit: *Argumentum*, inquit, *caducei ad geniturem quoque hominum, quæ Geneſis appellatur, Ægyptii protendunt, Deos præſtites homini naſcenti quatuor adeſſe memorantes, δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην; & duo priores Solem ac Lunam intelligi volunt, quod Sol auctor ſpiritus, caloris ac luminis, humanæ vitæ genitor & cuſtos eſt, & ideo naſcentis Dæmon, id eſt, Deus creditur: Luna* Τύχη, *quia corporum præſul eſt, quæ fortuitorum varietate jactantur: amor oſculo ſignificatur, neceſſitas nodo*. Atque inde error *Alexandri Neapolitani* corrigendus eſt, qui ubi de

l. 6. Dier. genial. c. 4.

Laribus agit, inquit; *Hos Ægyptii quatuor fuiſſe putant, quos ſimul atque in lucem editus fuiſſet homo, illius pervigilem curam agere opinantur, quorum nomina, Dymon, Tychis, Heros, & Anachis*. Quomodo namque Lares geniture præſides? Et quanta nominum omnium corruptio! *Gyraldus* hunc errorem corrigere quidem conatur, ipſe tamen correctione indigens.

Syntagm. 15. Hiſt. Deor.

Sunt, ait, *qui ſcribant hujusmodi Deos Lares apud Ægyptios quatuor fuiſſe, quorum hæc nomina, Dymon, Tychis*,

chis, *Heros & Anachis*. *Exiſtimo hæc nomina corrupte legi pro Dynamis*, *Tychos*, *Eros*, *Anance*: *id eſt*, *vis*, *fortuna*, *amor*, *neceſſitas*. Exiſtimamus te quoque, *Gyralde*, corrupte illa nomina legere, nec videre id manticæ quod in tergo eſt. Denique & *Dempſteri* error notandus, qui e citato *Macrobii* loco, Lares habuiſſe Ægyptios docere vult, in quo tamen ne Argus quidem, ſi reviviſceret, ullum de Laribus verbum reperire poſſet. Præcipuæ vero duæ ſortes, Solis δαίμων, & Lunæ τύχη, quæ & κλῆρος τῆς τύχης, & ἀγαθὴ τύχη dicta, obſervabantur, & quaſi ſummam omnis felicitatis, Dæmon quidem quoad animam, τύχη vero quoad corpus & externa bona continere putabantur. Quo fortaſſe alluſere Ægyptii, quando Harpocrati ἐν τῷ Μεσορὴ τῶν χεδροπῶν ἐπιφέροντες dixerunt: Γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων. Imo *Seldenus* conjicit harum veſtigia ſortium in ipſis exſtare Pandectis ſacris. Apud Eſaiam enim hæc legas: הערכים לגר שלחן והממלאים למני ממסך: Quo in loco LXX: Ἑτοιμάζοντες τῷ Δαιμονίῳ τράπεζαν καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα. Itaque τὸ גר per δαιμόνιον, τὸ מני vero per

In Paralip. ad l. 4. c. 12. ſeq. A. R. Roſini.

vid. Plutarc. de Iſid. & Oſir. *Seld. l. cit. cap. 65. v. 11.*

per τύχην exponunt. Sed quia מני deſcendit a מנה numeravit, per illud alii numerum Stellarum, & quidem ſeptenarium, intellectum volunt. *Hieronymus* plane inverſo ordine habet: *Paratis fortunæ menſam, & impletis Dæmoni potionem.* Solebant nimirum, ut idem narrat, in Ægypto, maxime in urbe Alexandria, ultimo die anni ponere menſam variis refertam epulis, poculumque mulſo mixtum, atque ita auſpicari vel præteriti vel futuri anni fertilitatem. Hoc & Judæi faciebant, & nequaquam altari victimas, ſed ejusmodi menſæ liba fundebant. Τὸ גד etiam in Geneſi aliter redditur, ubi cum Zilpa gigneret, Lea inquit: בגד; quod LXX vertunt ἐν τύχῃ, quaſi Beth ſervile eſſet loco præpoſitionis. Hebræi reſolvunt in בא גד i.e. *venit Gad.* Ubi iterum putat *Seldenus* reſpici ad ſortem Lunæ, quæ τύχη ſive ἀγαθὴ τύχη; ut Lea filio recens nato felicem vitam & omnia fauſta per hanc apprecetur. Fuit enim Lea Syriacæ propaginis, a qua gente hæ artes uſurpatæ. Quam antiqua hæc de fortuna expoſitio, apud *Buxtorfium* videri poterit. Imo *Kircherus* invocationem

Comm. in h. l.

c. 30. v. 11.

Lexic. Chald.

nem etiam gentilis Numinis, quod *Talmud.*
huic ſorti natales debet, verba Leæ *Rabbin.*
complecti, affirmat. Aliter tamen *loc. cit.*
Dietericus locum hunc exponit. Nos *l init. hujus*
tantum nobis non ſumimus, ut inter *§. cit.*
hæc ſententiarum divortia judicis perſonam ſuſcipiamus.

§. 3. Porro alio ſignificatu etiam *Genius* ſeu *Dæmon* anima ſive animus adhuc in corpore degens dicitur. Clare *Apulejus*: *Quodam ſignificatu & animus humanus, etiam nunc in corpore ſitus, dæmon nuncupatur.* *l. de Deo Soc.*

Dii ne hunc ardorem mentibus addunt, *Virg. Æn. 9. v. 184. 185.*
Euryale? an ſua cuique Deus ſit dira
cupido?

Igitur & bona cupido animi Deus bonus eſt. Unde nonnulli arbitrantur, εὐδαίμονας dici beatos, quorum Dæmon bonus; id eſt animus virtute perfectus eſt; quem noſtra lingua, ut ego interpretor, haud ſciam an bono, certe quidem meo periculo, poteris Genium vocare: quoniam is Deus, qui eſt animus ſuus cujusque, quanquam ſit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur. Hinc extitere nonnulli, qui Genios animas rationales interpretati ſunt, ait *Gyraldus.* *Syntag. 15. Hiſt. Deor.*
Hunc in ſenſum *M. Antoninus Imperator*: Συζῆ δὲ Θεοῖς ὁ συνεχῶς δεικνὺς αὐ- *l. 5. de ſe ipſo, c. 19.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

τοῖς τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἀρεσκομένην μὲν τοῖς ἀπονεμομένοις. Ποιοῦσαν δὲ ὅσα βούλεται ὁ δαίμων, ὃν ἑκάστῳ προστάτην καὶ ἡγεμόνα ὁ Ζεὺς ἔδωκεν, ἀπόσπασμα ἑαυτοῦ. Οὗτος δέ ἐστιν, ὁ ἑκάστου νοῦς καὶ λόγος. Quanquam non ignoremus, *eundem* alibi Genium aperte diſtinguere a mente,
l. 3. c. 6. cum ait: ὁ γὰρ τὸν ἑαυτοῦ νοῦν καὶ δαίμονα, καὶ τὰ ὄργια τῆς τούτου ἀρετῆς προελόμενος, τραγῳδίαν οὐ ποιεῖ, οὐ στενάζει.
l. 7. de civ. Nec *Varro* ab hoc alienus. Sic enim
Dei c. 13. de opinione ejus *Auguſtinus* memorat: *Quid eſt Genius? Deus eſt*, *inquit*, *qui præpoſitus eſt, ac vim habet omnium rerum gignendarum. Quem alium hanc vim habere credunt, quam mundum, cui dictum eſt: Jupiter omnipotens progenitor genitrixque. Et cum alio loco Genium dicit, eſſe unius cujusque animum rationalem, & ideo eſſe ſingulos ſingulorum; Talem autem mundi animum Deum eſſe; ad hoc idem utique revocat, ut tanquam univerſalis genius ipſe mundi animus eſſe credatur. Hic eſt igitur quem appellant Jovem. Nam ſi omnis genius Deus, & omnis viri animus genius, ſequitur ut ſit omnis viri animus Deus; quod ſi & ipſos abhorrere abſurditas ipſa compellit, reſtat ut eum ſingulariter & excellenter dicant Deum genium, quem*

dicunt mundi animum, ac per hoc Jovem.

§. 4. Obſcura nonnihil verba, in quibus haud dubie Philoſophorum veterum aliqua ſententia delitescit. Nempe illi, & præprimis Stoici, mundum hunc animal eſſe, animaque rationali præditum, exiſtimabant. Diſerte de Stoicis *Laertius*: Ὅτι δὲ καὶ ζῶον ὁ κόσμος καὶ λογικὸν, καὶ *In Zenone.* ἔμψυχον, καὶ νοερὸν Χρύσιππος ἐν α΄ φησὶ περὶ προνοίας, καὶ Ἀπολλόδωρός φησιν ἐν τῇ φυσικῇ, καὶ Ποσειδώνιος. Ζῶον μὲν οὕτως ὄντα, οὐσίαν ἔμψυχον αἰσθητικήν. Τὸ γὰρ ζῶον τοῦ μὴ ζώου κρεῖττον; οὐδὲν δὲ τοῦ κόσμου κρεῖττον. Ζῶον ἄρα ὁ κόσμος. Ἔμψυχον δὲ, ὡς δῆλον ἐκ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς, ἐκεῖθεν οὔσης ἀποσπάσματος. Affertur in his ratio ſententiæ Stoicæ, quod ſcilicet animal præſtantius ſit non animato. Eandem & *Plato* habet: Θέμις δὲ, inquit, οὔτ' ἦν οὔτ' ἔστι τῷ *In Timæo.* ἀρίστῳ δρᾷν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιστον. Λογισάμενος οὖν εὕρισκεν ἐκ τῶν κατὰ φύσιν ὁρατῶν οὐδὲν ἀνόητον, τοῦ νοῦν ἔχοντος ὅλον ὅλου κάλλιον ἔσεσθαί ποτ' ἔργον. Νοῦν δ' αὖ χωρὶς ψυχῆς ἀδύνατον παραγενέσθαί τῳ. Διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τόνδε νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δ' ἐν σώματι συνιστὰς, τὸ πᾶν ξυνετεκταίνετο, ὅπως ὅτι κάλλιστον

 εἴη

εἴη κατὰ φύσιν ἄρισόν τε ἔργον ἀπειργασμένος. Et concludit: οὕτως οὖν, δὴ κατὰ λόγον τὸν εἰκότα δεῖ λέγειν, τόνδε τὸν κόσμον, ζῶον ἔμψυχον, ἔννουν τε τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ γενέσθαι πρόνοιαν. Poëtæ quoque huc alludunt, quos inter Manilius ait:

l. 3. Aſtron.

vivere mundum.
Et rationis agi motu; cum Spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem,
Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.

Æn. 6. v. 724. ſeq.

Virgilius:

Cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit: totamque infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Quos verſus ad mentem Philoſophiæ Ægyptiacæ peculiari ſchemate, progreſſum animi mundani exhibente, illuſtrat *antea laudatus Jeſuita Kircherus.* Partes mundani animalis *Plutarchus* (ſpectatum admiſſi, riſum teneatis) recenſet: Stellas eſſe oculos ait, Solem cordis vim habere, ac ex ſe calo-

l. 4. Obeliſci phil. hierogramm. 16.
l. de fac. in orbe Lunæ.

calorem & lumen velut ſanguinem diffundere, terram & mare ventriculum eſſe ac veſicam, Lunam, Solem inter & terram poſitam, ut jecur inter cor & ventriculum, aut aliud molle viſcus, calorem demittere, & exhalationes coquendo & purgando ad ſe extollere. En ejus verba: Ἀλλὰ τοῦ κατὰ λόγον κρατοῦντος, οἱ μὲν (ἀστέρες) ὥσπερ ὄμματα φωσφόρα τῷ προσώπῳ τοῦ παντὸς ἐνδεδεμένοι περιπολοῦσιν. Ἥλιος δὲ, καρδίας ἔχων δύναμιν, ὥσπερ αἷμα καὶ πνεῦμα διαπέμπει καὶ διασκεδάννυσιν ἐξ ἑαυτοῦ θερμότητα καὶ φῶς. Γῇ δὲ καὶ θαλάσσῃ χρῆται κατὰ φύσιν ὁ κόσμος, ὅσα κοιλίᾳ καὶ κύστει ζῶον. Σελήνην δὲ ἡλίου μεταξὺ καὶ γῆς, ὥσπερ καρδίας καὶ κοιλίας ἧπαρ, ἤτι μαλθακὸν ἄλλο σπλάγχνον, ἐγκειμένη, τήν τε ἄνωθεν ἀλέαν διαπέμπει, καὶ τὰς ἐντεῦθεν ἀναθυμιάσεις πέψει τινὶ καὶ καθάρσει λεπτύνουσα, περὶ ἑαυτὴν ἀναδίδωσιν. Jam quia, vult dicere *Auguſtinus*, genius cujusque, (ſingularis) eſt animus cujusque rationalis, igitur etiam mundi animus erit Genius, & quidem univerſalis. Quia vero *Varro* Genium Deum dicit, animus quoque erit Deus, & ſic etiam animus mundi. Sicut de *Varrone idem* ſcribit, quod dixerit, eos ſolos animadver- *l. 4. de civ. Dei. c. 31.*

 tiſſe

tiſſe *quid eſſet Deus, qui crediderunt eum eſſe animam, motu ac ratione mundum gubernantem.* Quem in ſenſum & *Thales dixit* νῦν τῦ κόσμυ θεόν. *Democritus:* νῦν θεὸν ἐμπυροειδῆ, τὴν τῦ κόσμυ ψυχήν. *Seneca* Jovem appellavit *animum ac Spiritum mundani hujus operis.* Imo ipſum mundum nonnulli Deum vocarunt. Aperte *Manilius.*

apud Plutarch. de placit. Philoſophor. l. 1. c. 7.
l. 1. Nat. Quaſt. præfat.
l. 1. Aſtronom.

--------*mundum divino Numine verti*
Atque ipſum eſſe Deum,

Non tamen, puto, ſimpliciter. Quare *Auguſtinus: Dicit idem Varro adhuc de naturali Theologia præloquens, Deum ſe arbitrari eſſe animam mundi, quem Græci vocant* κόσμον, *& hunc ipſum mundum eſſe Deum. Sed ſicut hominem ſapientem cum ſit ex corpore & animo, tamen ab animo dici ſapientem: Ita mundum Deum dici ab animo, cum ſit ex animo & corpore.*

l. 7. de civ. Dei c. 6.

§. 5. Præterea *Genius* ſeu *Dæmon* etiam pro anima defuncti, & a corpore ſeparata, accipitur. Unde *Servius* Manes non veretur interpretari Genios. Prolixe hanc in rem *Apulejus: Secundo ſignatu ſpecies Dæmonum eſt, animus humanus exutus & liber ſtipendiis, vitæ corpore ſuo abjuratis. Hunc vetere latina lingua reperio* LEMUREM *dicti-*

comm. in Virg. Æn. 6. v. 743.
l. de Deo Soc.

diſtitatum. Ex hiſce ergo lemuribus, qui poſteriorum ſuorum curam ſortitus, pacato & quieto Numine domum poſſidet, lar dicitur familiaris. Qui vero propter adverſa vitæ merita, nullis bonis ſedibus in terra, vagatione, ceu quodam exilio, punitur, inane terriculamentum bonum hominibus, cæterum noxium malis, hunc plerique LARVAM *perhibent.*

§. 6. Denique erat & aliud genus Geniorum ſeu Dæmonum, qui nimirum nunquam in corpore fuerunt, medii quaſi inter Deos & homines, paſſibiles, ac vel immortales, vel, ut alii voluere, mortales quidem, ſed tamen longum tempus viventes; qui aſſignati Diis ac hominibus rebuſque omnibus, commoda & damna inferentes, a Romanis inter ſelectos & de plebe Deos recenſiti. Unde non male cum *Lipſio* diſtinxeris inter Genios, qui animæ quidem ſunt, ſed quæ aliquando in corpore fuerunt, & eos qui nunquam in corpore extiterunt, quales ſunt Genii propritim dicti. Audiamus *Apulejum* iterum: *Verum hæc omnis diſtributio eorum Dæmonum fuit, qui quondam in corporis numero fuere. Genus aliud auguſtius ajo Dæmonum, qui ſemper a corporis compedibus & nexibus liberi.*

l. 1. Phyſiolog. Stoic. diſſert. 18.

l. cit.

§. 7.

§. 7. Sed ab hoc præcelſo Dæmonum genere ſermonem devocabimus ad inferiora, & adhuc duos ſignificatus vocis Genii in medium afferemus. Genius enim ſpeciali quandoque dicitur nomine, qui viro additus, quemadmodum qui fœminæ, *Juno*. Quo inter alios *Plinius* alludit: *Major*, ait, *cælitum populus etiam quam hominum intelligi poteſt, cum ſinguli quoque ex ſemet ipſis totidem Deos faciant, Junones Genioſque adoptando ſibi.* *Seneca* quoque: *Ita hoc ſeponas volo, ut memineris majores noſtros, quia crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe; ſingulis enim Genium aut Junonem dederunt.* Quapropter Juno *natalis* dicta, & a mulieribus culta eſt; cujus rei luculentum teſtimonium *Tibullus* præbet.

l. 2 Hiſt. Nat. c. 7. — ep. 110. — l. 4.

Natalis Juno ſanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi eſt hodie, tibi ſe lætiſſima compſit,
Staret ut ante tuos conſpicienda focos.

Mos quoque inoleverat, ut mulieres Junonem *ſuam* vocarent: perque eam cum ſuis amaſiis jurarent. Hujus veſtigia habes apud *Petronium*: *Junonem*

in Satyr.

nonem meam iratam habeam, ſi unquam me meminerim virginem fuiſſe. Et *Tibullum:* *l.3.eleg.ult.*

Et ſi perque ſuos fallax juravit ocellos,
Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem.

Rurſus: *lib.4 ad fin*

Hæc tibi ſancta tuæ Junonis Numina juro,
Quæ ſola ante alias eſt tibi magna Deas.

Nec objicias, viris etiam legi Junonem attributam, ejusque rei teſtem laudes Juvenalem: cujus eſt illud: *Sat.2.v.98*
Et per Iunonem Domini jurante miniſtro.
Nam Poëtæ hoc in loco de molli ac effæminato ſermo eſt; quamobrem illi etiam, quod fæminæ conveniebat, adſcribit.

§. 8. Denique Paraſiti etiam divites, ſub quorum clientela vivebant, quorum liberalitate fruebantur, *Genios ſuos* nominabant. Sic apud *Plautum Ergaſilus* paraſitus ad *Hegionem:* *Captiv.a.4 ſc.1.v.99.*

Vidi tuum Gnatum & Genium meum.

Curculio de *Phædromo:* *Curcul.act.1 ſc.3.v.22*

Ecquis eſt, qui mihi commonſtret Phædromum, Genium meum?

Peniculus ad *Menæchmum:* *Menæchm' act.1.ſc.2.v.29.*

Salve. Me. quid ais? Pe. Teneo dextera Genium meum. Atque

Atque hæc de varia vocis ſignificatione ſufficiant.

CAPUT TERTIUM.

Differentia Laris & Genii. *Lares animæ defunctorum & quales juxta Platonicos. Cultus eorum origo. Lares filii Mercurii & Laræ ſive Maniæ. Maniæ cultus immutatus.* Lar *notat* principem, præſidem. *Lares Dii domorum*, Lar domus & Lar familiaris *an idem? Secundum Meurſium Lar familiaris diverſus ab illo, & Lar Servorum. Ex tali Servium Tullium natum videri. Lar familiaris fortaſſe Saturnus, Lares vicorum, ex iis Apollo, Bacchus, Mater Stata. Lares compitalitii & viales. Mercurius* ὅδιος, ἐνόδιος, ἡγεμόνιος, τετράγωνος. *Eius ſtatuæ Hermæ. Irmenſula Saxonica.* Ἑρμαῖοι λόφοι *in viis eorumque origo. Hercules Sancus ejusque nomina. Juſtini Martyris error obiter tactus. Lares urbium. Lares permarini. Genii Synonymia. Genius dictus* Deus natalis, Deus naturæ, Pædagogus, Myſtagogus, Dei Filius & parens hominum, filius Jovis & terræ, Agdiſtes. *Petra, e*

qua Deucalion lapides jecit, hominum ſemina. Genius præſtes *vocatus. Deſcriptio Apulejana, Arriani, Antonini, Plutarchi. Genius* Angelus *appellatur.*

§. 1.

Ex his, quæ ſuperiori capite attulimus, facile apparet, alios eſſe Genios, alios Lares. *Eundem eſſe Genium & Larem multi veteres memoriæ prodiderunt, in queis etiam Granius Flaccus in libro, quem ad Cæſarem de Indigitamentis ſcriptum reliquit*, inquit *Cenſorinus.* *de die natal, c. 5.* Confundi quoque ſæpe a Scriptoribus, literarum harum Studioſo non poteſt non eſſe perſpectum. Si tamen paulo curatius qui Genii, qui Lares veteribus dicti penſites, facile patebit diſcrimen, ſive ex Platonicorum, ſive ex aliorum opinione rem velis dijudicatam. Ac de Geniis quidem jam diximus. Reſtat ut nonnulla, quantum fieri poteſt, ἐπιτόμως & breviſſime, addamus de Laribus. Juxta Platonicos ergo animæ defunctorum *Lemures* dictæ, atque *Martian. Capell. l. 2.* ex his *qui vitæ prioris adjuti fuerint honeſtate, in Lares domorum urbiumque*

ver-

vertuntur: *Si autem depravantur ex corpore*, *Larvæ perhibentur ac Maniæ*. Confer *Alexandrum Neapolitanum* ac *Feſtum Pauli*. Et ſi *Servio* credendum, opinionem illam Larium cultus origo comprobare videtur. Ita vero ille: *Apud majores omnes homines in ſuis domibus ſepeliebantur*: *unde ortum eſt ut Lares colerentur in domibus*. *Videatur & Iſidorus Hiſpalenſis*. Credula nempe plebs animas defunctorum cultu quodam, & ſi conjicere licet, primum domeſtico, poſt publico, tanquam auxilium laturas, ſibi devenerandas exiſtimabat. Hanc Platonicorum opinionem ſi ſequi velis, in aperto eſt, Lares poſſe quidem dici Genios, ſed tales, qui animæ ac aliquando in corpore fuerunt, non qui propritim Genii dicti, & nunquam in corpore fuerunt. Idque vel ex ſolo *Apulejo* ὀφθαλμοφανερῶς manifeſtum eſt.

l.6.gen.Dier. c.4. *in voce Lanea.* *comm.in l.6 Æn.v.152.* *l.15.Etym. c.11.* *vid. c. præced. § 5.*

l.2.Faſtor. §. 2. *Ovidius* Lares tradit eſſe filios Mercurii & Laræ Nymphæ, quæ & *Larunda* ac *Muta* nominata *Macrobius*, Maniam Deam Larum matrem dicit, atque aliquandiu obſervatum, ut ei in compitalibus *pro familiarium ſoſpitate pueri mactarentur*. *Quod ſacrificii genus*

l.1.Satur. c.17.

genus Junius Brutus conſul, Tarquinio pulſo, aliter conſtituit celebrandum. Nam capitibus allii & papaveris ſupplicari juſſit, ut reſponſo Apollinis ſatis fieret de nomine capitum; remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis; factumque eſt ut effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus periculum, ſi quod immineret familiis, expiarent.

§. 3. Alii aliter. Quo vero res tota fiat clarior, ſciendum, quod *Scaliger* notat, *Larem* eſſe Hetruſcam vocem, & ſignificare principem ac προςάτην ſeu præſidem. Unde Hetruſcis *Lars* populi princeps. Quæ vox occurrit apud *Livium* & *Auſonium*. Hinc *Lares* Romanis dicti varii variarum rerum antiſtites Dii. Hi habiti pro Diis domeſticis, de quo *Tertullianus*. *Nigidius* apud *Arnobium* vocat *tectorum domuumque cuſtodes*; *Priſcianus* & *Philoxenus*, ut *Deſiderius Heraldus* notat, θεοὺς καλοικιδίους; *Dionyſius Halicarnaſſæus* τοὺς κατ' οἰκίαν ἥρωας. Eosdem & *Præſtites* vocarunt, canina pelle conveſtierunt, canemque illis appoſuere. Quo de, & cur factum, *Plutarchus*: Διὰ τί τῶν Λαρητῶν οὓς ἰδίως πραιστίτας καλοῦσι, τούτοις κύων παρέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται; ἢ περι-

comm. ad Propert. l. 4 c. 17. Technopagn.

Apologet. 13 l 3 adverſ gent.

comment. in Arnob. l. c. l. 4.

Quæſt. Rom. 51.

πραιστίτης μὲν οἱ προεστῶτές εἰσι, τοὺς δὲ προεστῶτας οἴκου φυλακτικοὺς εἶναι προσήκει, καὶ φοβεροὺς μὲν τοῖς ἀλλοτρίοις, (ὥσπερ ὁ κύων ἐστὶν) ἠπίους δὲ καὶ πράους τοῖς συνοικοῦσιν; ἢ μᾶλλον, ὃ λέγουσιν ἔνιοι Ρωμαίων, ἀληθές ἐστι; καὶ, καθάπερ οἱ περὶ Χρύσιππον οἴονται φιλόσοφοι, φαῦλα δαιμόνια περινοστεῖν, οἷς οἱ θεοὶ δημίοις χρῶνται κολασταῖς ἐπὶ τοὺς ἀνοσίους καὶ ἀδίκους ἀνθρώπους. Οὕτως οἱ Λάρητες, ἐριννυώδεις τινές εἰσι, καὶ ποίνιμοι δαίμονες, ἐπίσκοποι βίων καὶ οἴκων. Διὸ καὶ κυνῶν δέρμασιν ἀμπέχονται, καὶ κύων πάρεδρός ἐστιν, ὡς δεινοῖς οὖσιν ἐξιχνεῦσαι καὶ μετελθεῖν τοὺς

l. 5. Faſtor. πονηρούς. Confer *Ovidium.* Nobis non licet eſſe prolixioribus. Hunc Deum domeſticum quidam appellant *Larem familiarem*, quos inter *Apulejus* in-

l. de Deo Socrat. quit: *Ex hiſce lemuribus, qui poſteriorum ſuorum curam ſortitus pacato & quieto numine domum poſſidet, LAR dicitur FAMILIARIS.*

Syntagm. 15. Hiſt. Deor. *Gyraldus* quoque Lares familiares *domeſticos* interpretatur. *Laris familiaris* alias mentionem

in prolog. Aulul. *de R. R. c. 2.* *in Calig. c. 5.* quoque facit *Plautus*, *Cato*, *Suetonius.*

Auctar. Philolog. c. 2. §. 4. Sed *Meurſius* aliud quid ſignificari per *Larem familiarem*, exiſtimat. Apud priſcos videlicet Romanos familiæ duos habebant ordines, quorum unus ſervos complectebatur,

quos

quos *Familiam* nuncuparunt; alter ingenuos, quos *Familiam auream* dixerunt. Quod haut obſcure colligi poterit ex *Feſto Pauli*, *Plauto*, *Seneca*, *Macrobio*. Aureæ familiæ præſtites Deos *Picumnum* & *Pilumnum* facit, a quibus diverſum eſſe probare conatur *Larem familiarem*, utpote cui cura foci & familiæ, i. e. ſervorum commiſſa, qui etiam in foco, tanquam coram ſuo Deo, cibum capiebant. Et ſi hic ſenſus genuinus, ejusmodi forte Lar familiaris fuit ille, qui ex Ocriſia Tanaquilis Reginæ ancilla Servium Tullium, Regem Romanorum VI, genuiſſe fertur. Quo de multa habes apud *Dionyſium Halicarnaſſæum*. Nos breviter nunc *Plinium* audiemus: *Non prateribo*, inquit, *& unum foci exemplum*, *Romanis literis clarum*, *Tarquinio Priſco regnante tradunt repente in foco ejus apparuiſſe genitale e cinere maſculini ſexus*, *eamque*, *quæ inſederat ibi*, *Tanquilis reginæ ancillam Ocriſiam captivam*, *conſurrexiſſe gravidam: ita Servium Tullium natum*, *qui regno ſucceſſit*, *inde & in regia cubanti puero caput arſiſſe viſum*, *creditumque Laris familiaris filium. Ob id compitalia & ludos Laribus primam inſtitu-*

in voce familia.
in Epidic. a. 1. ſc. 1. v. 2. Amphitr. a 1. ſc. 1. v 197
ep. 47.
l. 1. Saturnal. c. 11.
l. 4.
l 36. c. 27. Hiſt. Nat.

ſtituiſſe. Quis vero Deorum ille Lar fuerit, equidem ſatis non conſtat; conjectura *Meurſii* niti ſi velis, *Saturnus* fortaſſe erit. Nam Saturnalibus ſervi, depoſitis quaſi vinculis ſervitutis ſuæ, libere vivebant, herilem habitum ſumebant ac epulabantur, Dominis obeuntibus ſervorum λειτȣργίας. Ita nimirum ſervi Laris ſui, eo tempore vinculis ſoluti, fortunam referebant. Videantur *Excell. DN. URSINUS*, *Dempſterus*, *Natalis Comes*, *Gyraldus*, *Eraſmus*, *Macrobius*. Saturnum inter Lares diſerte *Tertullianus* refert, cum ait: *Domeſticos Deos quos Lares dicitis, domeſtica poteſtate tractatis pignerando, venditando, demutando aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva, ut quisque contritus atque contuſus eſt, dum diu colitur; ut quisque Dominus ſanctiorem expertus eſt domeſticam neceſſitatem.*

§. 5. Lares quoque habebant *vicorum*, *compitorum*, *itinerum* ſive *Viales*. *Arnobius*: *Poſſumus ſi videtur ſummatim aliquid & de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum Deos eſſe, ex eo quod Græci vicos cognominant lauras,* Lares vicorum, Græci θεοὶ ἀγυιεῖς nominabantur, erant-

lib. cit.

Analect. S. l. 1. n 31. 46.
Paralip. *ad l. 2. c 4. A. R. Roſin l. 2. Myth. c. 2.*
Synt 4. Hiſt Deor.
in adag Diſlan: os pedes habent
l. 1. Saturn c 7 ſeq.
Apologet. cap 13.
l 3 adverſ. gentes.

erantque *Apollo & Bacchus*, ut ex *Ariſtophanis Scholiaſte* clarum eſt. De *Apolline* etiam ex *Plauto*, apud quem *Chryſalus*. *Ad Veſpas, p. 493. edit. Æmilii Franc. Port.*

Saluto te, vicine Apollo, qui ædibus
Propinquus noſtris accolis. *Bacchid. act. 2. ſc. 1. v. 3.*

A Romanis ſic cultam eſſe *Matrem Statam*, non temere quis ex *Feſto Pauli* conjecerit. De compitis & viis, res quoque manifeſta. *in voce Stata.*

---------compita ſervant,
Et vigilant noſtra ſemper in æde Lares,

cecinit quondam *Ovidius*. *Larium vialium*, quos peregre proficiſcentes invocabant, ſeorſim mentio exſtat apud *Plautum*. *l. 2. Faſtor. confer & l. 5.*

----------------invoco
Vos Lares viales, ut me bene tutetis. *Mercat. act. 5. ſc. 2. v. 25.*

Et in inſcriptione veteri: *Elmenhorſt com. ad l. 3. Arnob.*

FORTUNÆ REDUCI
LARI. VIALI
ROMÆ. ÆTERNÆ
Q. AXIUS. ÆLIAN. *Sched. de Diis Germ. Synt. 1, c. 4.*

Ex his fuiſſe Mercurium probabile eſt. Unde dictus ὁδιος, ἐνόδιος, ἡγεμόνιος. Videantur *Gyraldus* & *Voſſius*. Quare & ſtatuæ ei ante fores & in viis erectæ, Hermæ appellatæ; quæ erant ſimulacra quadrato ſtatu & ſolo capite inſignita, quamobrem & τετράγωνος. *Synt. 9. Hiſt. Deor. l. 2. idolol. c. 13. in indic. Cornel. Nepot. ſua edit. & in comm. ad Alcibiad.*

γώνιος vocatus eſt. Videantur *Vir Ampliſſimus atque Excellentiſſimus*, DN. JO. ANDREAS BOSIUS, *Hiſtoriarum P. P. undiquaque celeberrimus, Ampliſſ. Philoſophorum Collegii hodie Decanus, Dominus Patronus, Præceptor ac Promotor noſter ætatem colendus*, *Dempſterus*, *Gyraldus*, ex veteribus *Herodotus*, *Plutarchus*, *Macrobius*. Ac inde nonnulli illud Saxonum veterum ſimulacrum, quod patria lingua Irmenſaul vocatur, explicant, & Hermeſſaul / id eſt Hermetis ſive Mercurii columnam, interpretantur. Quanquam alii Martis, alii Arminii ſive Hermanni ſtatuam fuiſſe dicant, alii ſymbolicam afferant expoſitionem. Videantur *Voſſius*, *Schedius*, *Meibomius*. Hinc quoque Mercurio acervi lapidum ἑρμαῖοι λόφοι dicti in viis publicis ſacri, qui viam prætereuntibus monſtrarent. Qui præteribant in acervum adjiciebant lapidem, ut ſic creſceret & faciliuſ viam monſtraret. Originem hujus ritus *Didymus*, hiſce recenſet: Ἑρμῆς κατὰ Διὸς κέλευσιν ἀνελὼν Ἄργον τὸν τῆς Ἰοῦς φύλακα ἤχθη ὑπὸ δίκην, Ἥρας αὐτὸν καὶ τῶν ἄλλων ἀγαγόντων θεῶν εἰς κρίσιν, ὅτι πρῶτος ἐπιβεβλήκει δαιμόνων θνητῶν μιάσματι τὸν Ἄργον,

paralip ad l. 2. c. 9. A. R. Roſin. Synt 9. Hiſt. Deor. l. 2. in fin. an ſeni gerenda Reſp. l. 1. Sat. c. 19.

l. 2. de idol. c. 32. Syntagm. 3. de Diis Germ. pecul. tract. de Irmenſula ax. præprim. cap. 5. comment. ad l 16. Odyſſ Homer. in fin.

γον, καὶ ἀνήρηκει. Κρίνοντας δὲ τοὺς θεοὺς εὐλαβεῖσθαι μὲν τὸν Δία, τὸ ὑπόδικον γεγενῆσθαι τὸν Ἑρμῆν ταῖς ἑαυτοῦ παραγγελίαις. Ἅμα δὲ ἀφωσιωμένους τὸν ἄγος καὶ τῆς ἀνδροφονίας ἀπολύοντας, αἷς εἶχον ὀργὴν προσβαλεῖν αὐτῷ τὰς ψήφους, καὶ οὕτως ἐπισωρευθῆναι πρὸς τοῖς ποσὶ τοῦ Ἑρμοῦ ψήφων πλῆθος. Ὅθεν καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἄχρι τοῦ νῦν, εἰς τιμὴν Ἑρμοῦ κατὰ τὰς ὁδοὺς διὰ τὸ τὸν θεὸν εἶναι τούτων, σωροὺς ποιεῖν λίθων. Καὶ διάγοντας προβάλλειν λίθους, καὶ τούτους καλεῖν Ἑρμαίους λόφους. Ἔστι δὲ λόφος πᾶν τὸ εἰς ὕψος μετέωρον. Conferatur & *Euſtathius*. *Herculem Sancum* Romanis ita quoque cultum, conjecerit quis ex *Feſto*. *Sancus* alias etiam *Sanctus Propertio Silioque Italico* dicitur, *Sangus Plinio* item *Semo Sancus Deus Fidius Ovidio* & in inſcriptione Romana.

commem. in cit. l. Homeri
in voce propter.
l. 4. eleg. 10.
l. 8.
l. 8. c. 48.
l. 6. *Faſtor.*
apud Gruter fol. 26. num. 5.

SEMONI
SANCO
DEO. FIDIO
SACRUM
SEX. POMPEIUS. SP, F.
COL. MUSSIANUS
QUINQUENNALIS
DECUR
BIDENTALIS
BONUM DESIT.

Apolog. pro 2. Chriſti in Actor. 8. Inde viri docti putant errorem obortum *Juſtino Martyri*, ut ſtatuam huic Deo dicatam, eſſe Simonis Magi ſtatuam contenderet. In quem prolixe nunc inquirere noſtra equidem non refert.

§. 6. Lares etiam urbium præſi-
5. Faſtor. des habiti. Clare *Ovidius* de iis:

Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus urbis.

Nec plura nunc de his. *Lares quoque permarini* Romanis culti, iisque ædes dedicata legitur. *Gyraldus* hariolatur eos propterea ſic dictos, quod ſicut domibus privatis publicisque & compitis Lares, ita quoque navibus tribuiſſent. *Meurſius* eos exponit per θεὺς καταποντίυς, quales Neptunus, Thetis, Glaucus. De cultu Larium ſuo loco. Ex his omnibus ſequitur, ſpeciem quidem Geniorum Lares vocari ſuo modo poſſe, nequaquam vero plane eosdem eſſe Genios & Lares; ſed hos ſub Geniis, tanquam ſub genere contineri.

apud Liv. l. 46. c. 52. Synt. 15. Hiſt. Deor. l. ſupra cit.

§. 7. Nunc cœptam de Genio telam pertexemus. Is quia nobiscum nasci & nativitati præ-eſſe credebatur, dictus eſt *Deus natalis* a *Tibullo*:
l. 4 eleg. 5.

At tu natalis, ait, quoniam Deus omnia ſentis, Annue,

Annue, quid refert clamve palamve roget?

Horatio Deus naturæ audit: *l.2. epiſt.2.*

Scit Genius natale comes, qui temperat aſtrum, *v. 187.*

Naturæ Deus humanæ.

Quoniam etiam arbitrabantur, ut ſuo loco audiemus, Genium hominem quodammodo informare, arguere, intra conſcientiam mala facta & cogitationes abſurdas flagellare, Seneca eum *Pædagogum* vocavit. *epiſt. 110.* *Myſtagogum* appellat *Menander* hisce verſibus: *vid. Ammian. Marcell. l. 21. Clem. Alexandr. l. 5. Strom.*

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται,
Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

Pulchre profecto! Myſtagogus, qui et ἱεροφάντης, olim initiabat ſacris: Ita Genius nos initiat ſacris religionis, morum, virtutum. Myſtagogi erat, hoſpites ad ea quæ viſenda erant, ducere, & unumquodque oſtendere: *vid. Cic. act. 6. in Verr.* Ita nos Genius per ſpatia vitæ humanæ ducit, quidque faciendum, quid fugiendum in vita, oſtendit. *Auguſtinus* Genium dicebat *Deorum filium & parentem hominum.* *Feſtus in voce Genius* *Natalis Comes* quoque Genium Jovis & Terræ filium fuiſſe tradit, hujusque ſuæ opinionis teſtem laudat *Pauſaniam*, qui hac *l. 4. c. 3. Mythol.*

l.7. Adagic. de re ita. *Jovem fabulantur per ſomnum in terram ſemen profudiſſe, ex eo terræ conceptu Genium humana quidem figura, ſed ambiguo ſexu in lucem prodiiſſe Agdiſten appellatum.* *Agdiſtes* dictus erat a petra, in qua natus eſt, *Agdo*, e qua lapides Deucalion cum Pyrrha ſparſit, unde homines progenitos Poëtæ fabulantur. Præſtat audire fabulam

l. 5. ad. verſ. gent. ex *Arnobio. In Phrygiæ finibus inauditæ per omnia vaſtitatis petra eſt quædam, cui nomen eſt Agdus, regionis eius ab indigenis ſic vocatæ: ex ea lapides ſumptos, ſicut Themis mandaverat præcinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion jactavit & Pyrrha; ex quibus cum cæteris & hæc, Magna, quæ dicitur, informata eſt Mater, atque animata divinitus. Hanc in vertice ipſo petræ datam quieti & ſomno, quam inceſtis Jupiter cupiditatibus appetivit. Sed cum obluctatus diu id, quod ſibi promiſerat, obtinere nequiſſet, voluptatem in lapidem fudit victus. Hinc petra concepit, & mugitibus editis multis prius menſe naſcitur decimo, materno ab nomine Acdeſtis. Huic robur invictum & ferocitas animi fuerat intractabilis, inſana & furialis libido, & ex utroque ſexu.* Videantur plura de hoc apud laudatos ſcriptores. Genium

etiam

etiam *Præſtitem*, *quod præſit gerundis omnibus*, *vocaverunt*, ait *Martianus* Capella. *Apulejo* dicitur *cuſtos*, *ſingularis præfectus*, *domeſticus*, *ſpeculator*, *individuus arbiter*, *inſeparabilis teſtis*, *malorum improbator*, *bonorum probator*; *in rebus incertis proſpectator*, *dubiis præmonitor*, *periculoſis viator*, *egenis opitulator*. *Martianus* Capella, etiam *Angelum* dici poſſe ait: *Hic* inquit, *tutelator fidiſſimusque Germanus*, *animos omnium mentesque cuſtodit*, *& quoniam arcana cogitationum ſuperæ annunciat poteſtati*, *etiam Angelus poterit nuncupari*. *Arrianus* ἐπίτροπον: Deus, ait ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδωκε φυλάσσειν αὐτὸν αὐτῷ καὶ τοῦτον ἀκοίμητον καὶ ἀπαραλόγιστον. *Antonius* Imperator προστάτην ἡγεμόνα ἑκάστου. *Plutarchus* Genios λειτουργοὺς θεῶν, ὑπηρέτας καὶ γραμματεῖς appellat. Sed hac vice puppim ad littora vertamus, alia, & fortaſſe jucundiora, benevolo Lectori exhibituri ſumus, quam primum fuerint, qui amore harum literarum ducti nobiſcum in arenam deſcendere volent.

l. 2. de Nupt. Merc. & Phil.
de Deo Socr.
l. cit.
in Epictet. l. 1. c. 14.
l. 5 de ſe ipſo c. 19.
l. de orac. defect.

Θεῷ ἡ δόξα.

Ad Humaniſſimum ac Eruditiſſimum

D. M. PRÆSIDEM, Amicum ſuum perdilectum.

D*E GENIIS variis dum diſſeris, OPTIME, monſtras*
INGENII dotes, & documenta Tui!
Sint igitur comites GENII BONI, & ANGELUS adſtet
Cuſtos, ne ſurgant ulla pericla viis!
INGENIUMQUE TUUM porro ſic dirigat ALMUS,
UT placitus genio ſis, placeaſq; BONIS!

In gratulationem, & teſtificationem Benivolentiæ faciebat

CHRISTIANUS CHEMNITIUS, SS. Theol. D. P. P. Paſtor & Superintendens, h. t. Fac. Theol. Decanus, Univerſitatis RECTOR.

Q. D. B. V.

EXERCITATIONUM PHILOLOGICARUM *DE* GENIIS SECUNDA,

deſcribens

NATURAM GENIORUM EX MENTE PLATONICORUM,

Quam,

Benevolo Amplisſimi Philoſophorum Ordinis conſenſu,

in illuſtri propter Salam Academia,

PRÆSIDE

M. GEORGIO Wonna/

Poët. L. Cæſar.

Publico examini ſiſtet

JOH. LEONHARDUS Ritter/

Ratisponenſis,

poſtridie Cal. Jun.

Anno CIↃ. IↃC LX.

Θεῷ σὺν παλάμᾳ.

Exercitationis Philologicæ II.

De

G E N I I S,

CAPUT PRIMUM.

Genii an pro Diis a gentilibus habiti? Tres ſpecies Deorum apud Platonem. Is cognovit Deum eſſe unum. In Parmenide agit de Deo accurate. Nomina Dei apud Platonem. Locus Act. 17. v. 28. exponitur. Verus Deus an dici poſſit Jovis *ſive* Jupiter? *Juxta Platonem reliqui Dii a ſummo Deo producti. Is loquitur de Diis ſæpe ex ſententia vulgi. Platonici juxta quoſdam agnoverunt SS. Trinitatis myſterium. Nomina trium perſonarum divinarum apud eoſdem. Unde Plato hanc notitiam hauſiſſe dicatur, ex Euſebio & Auguſtino exponitur. Secundum Platonicos Genii non ſunt Dii; etſi a Platone quandoque* Dii appellentur.

§. 1.

Explanata vera nominis ratione, ad rem ipſam nobis nunc eſt deſcendendum, & natura Geniis a gentilibus aſſignata paulo curatius rimanda. Res ſane anceps, nec usque adeo facilis, diſtractis varias in partes animis priscorum. Ac initio ſtatim ubi quis quæſiverit, an Genii inter Numina gentilitia quoque locum invenerint? Cave, inconſiderate & uno modo reſpondeas. Nos quid ex *Platonis*, & qui ejus olim partes tuebantur, mente de hac quæſtione, ac de tota Geniorum natura, ſit dicendum, primo exponemus loco, reliquorum autoritati nihil interim detrahentes. Quod ut eo rectius fiat, adyta Theologiæ Platonicæ paulo diligentius, ſed pace tua, B. L. nobis erunt perluſtranda.

lib. de dogmate Platon. p. 8. edit. Elmenhorſt.

§. 2. *Plato* itaque, ceu *Apulejus* teſtatur, *Deorum trinas nuncupat ſpecies: quorum eſt prima unus & ſolus ille ſummus ultramundanus, incorporeus, pater & architectus hujus divini orbis. Aliud genus eſt, quale aſtra habent, cæteraque Numina, quos cælicolas vocamus.*

Tertium

Tertium habent, quos Medioxumos Romani veteres appellant, quod ex ſui ratione, & loco, & poteſtate, Diis ſummis ſunt minores, hominum natura profecto majores. Videatur quoque *Alexander ab Alexandro*, & ipſe *Plato* paſſim. *l. 6. dier. gen. c. 4.*

§. 3. Erat nimirum *Plato* eos inter Philoſophos, qui multa de Deo recte, atque in his, unum eum eſſe, cognoverunt. Ac egit accurate de Deo in *Parmenide*, ſicut latiſſime demonſtratum ivit *Proclus*, ibique ſubtiliſſime diſputat, ac ad probandum unum rerum omnium principium primum, quod eſt ſuper omnia, & omnia ab illo, & eſt extra omnia, & in omnibus, & omnia ad ipſum, a proprietate unius & multitudinis, ſive numeri, procedit. Confer *Proclum* & *Marſilium Ficinum*, apud quos ſimul invenies novem hypotheſes ad probandam unitatem Dei ex *Parmenide* collectas. Unius quoque Dei confeſſionem exemplis aliquot ex *Platone* probare conatur *Auguſtinus Steuchus*, quem *celebre illud ſanctæ Philologiæ Oraculum, plurimum Rever. ac Excell. DN.* URSINUS, &c. pro ſuo erga has literas amore, ac erga nos favore *l. 1. Theol. Plat. 5. 7. 8. ſeq.* *l. cit. c. 10 &c. not. in Parmen. Platon.* *l. 5. de perenni Philoſoph. c. 5.*

nuper Ratiſpona ad nos deſtinavit.

§. 4. Quamvis autem *Plato* hunc vid. Apuleg. l. c. Deum ἄῤῥητον ἀκατονόμαςον alicubi vocat, varia tamen apud ipſum ejus invenies nomina. Præprimis autem in Cratylo. Jovis nomen enucleat, tanquam παγκαλῶς κεῖσθαι. Ἔςι δὲ οὐ ῥᾴδιον κατανοῆσαι, ἀτεχνῶς γάρ ἐςιν οἷον λόγος τὸ τοῦ Διὸς ὄνομα. Διελόντες δὲ αὐτὸ διχῆ, οἱ μὲν τῷ ἑτέρῳ μέρει, οἱ δὲ τῷ ἑτέρῳ χρώμεθα. Οἱ μὲν γὰρ, Ζῆνα, οἱ δὲ Δία καλοῦσι συντιθέμενα δ' εἰς ἓν, δηλοῖ τὴν φύσιν τοῦ θεοῦ, ὃ δὴ προσήκειν φαμὲν ὀνόματι οἵῳ τε εἶναι ἀπεργάζεσθαι. οὐ γάρ ἐςιν ἡμῖν, καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν, ὅςις ἐςὶν αἴτιος μᾶλλον τοῦ ζῆν, ἢ ὁ ἄρχων τε καὶ βασιλεὺς τῶν πάντων. Sunt & alia Dei nomina apud l. c. c. 7. eundem plena, judicio *Steuchi*, Theologiæ. Qualia ſunt Τὸ ἀγαθὸν, ἰδέα τοῦ ἀγαθοῦ, βασιλεὺς τοῦ νοητοῦ γένους καὶ τόπου, τὸν ἥλιον γεννήσας, ὁ ἐπέκεινα τῆς οὐσίας, τοῦ παντὸς ἀρχή, ἀφ' οὗ εἶναι ἐςὶ, καὶ ἡ οὐσία τοῖς γιγνωσκομένοις. Confer Genes. c. 1. cum his titulis, ſi lubet, *Moſen*, Pſ. 97. v. 1. *Davidem*, *Lucam*, *Paulum*, *Jaco-* Pſ. 99. 1. Pſ. 25. v. 8. *bum*.

Actor. 17. c. v. 28. Rom. 1. v. 4. 1. Tim. 6. v. 16. 1. v. 17.

§. 5. Dicis: alius eſt Jovis gentilium, (hunc enim nominativum fuiſſe antiquis uſitatum contendit *Dempſterus*) alius JEHOVA verus. Quid

igitur

igitur facies ſanctiſſimo Apoſtolo *Paulo*, ejusque ex inſpiratione divina prolatis verbis: Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Poëta vero, de quo ille, *Aratus* eſt, qui *Phænomena ſua* pro Poëtarum more à Jove ita eſt auſpicatus, ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, paucisque interjectis, τοῦ γὰρ, inquit, καὶ γένος ἐσμέν. Quod igitur *Aratus* ſcripſit, & Apoſtolus citavit, eſt: *Jovis genus ſumus*. Eone putas Apoſtolum, qui Deum *Jovem* vocat, intelligere illum Poëtarum Jovem tot adulteriis infamem, aut raptorem Europæ ac Ganymedis? Minime vero; cum Philoſophis ſanioribus intellexit mentem infinitam, cuncta permeantem, rerum omnium conditorem, ac æternum DEUM. Ut mens Apoſtoli ſit, nos ejus Numinis eſſe progeniem, quod per Jovem intelligerent è gentibus ſaniores. Unde *Auguſtinus Steuchus*: *Jovem eſſe illum verum Deum etiam Paulus demonſtrat ex Arato, qui dixerat; Jovis omnia plena. Et quod ejus genus ſumus: Hujus enim genus ſumus. Hæc dixerat Aratus de* JOVE, *quem verum Deum, à quo genus ducamus, & in quo vivamus, Paulus interpretatur*. Quare *Seldenus* Jovis nomen Deo vero poſſe

paralip. ad l. 2. c. 3. antiq. Rom. Roſini. Actor. 17. v. 28. vid. Hieronymi ad c. 1. ep. ad Tit. Clemens Alex. l. 5. Stromat. Voſſius l. 1. de idolol. c. 2.

l. c. c. 6.

Syntagm. 2. c. 1. de D. S.

pie tribui putat, idque non uſque adeo improbabiliter ex tetragrammato יהוה deducit. Quæ originatio Haiminsfeldo Goldaſto quoque placet apud *Taubmannum*. Nec probabile *Seldenus* putat, tam occultum fuiſſe id nominis, ut fieri hoc non potuerit. Nam illud & *Rabſace*, homo gentilis palam pronunciavit.

not. in Columb. comment. in Plaut. Amphitr. act. 5. ſc. 2. v. 4.
Eſa. c. 36. v. 15.

§. 6. Inſtas: Si *Plato* unum ac verum Deum agnovit, cur duo præterea Deorum genera nuncupat? cur tam multa Diis accenſet? Cur tam ſæpe ac præprimis in *Legibus* & *Epinomide* aſtra proponit colenda? Sed ſalva res eſt! Idem *Plato* reliquos Deos omnes a ſummo Deo creatos, & productos multis in locis affirmat; præcipue vero, quando eum opificem ac patrem omnium, creatorem ſummum, creatis Diis corpora mortalia condendi facultatem largientem, introducit: λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ τόδε τὸ πᾶν γεννήσας, τάδε, θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς, πατήρ τε ἔργων, ἃ δι᾽ ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα, ἐμοῦγε θέλοντος, τὸ μὲν οὖν δὴ δεθὲν πᾶν λυτόν. Lege *Steuchum*. Multum præterea conceſſiſſe mori vulgari ac patrio *Platonem*, nec ſemper auſum, quid vellet, quidque

in Timæo.

l. 5. de peren Philoſ. c. 1. 2. & alibi.

que ſentiret, in vulgus efferre, cicutæ potu perterritum, quo Præceptorem ſuum, ipſius oraculi reſponſo πάντων ἑλλήνων σοφώτατον Socratem ſublatum recenti memoria tenebat, conſtat. Τὸν ποιητὴν, inquit: καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παιδὸς ευρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Et rurſus: Φραστέον δὴ σοι δι αἰνιγμάτων, ἵν᾽ ἄν τι ἡ δέλτος, ἢ πόντου ἢ γης ἐν πτυχαῖς πάθη, ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ. Ac paucis interpoſitis: Εὐλαβοῦ μέντοι μήποτε ἐκπεσῆ ταῦτα εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους. σχεδὸν γὰρ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐκ ἔστι τούτων πρὸς τοὺς πολλοὺς καταγελαστότερα ἀκούσματα, οὐδ᾽ αὖ πρὸς τοὺς εὐφυεῖς θαυμαστότερά τε καὶ ἐνθουσιαστικώτερα. Hinc quoque cum ſerio loquitur, DEUM, ſi ſecus, DEOS nominare ſe tradit: Περὶ δὲ τοῦ ξυμβόλου τοῦ περὶ τὰς ἐπιστολὰς, ὅσας τε ἂν ἐπιστέλλω σπουδῇ καὶ ὅσας ἂν μὴ, οἶμαι μὲν σε μεμνῆσθαι. ὅμως δ᾽ ἐννόει, καὶ πάνυ πρόσεχε τὸν νοῦν. Πολλοὶ γὰρ οἱ κελεύοντες γράφειν οὓς οὐ ῥᾴδιον φανερῶς διωθεῖσθαι. Τῆς μὲν γὰρ σπουδαίας ἐπιστολῆς θεὸς ἄρχει, θεοὶ δὲ τῆς ἧττον. Quod vero in *Legibus* ac *Epinomide* aſtra tam miris attollat laudibus, eaque in numero Deorum recenſeat inter alia,

Diogen. Laert. in vita Socrat.

l. cit.

epiſt. 2. ad Dyonyſ.

ep. 13. ad Dionyſ.

factum *Steuchus* putat, quia cives ſuos manifeſta pietate imbuere volebat. Quare oſtendit illis manifeſtiora Numina, a quibus inferiora gubernentur. Vide de unitate Dei gentilibus nota præprimis *Schedium*, qui omnium ferme gentium ſententias collegit, *Voſſium*: *Jacobum Ouzelium*, & ſi lubet, *diſſertationem noſtram de Ara ignoti Dei*.

§. 7. Quid quod ſummi S. S. Trinitatis myſterii notitiam habuiſſe *Platonem* ejuſque ſectatores nonnulli haud obſcure tradunt, adducti quibuſdam eorum locis: quorum in numero reponi poſſe videntur *Euſebius* & *Epiſcopus Hipponenſis*. *Steuchus* quoque multus eſt hac in materia, ac primam divinitatis perſonam, Patrem, *Bonum*, vocatam eſſe, ſecundam nempe filium Dei, *Mentem*, λόγον πάντων θειότατον, (confer *Johannem*) tertiam, nempe Spiritum S. *animam mundi*, prolixe probare conatur. Quo vero hanc ſuam ſententiam veritatis quandam ſpeciem habere oſtendant, unde hæc *Plato* hauſerit, ſollicite inquirunt. Ac *Euſebius* quidem, *Platonem* univerſam pene ſuam & Theologiam & Philoſophiam ab Hebræis mutu-

cit. c. 3.

Syntag. 1. c 12 de D. G.

l. 1 idol. c 2

animadv. in Minut. Felic. Octav. cap. 3. §. 13. ſeq.

l. 11. c. 10. de præparat.

l. 10. de civ. Dei, c 23. quem in loc. vide Ludovic. Viv.

l. 2. de perenni Philoſ. c. 3. ſeq.

c. 1. v. 1.

l. 11. & 12. de præparat.

mutuatum eſſe, auſus eſt demonſtrare. *Auguſtinus* memoriæ prodidit nonnullos putaſſe Platonem, cum in Ægyptum profectus eſſet, *Jeremiam audiſſe Prophetam, vel ſcripturas Propheticas in eadem peregrinatione legiſſe.* Quam opinionem ſic refutat: *Sed diligenter*, inquit, *ſupputata temporum ratio, quæ chronica hiſtoria contineatur, Platonem indicat à tempore, quo prophetavit Jeremias, centum ferme annos poſtea natum fuiſſe. Qui cum octoginta & unum vixiſſet, ab anno mortis ejus uſque ad tempus, quo Ptolemæus rex Ægypti ſcripturas propheticas gentis Hebræorum de Judæa popoſcit, & per ſeptuaginta viros Hebræos, qui etiam Græcam linguam noverant, interpretandas habendaſque curavit, anni ferme reperiuntur L X. Quapropter in illa peregrinatione ſua Plato, nec Jeremiam videre potuit tanto ante defunctum, nec eaſdem ſcripturas legere, quæ nondum fuerant in Græcam linguam tranſlatæ, qua ille pollebat.* Hiſce mox quid ſibi videatur ſubjungit: *Niſi forte quia fuit acerrimi ſtudii, ſicut Ægyptias, ita & iſtas per interpretem didicit, non ut ſcribendo transferret; quod Ptolemæus pro ingenti beneficio, qui regia poteſtate etiam timeri poterat, meruiſſe*

l. 8. de civ. Dei. 11.

ruiſſe perhibetur; ſed ut colloquendo quid continerent, quantum capere potuiſſet, addiſceret. Et ne forte fides ipſi denegetur, fulcire id quod dixerat, rationibus conatur. *Hoc ut exiſtimetur,* ait, *illa ſuadere videntur indicia, quod liber Geneſeos ſic incipit: In principio fecit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inviſibilis & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. In Timæo autem Plato, quem librum de mundi conſtitutione conſcripſit, Deum dicit in illo opere terram primo ignemque junxiſſe. Manifeſtum eſt autem quod igni tribuit cæli locum. Habet ergo hæc ſententia quandam illius ſimilitudinem, qua dictum eſt: In principio fecit Deus cœlum & terram. Deinde illa duo media, quibus interpoſitis ſibimet hæc extrema copularentur, aquam dicit & aërem; unde putatur ſic intellexiſſe, quod ſcriptum eſt; Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Parum quippe attendens, quo more ſoleat illa ſcriptura appellare Spiritum Dei, quoniam & aër ſpiritus dicitur, quatuor opinatus elementa loco illa commemorata videri poteſt. Deinde quod Plato dicit amatorem Dei eſſe Philoſophum, nihil ſic in illis ſacris literis flagrat: & maxime illud, quod*

& me plurimum adducit, ut pene aſſentiar Platonem illorum librorum expertem non fuiſſe, quod cum ad ſanctum Moyſen ita verba Dei per angelum perferantur, ut quærenti quod ſit nomen ejus, qui eum pergere præcipiebat ad populum Hebræum ex Ægypto liberandum, reſpondeatur: Ego ſum qui ſum: & dices filiis Iſrael, Qui eſt, miſit me ad vos: tanquam in ejus comparatione qui vere eſt, quia incommutabilis eſt, ea quæ mutabilia facta ſunt, non ſint. Vehementer hoc Plato tenuit, & diligentiſſime commendavit. Et neſcio utrum hoc uſpiam reperiatur in libris eorum, qui ante Platonem fuerunt, niſi ubi dictum eſt: Ego ſum qui ſum, & dices eis, Qui eſt, miſit me ad vos. Hæc ille, de quibus legendus *Ludovicus Vives.* Nunc ad propoſitum redeamus. *Confer. §. 11. c. ſeq.* *comment. in h. l.*

§. 8. Præter has Deorum ſpecies apud *Platonem*, ejusque aſſeclas, DÆMONES quoque reperire licet, Deorum natura inferiores, hominum autem ſuperiores, medias poteſtates, Deorum miniſtros, legatos ac interpretes, ſicut ex *Apuleio* ipſoque *Platone* conſtat. Unde liquere arbitror, ex mente Platonicorum Genios Deos non eſſe. Neque *l. cit. in Conviv. & Epinom.*

obeſt noſtræ opinioni, quod Dæmones *Plato* multis in locis *Deos* appellet. Quod dubium quoque movet *Proclus*: Τοὺς δαίμονας, οἱ κατ᾽ οὐσίαν δεύτεροι τῶν θεῶν εἰσι, καὶ περὶ τοὺς θεοὺς ὑφεστήκασι, θεοὺς προσαγορεύει πολλαχοῦ. Καὶ γὰρ ἐν Φαίδρῳ, καὶ τιμαίῳ, καὶ ἐν ἄλλοις, εὕροις ἂν αὐτὸν, ἐκτείνοντα καὶ μέχρι δαιμόνων τὴν τῶν θεῶν ἐπωνυμίαν. Nam multa quoque alia *Deorum* nomine ornat, ut animam & homines, quos *Platonem* pro Diis habuiſſe nemo facile conceſſerit. Unde ab hoc nomine ad rem ipſam de mente *Platonis* haud commodus eſt argumentandi modus. Ac nemo quidem melius hunc ſcrupulum ſolvet, quam qui nobis injecit. Juxta *Platonem* nimirum: ὁ μέν ἐστιν ἁπλῶς θεὸς, ὁ δὲ, καθ᾽ ἕνωσιν, ὁ δὲ, κατὰ μέθεξιν, ὁ δὲ, κατὰ συναφὴν, ὁ δὲ, καθ᾽ ὁμοίωσιν· τῶν μὲν γὰρ ὑπερουσίων ἕκαστος, πρώτως θεός. Τῶν δὲ νοερῶν ἕκαστος, καθ᾽ ἕνωσιν. Τῶν δ᾽ αὖ ψυχῶν ἑκάστη τῶν θείων, καθὰ μέθεξιν. Δαίμονες δὲ οἱ θεῖοι, καθὰ τὴν πρὸς ἐκείνους συναφὴν, θεοί. Ψυχαὶ δὲ ἀνδρῶν, δι᾽ ὁμοιότητος, τῆς προσηγορίας ταύτης μεταλαγχάνουσιν. Ἕκαστον δὲ τούτων θεῖον μᾶλλόν ἐστιν, ἢ θεός.

c. 25. juxta alios, 27. in Theolog. Plat.

Procl. l. cit.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De Dæmonibus Platonici non conveniunt. Definitio Dæmonum ex Apuleio. Animal *de Spiritibus apud Platonem & Ariſtotelem dicitur. Judæis etiam Angeli primi ordinis dicuntur* חיותהקדש *& unde? Dæmones Platonicis mediæ poteſtates inter Deos & homines ratione loci. Iidem ſunt animalia animo paſſiva, & immortalia. Quomodo hoc probet Maximus Tyrius. Quod idem animas poſt mortem fieri Dæmones affirmat, contra Platonem eſt. Immortalitatis plures gradus facit Proclus, & medium Dæmonibus tribuit. Immortalitas Geniorum in dubium vocata. Exemplum Genii mortui, Paſſibilitas Dæmonum ex Platone & Apuleio oſtenſa. Deus impaſſibilis & immutabilis. Paſſibilitas Dæmonum probata ex Plutarcho, & illuſtrata ſimilitudine a triangulo ſumpta. Apud Genios virtutibus & vitiis locus. Genii juxta Platonicos corpore aërii, ex puriſſimo aëre facti. An Ariſtoteles etiam in hac opinione fuerit? Genii an ex ſolo aëre facti? Corpora Dæmonibus tributa inviſibilia, quod exemplis*

probat

probat Apuleius. Patres quoque nonnulli Angelis tribuunt corpora ſubtilia. Angeli aſſumſerunt corpora; ſed ad tempus.

§ 1.

Poſtquam Genios ex mente Platonicæ ſcholæ in numero Deorum ponendos non eſſe, probatum dedimus, ſequitur ut nunc quoque, quam igitur aliam naturam illis aſſignarit, exponamus. Ulterius vero antequam progrediamur, monendum illud duximus, ſicut in aliis, ita etiam hac in re ipſos Platonicæ hæreſcos homines diſcrepare, Dæmonibus ſcilicet ipſis pro natura ſua illis varia & fallacia dictitantibus. Quod dudum ante nos obſervarunt *Ludovicus Vives*, & celeberrimus *Voſſius*. Cum vero præ cæteris, quæ ad *naturam Geniorum* ſpectant, ſtudioſe collegiſſe videatur *Apuleius*, ejus veſtegia ſequi placet. Sic vero ille Genios finit: *Dæmones ſunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo paſſiva, corpore aëria, tempore æterna.*

comment. ad Auguſt. l. v. de civ. Dei. c. 11. l. 1 de idol. c. 1. lib. de Deo Socrat. p. 49. ed. Elmenh.

§. 2. Apud *Platonem* autem vox *animalis* Spiritibus quoque tribuitur, ſicut

ſicut ejus ſcripta legenti non poteſt non eſſe manifeſtum. Πᾶν γὰρ ὅ,τι περ inquit, ἂν μετάσχῃ τοῦ ζῆν, ζῶον μὲν *in Timæo;* ἂν ἐν δίκῃ λέγοιτο ὀρθότατα; & ad perfectiſſimum vivendi genus ſignificandum convenientius quandoque vocabulum non occurrebat. Unde ipſi *in definit.* Deus eſt ζῶον ἀθάνατον, αὐταρκὲς, πρὸς *ſub. fin.* εὐδαιμονίαν. οὐσία ἀΐδιος τῆς τἀγαθοῦ φύ- *oper.* σεως αἰτία. Præceptorem etiam ſecutus *Ariſtoteles* aliquibus in locis Deum *l. 5. Top.* ζῶον dicere non veretur. Quo vero *c. 1. l. 5.* hic in ſignificatu ſumendum ſit iſtud *Metaph.* nominis; *c. 26.* ex aliis definitionis vocibus, quodque iis corpora ſæpe adſcribat *Apuleius*, ac in reliquo animalium numero recenſeat *Plato*, clarum *in Epinõ;* eſt, & mox dilucidius patebit. Alias etiam *Judæi* nomen *animalis* angelis, quamvis alio ſenſu, tribuerunt, dum inter decem ordines angelorum (de quibus nos ſuo loco dicemus plura) primos, ſicut ex *Maimonide* B. *Hack-* *l. 1. in* *ſpanius*, *Vir* dum vivebat, *in omni po-* *Miſchna* *litiore literatura edecumate eruditus* re- *tract. de* *fundam.* cenſet, vocarunt חיות הקדש *animalia* *Leg c. 2. §. 7.* *ſanctitatis*, hancque hujus ordinis ap- *diſp. de* pellationem ex *Ezechiele* derivarunt, *Nomin.* *Angelor.* ubi quatuor animalium fit mentio, *§. 4.* quæ ſpeciem hominis, leonis, bovis *c. 1. v. 5. 10.*

& aqui-

& aquilæ exhibuiſſe dicuntur. Verum enim vero etſi *Judæis* concedere velimus, de quo adhuc controverſantur eruditi; parum tamen roboris ſuo primo ordini diſtincto Angelico
c. 10. v. 15. 20. accedit. Ubi enim ea viſio repetitur, animalia *Cherubin* dicuntur. Cujus veritatis tanta vis eſt, ut *R. Moſes*
More Nevoch. part. 3. c. 1. 2. 3. ſeq. *Maimonides* negare non auſit, ubi prolixe de hac viſione Prophetæ agit. Quare perperam animalia a Cherubin tanquam ordo ab ordine, habita ratione eminentiæ, diſtinguuntur.

§. 3. Definitionis allatæ prædicata
l. cit. *tria à principio*, juxta *Apuleium*, Dæmones *eadem nobiſcum*, *quartum proprium*; *poſtremum commune cum Diis immortalibus habent*. Ut inde quoque manifeſtum ſit, Genios medias quaſdam poteſtates inter Deos ac homines eſſe creditas; quo nihil frequentius dictum inveniri poteſt in ſcholis Platonico-
in Convivio. rum. Πᾶν τὸ δαιμόνιον inquit, *Plato*, μεταξύ ἐςι θεοῦτε ϗ θνητοῦ. Quamobrem
in Octav. de eo *Minutius*. *In ſympoſio ſuo naturam Dæmonum exprimere connititur. Vult enim eſſe ſubſtantiam inter mortalem immortalemque, id eſt, inter corpus & Spiritum, mediam.* Mentem Magiſtri ſequitur *Maximus Tyrius*, cum ait:

Τὸ

Τὸ δαιμόνων γένος ἐπίμικτον νοεῖται θεοῖς-τε καὶ ἀνθρώποις. Ac *Plotinus* cum ſcribit, Dæmones eſſe ἐφεξῆς τοῖς θεοῖς, ἤδη πρὸς ἡμᾶς, μεταξὺ θεῶν τε καὶ τοῦ τε μετέρου γένους. Plura teſtimonia inveniet, qui cum cura Platonicos evolvere voluerit. Neque nos, qui Chriſto nomen dedimus, & quibus affulſit cæleſte veritatis lumen, negamus naturam Angelorum inter divinam & humanam quaſi mediam eſſe. Et non ſolum a nobis conceditur, naturam Angelorum multis gradibus ſuperare naturam hominum, eamque longo poſt ſe intervallo relinquere: ſed illud etiam fatemur, eam nimium quantum diſtare a divina.

orat. 26. de Dæmon. Socrat.

l. 5. Enne ad. 3. cap. 6.

§. 4. Illa vero Dæmonum medietas deducitur a Platonicis partim ex natura, partim ex loco iſtis aſſignato. Ac medietas naturæ quidem inde præprimis, quod ſint animalia animo paſſiva, tempore æterna ſive immortalia. Et quamvis alii ex animabus Dæmones fieri dicant, hanc tamen non negant, ſed multis aſſertum eunt. Quod quomodo facient, e *Maximo Tyrio* diſcimus, cujus verba etſi paulo ſint prolixiora, quia tamen totam Platonicorum opinionem

nem mirifice illuſtratam dabunt; in medium, ſed pace tua, B. L. huc afferemus. Ita verò ille: Οὐ γὰρ σάρκες αἱ δαιμόνων φύσεις, οὐδὲ ὀστᾶ, οὐδὲ αἷμα, οὐδὲ ἄλλο τι σκεδαστὸν, ἢ λυόμενον, ἢ τηκόμενον, ἢ διαρρέον. Ἀλλὰ ἡμῖν; οὑτωσὶ πρῶτον θεασώμεθα τὸ ἀναγκαῖον τῆς δαιμονίου οὐσίας. τὸ ἀπαθὲς τῷ ἐμπαθεῖ ἐναντίον, καὶ τὸ θνητὸν τῷ ἀθανάτῳ, καὶ τὸ ἄλογον τῷ λογικῷ, καὶ τὸ ἀναίσθητον τῷ αἰσθητικῷ, καὶ τὸ ἔμψυχον τῷ ἀψύχῳ. Πᾶν τοίνυν τὸ τὴν ψυχὴν ἔχον, ἐξ ἑκατέρων συγκεκραμένον. Ἢ γὰρ ἀπαθὲς τὸ ἀθάνατον, ἢ ἀθάνατον τὸ ἐμπαθὲς, ἢ ἐμπαθὲς θνητὸν, ἢ ἄλογον αἰσθητικὸν, ἢ ἔμψυχον ἀπαθές. Καὶ διὰ τούτων ὁδεύει ἡ φύσις μετὰ βραχὺ, ἀπὸ τῶν τιμιωτάτων ἐπὶ τὰ ἀτιμότατα καταβαίνουσα ἑξῆς. ἐὰν δέ τι τούτων ἐξέλῃς, διέκοψας τὴν φύσιν. Ὥσπερ ἐν ἁρμονίᾳ φθόγγων, τὴν πρὸς τὰ ἄκρα ὁμολογίαν ἡ μέση ποιεῖ. Ἀπὸ γὰρ τοῦ ὀξυτάτου φθόγγου ἐπὶ τὸν βαρύτατον ταῖς διὰ μέσου φωναῖς ἐπερειδομένη τὴν μεταβολὴν ἐμμελῆ ποιεῖ καὶ τῇ ἀκοῇ καὶ τῇ χειρουργία

Orat. 27. de Dæmon. Socrat.

γία. Τοῦτο τοίνυν νόμιζε γίνεσθαι καὶ ἐν τῇ Φύσει, ὅπερ ἐν δαιμονίᾳ τελειωτάτη. Καὶ τίθεσο θεὸν μὲν, κατὰ τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀθάνατον. Δαίμονα δὲ, κατὰ τὸ ἀθάνατον καὶ ἐμπαθές. ἄνθρωπον δὲ, κατὰ τὸ ἐμπαθὲς καὶ θνητόν. Θηρίον δὲ, κατὰ τὸ ἄλογον καὶ αἰσθητικόν. Φυτὸν δὲ, κατὰ τὸ ἔμψυχον καὶ ἀπαθές. Καὶ τὰ μὲν ἄλλα ἡμῖν τὸ νῦν ἔχον, κατὰ χώραν ἔστω. ἐπὶ δὲ τῆς δαιμονίων Φύσεως περισκοπώμεθα, ἣν Φαμὲν μεσότητα εἶναι πρὸς ἄνθρωπον καὶ θεόν. Ἴδωμεν εἴπη δυνατὸν ἐξελέσθαι αὐτὴν καὶ διασῶσαι τὰ ἄκρα. ἆρ᾽ οὖν ὁ θεὸς ἀθάνατον μὲν, ἐμπαθὲς δέ; οὐδαμῶς. ἀλλ᾽ ἀθάνατον μὲν, ἀπαθὲς δέ. Τί δὲ ἄνθρωπος, θνητὸν μὲν, ἀπαθὲς δέ; οὐδὲ τοῦτο. ἀλλὰ θνητὸν μὲν, οὐ μὴν ἀπαθές. Ποῦ τοίνυν ἡμῖν οἰχήσεται τὸ ἀθάνατον ὁμοῦ καὶ ἐμπαθές; δεῖ γὰρ συστῆναι ἐξ ἀμφοῖν οὐσίαν κοινὴν, κρείττονα μὲν ἀνθρώπου, θεοῦ δὲ ἐλάττονα, εἰ μέλλει ἔσεσθαι τῶν ἄκρων πρὸς ἄλληλα ἀναλογία. Δύο γὰρ πραγμάτων κεχωρισμένων, τῇ Φύσει, χωρισθήσεται καὶ

ἡ ἐπιμιξία παντάπασιν, ἐὰν μή τις κοινὸς ὁ ὅρος ἀμφότερα ὑποδέξηται· οἷον τὸ τοιόνδε λέγω. Καλοῦμέν τι πῦρ ξηρόν τε καὶ θερμόν. ἐναντίον δὲ θερμῷ μὲν ψυχρόν, ξηρῷ δὲ ὑγρόν. ἀδύνατον δὴ μεταβάλλειν πῦρ εἰς ὕδωρ, καὶ ὕδωρ εἰς πῦρ. οὔτε γὰρ ψυχρὸν εἰς θερμότητα, οὔτε ξηρὸν εἰς ὑγρότητα μεταβάλλοι ἄν. οὕτω δὴ τὸν τούτων πόλεμον μετεχειρίσατο ἡ φύσις, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὥσπερ ἐκεχειροφόρον τὸν ἀέρα, ὃς λαβὼν παρὰ μὲν τοῦ πυρὸς τὴν θερμότητα, παρὰ δὲ τοῦ ὕδατος τὴν ὑγρότητα, συνεκέρασεν αὐτῶν καὶ συνῆψε τὰς ὁμιλίας. Καὶ γίνεται μεταβολὴ καὶ πρόσβασις, ἀπὸ μὲν τοῦ πυρὸς εἰς ἀέρα, κατὰ θερμότητα, ἀπὸ δὲ τοῦ ἀέρος εἰς ὕδωρ, κατὰ ὑγρότητα. Πάλιν αὖ ἀήρ, θερμόν τε καὶ ὑγρόν, γῆ δὲ, ψυχρόν τε καὶ ξηρόν· ἐναντίον δὲ ξηρότης μὲν ὑγρότητι, ψυχρότης δὲ θερμότητι. οὐκ ἂν οὖν μετέβαλέ ποτε ἀὴρ εἰς γῆν, ὅτι μὴ τῆς φύσεως, καὶ τούτοις δούσης τὴν τοῦ ὕδατος οὐσίαν, διαιτῶσάν τε αὐτὰ καὶ ξυνά-

γουσαν

γῦσαν παρὰ μὲν ἀέρος λαβῦσαν τὴν ὑγρότητα, παρὰ δὲ γῆς, τὴν ψυχρότητα. σκόπει δὴ τὸ πᾶν ὕτως συγκεφαλαιωσάμενος βραχεῖ λόγῳ. Ἐπειδὴ ἕκαστον τῦτων ἐκ δύο συνίστηκε φύσεων ἐναντίων, οἷν ἀεὶ τὴν ἑτέραν ἀφαιρῶν μοῖραν, προστιθεὶς ἔπειτα τῇ ἑτέρα, καθ' ἥμισυ μὲν χωρίζεις ἑκατέρῳ ἑκάτερον, καθ' ἥμισυ δὲ συντάττεις ἑκατέρῳ ἑκάτερον, τῦτον τὸν τρόπον τὰ ἐναντία ἀλλήλοις ἄμικτα ὄντα, κοινωνεῖ ὅμως καὶ ἀνακιρνᾶται. Καὶ πῦρ ἀέρι κατὰ θερμότητα, καὶ ἀὴρ ὕδατι κατὰ ὑγρότητα, καὶ ὕδωρ γῇ κατὰ ψυχρότητα, καὶ γῆ πυρὶ κατὰ ξηρότητα. ὕτω κἀνταῦθα κοινωνεῖ θεὸς μὲν δαίμονι κατὰ τὸ ἀθάνατον, δαίμων δὲ ἀνθρώπῳ, κατὰ τὸ ἐμπαθές. ἄνθρωπος δὲ θηρίῳ κατὰ τὸ αἰσθητικόν, θηρίον δὲ φυτῷ, κατὰ τὸ ἔμψυχον. εἰ δὲ βύλει καὶ τὴν οἰκονομίαν τῦ σώματος θέασαι, ὡς ὐδὲ ἐνταῦθα ἡ φύσις μεταπηδᾷ ἀθρόως, ἀλλὰ καὶ ταύτῃ μεσοτήτων τινῶν δεῖ πρὸς τὴν χειραγωγίαν τῆς κράσεως τῶν σωμάτων.

Θρὶξ γὰρ ποῦ καὶ ὄνυξ, ὀϛοῦ μαλακώτερον καὶ νεύρου ἀραιότερον, καὶ αἵματος ξηρότερον, καὶ σαρκὸς τραχύτερον· σύνελόντι δὲ εἰπεῖν, παντὶ χρήματι, ἐν ᾧ τὸ ἡρμοσμένον καὶ τεταγμένον, μεσότητος δεῖ. Ἐν φωναῖς, ἐν χρόαις, ἐν χυμοῖς, ἐν σώμασιν, ἐν ῥυθμοῖς, ἐν σχήμασιν, ἐν πάθεσιν, ἐν λόγοις. εἶεν· οὕτω τούτων ἐχόντων, εἰ ὁ μὲν θεὸς ἀπαθὴς καὶ ἀθάνατος, ὁ δὲ ἄνθρωπος θνητός τε καὶ ἐμπαθής, ἀνάγκη τὸ διὰ μέσου τούτων, ἢ ἀπαθὲς θνητὸν εἶναι, ἢ ἀθάνατον ἐμπαθές, ὧν τὸ μὲν, ἀδύνατον, (οὐ γὰρ ἂν ξυνέλθοι ποτὲ οὐδέ ὁμολογήσαι τῷ θνητῷ τὸ ἀπαθὲς) λείπεται δὴ, τὴν δαιμόνων φύσιν ἐμπαθῆ τε εἶναι καὶ ἀθάνατον, ἵνα τοῦ μὲν ἀθανάτου κοινωνῇ τῷ θεῷ, τοῦ δὲ ἐμπαθοῦς, τῷ ἀνθρώπῳ.

§ 5. Sed ne cuipiam res hæc prolixe deſcripta tædio eſſe queat, mentem *Autoris* verbis Latinis, ſed in compendium redactis breviter exponemus. Vult ille, omne quod eſt animatum aut eſſe impatibile & immortale, aut patibile & immortale, aut patibile & mortale aut irrationale & ſenſibile,

aut

aut impatibile, & animatum; Deum vero eſſe immortalem & impatibilem, hominem mortalem & patibilem. Inter hos non poſſe intercedere communionem, neque inter ſe convenire poſſe tam diverſas natura res: opus igitur eſſe, ut ſit ſubſtantia quædam, quæ inter res has media ſit, & dum cum utraque aliquid commune habet, eas velut aliquo communi termino jungat. Inter hæc duo autem quod interjectum eſt, aut impatibile & mortale, aut immortale eſſe & patibile. Quorum cum alterum fieri non poſſit, nec convenire queat mortale & impatibile, reſtare, ut Dæmonum natura inter divinam & humanam media, patibilis & immortalis, illudque hoc cum Deo commune habere dicatur.

§ 6. Cæterum quomodo Dæmonum genus patibile & immortale ſit, mox ipſe quoque docere conatur, ſed ita tamen, ut credat (ſicut jam ſupra notavimus) ex animabus poſt mortem ſeparatis fieri Dæmones, in quo etſi forte quorundam, non tamen omnium aſſeclarum ſuorum calculum mereri poteſt, ac præcipue communi Præceptori adverſa- *loc. cit.*

tur. *Plato* enim ubi accurate agit de Dæmonibus, natura eos diverſos facit ab hominibus, & tales, quos oportuit cum toto mundo fuiſſe creatos. Si vero animæ a corpore ſeparatæ in Dæmones tranſlatæ ſunt, nullos antequam hæ e corpore diſceſſerunt, Dæmones fuiſſe neceſſe eſt. *in Epinom.* Inſuper ubi ille de naturali rerum ordine mundaniſque regionibus & incolis loquitur, tribuens ſupremam ætheriamque Diis cæléſtibus, aëriam Dæmonibus, ſicut nos infra oſtenſuri ſumus; videtur illi naturale eſſe, ut cum Deus crearet mundum, replens eum animalibus, ſimul impleverit cælum, ſimul aëra, ſimul aquas, ſimul terras. Quod ſi vera eſſent, quæ *Maximus Tyrius* diſputat, aër aliquandiu ſuis animalibus caruiſſet. Expectandum enim fuiſſet, dum probi homines vita functi Dæmonesque effecti, aëriam regionem complerent. Præterea cum *Plato* Dæmones humano generi datos eſſe cuſtodes paſſim inculcet, conſequeretur inde multos homines antequam animæ in Dæmonum naturam aſcenderent, fuiſſe ſine cuſtodibus. Taceo quod *l. 4. de Leg.* juxta eundem θεὸς φιλάνθρωπος ὢν,

τὸ

τὸ γένος ἄμεινον ὑμῶν ἐφίςη τὸ τῶν δαιμόνων, ſicut nos capris & bobus, non capras & boves præficimus, ſed homines, genus aliud & melius. l. 4. de Leg.

§. 7. Sed quicquid ſit iſtius rei, nunc *Maximum Tyrium* audiamus, qui Dæmonum immortalitatem ex eo ſe poſſe evincere putat, quia anima corpus a corruptione, ſi ei conjunctum eſt, tutum præſtet, adeoque ſic natura ejus habeat eſſe incorruptibilis: Τὸ φθειρόμενον πᾶν, ἢ διαλύεται, ἢ τήκεται, ἢ κόπἸεται, ἢ ῥύγνυται, ἢ μεταβάλλει καὶ τρέπεἸαι. ἢ διαλύεται, ὡς πηλὸς ὑπὸ ὕδατος. ἢ ῥύγνυται, ὡς ὑπὸ ἀρότρου γῆ ἢ τήκεἸαι, ὡς ὑπὸ ἡλίου, κηρὸς. ἢ κόπἸεται, ὡς ὑπὸ σιδήρου φυτόν. ἢ μεταβάλλει καὶ τρέπεἸαι, ὡς ὕδωρ εἰς ἀέρα, καὶ ἀὴρ ἐσ πῦρ. δεῖ δὴ τὴν οὐσίαν τοῦ δαιμονίου, εἰ μέλλει ἔσεσθαι ἀθάνατος, μὴ διαλύεσθαι, μὴ σκεδάννυσθαι, μὴ τρέπεσθαι, μὴ ῥήγνυσθαι καὶ μεταβάλλειν, μὴ κόπτεσθαι. Ἐι γὰρ πείσεται τι τούτων, ἀπολεῖ τὸ ἀθάνατον. Πῶς δ᾽ ἂν καὶ πάθοι, εἴπέρ ἐςι τὸ δαιμόνιον αὐτὸ, ψυχὴ ἀποδυσαμένη τὸ σῶμα, εἰ γὰρ τῷ σώματι τῷ φύσει φθειρομένῳ παρέχει τὸ μὴ φθείρεσθαι, ἡνίκ᾽ ἂν αὐτῷ συνῇ, πολλοῦγε δεῖ φθαρῆναι αὐτήν.

§ 8. Paſſibilitatem Dæmonum ex
eodem derivat fonte; quod nimirum
anima ſeparata cum de vita præteri-
ta cogitet; ſui miſereatur; cum de
præſenti, gaudeat; cum de anima-
bus in terris adhuc verſantibus, do-
leat, cum illis verſari, easque laban-
tes fulcire concupiſcat. Ἐπειδὰν γὰρ
l. cit. inquit; ἀπαλλαγῇ ψυχὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε,
ἀποδυ αμένη τὸ σῶμα, καὶ καταλιποῦσα
αὐτὸ τῇ γῇ φθαρησόμενον, τῷ αὐτῷ χρόνῳ
καὶ νόμῳ δαίμων ἀντ' ἀνθρώπου ἐποπτευει μὲν
αὕτη τὰ οἰκεῖα θεάματα καθαροῖς τοῖς ὀφ-
θαλμοῖς. Οἰκτείρουσα δὲ καὶ τὰς συγγενεῖς
ψυχὰς, αἳ περὶ γῆν στρέφονται ἔτι, καὶ ὑπὸ
φιλανθρωπίας ἐθέλουσα αὐταῖς συναγελά-
ζεσθαι καὶ ἐπανορθοῦν σφαλλομένας. Quin
& Dæmones iis rebus delectari, qui-
bus in vita addicti erant, affirmat;
idque illuſtrat exemplo Aſclepii, qui
Medicinam exercet; Herculis, qui ro-
bur; Bacchi, qui bacchatur; Amphi-
lochi, qui divinat; Caſtorum, qui na-
vigant; Minois, qui judicat; Achil-
lis, quem quidam in ſua inſula tripu-
dium ſaltantem militare, & cantan-
tem ad citharam, & convivio ſe exci-
pientem, præſente Patroclo & The-
tide, experti ſunt; Hectoris, quem
Ilienſes viderunt per campum ſaltan-
tem

tem ac arma vibrantem. Sed quid prohibet, quo minus ei, cui hactenus tam ſæpe aures dedimus, hac quoque vice non denegemus. Sic itaque ille: Ὡς γὰρ εἶχον φύσεως ὅτε περὶ γῆν ἦσαν, οὐκ ἐθέλουσι ταύτης παντάπασιν ἀπαλλάτλεσθαι. Ἀλλὰ καὶ Ἀσκληπιὸς ἰᾶται νῦν, καὶ ὁ Ἡρακλῆς ἰσχυρίζεται, καὶ Διόνυσος βακχέυει, καὶ Ἀμφίλοχος μανλεύεται, καὶ Διόσουροι ναυλίλλονται, καὶ Μίνως δικάζει, καὶ Ἀχιλλεὺς ὁπλίζεται, Ἀχιλλεὺς νῆσον οἰκεῖ εὐθὺ Ἴςρου κατὰ τὴν ποντικὴν θάλατλαν, Ἀχιλλέως ναὸς καὶ βωμοὶ Ἀχιλλέως. καὶ ἑκὼν μὲν οὐκ ἄν τις προσέλθῃ, ὅτι μὴ θύσων, θύσας δὲ ἐπιβαίνει τῆς νήσου· εἶδον ἤδη ναῦται πολλάκις ἄνδρα ἤϊθεον ξανθὸν τὴν κόμην, πηδῶντα ἐν ὅπλοις. τὰ ὅπλα χρυσᾶ, οἱ δὲ εἶδον μὲν οὐδαμῶς, ἤκουσαν δὲ παιανίζοντος· οἱ δὲ, καὶ εἶδον καὶ ἤκουσαν· ἤδη δέ τις καὶ κατέδαρθεν ἄκων ἐν τῇ νήσῳ, καὶ αὐτὸν Ἀχιλλεὺς ἀνίστησι, καὶ ἐπὶ σκηνὴν ἄγει, καὶ εὐωχεῖ· ὁ Πάτροκλος ὠνοχόει, Ἀχιλλεὺς ἐκιθάριζεν. Παρεῖναι δὲ ἔφη καὶ τὴν Θέτιν, καὶ ἄλλων δαιμόνων χορόν· Ὁ δὲ Ἕκτωρ κατὰ χώραν μένει, ὡς ὁ Ἰλιέων λόγος, καὶ φαντάζεται πηδῶν ἀνὰ τὸ πεδίον καὶ ἀστράπτων. l. cit.

§ 9. Atque hactenus Maximi ſcrinia excuſſimus; nunc quoque aliis, ne detractum eamus eorum autori-

toritati, ſuum aſſignabimus locum, ac quid illi de hiſce Geniorum prædicatis ſenſerint, inveſtigabimus. Et initio quidem, quod immortalitatem attinet, ne ea Dæmones Diis adæquent, plures illius conſtituunt gradus; quorum quinque *Proclus* recenſet, rerum perpetuarum, animarum particularium, divinarum animarum, Deorum, ac medio loco inter hos gradus Dæmonum immortalitatem locat: Vin ipſum audire? Πολλαὶ, ait, τῆς ἀθανασίας εἰσὶ παρ' αὐτῷ (Platonem intelligit) τάξεις, ἄνωθεν ἄχρι τῶν ἐσχάτων διήκουσαι. Καὶ ὅτι τὸ μὲν τελευταῖον ἀπήχημα τῆς ἀθανασίας ἐν τοῖς ἀϊδίοις τῶν φανερῶν. Ὃ δὴ καὶ ὁ Ελεάτης ξένος ἐν τοῖς περὶ τῆς ἀνακυκλήσεως λόγοις ἀθανασίας ἐπισκευαστὴς, μετειληχέναι φησὶν ἀπὸ τοῦ πατρός. Πᾶν γὰρ σῶμα καὶ τὸ εἶναι, καὶ τὸ ζῆν ἑτέρας αἰτίας ἠρτημένον ἔλαχεν. αὐτὸ δὲ ἑαυτὸ συνέχειν, ἢ κοσμεῖν, ἢ σώζειν οὐ πέφυκε. Τούτου δὲ ἐναργέστερον οἶμαι καὶ τελεώτερον, τὸ τῶν μερικῶν ψυχῶν ἀθάνατον. Ὃ δὴ καὶ ἐν Φαίδωνι πολλαῖς ἀποδείξεσι κατεδήσατο. Κἀν τῷ δεκάτῳ τῆς πολιτείας. λέγω δὲ αὐτὸ καὶ κυριώτερον, ὡς ἐν ἑαυτῷ τὴν αἰτίαν ἔχον τῆς αἰωνίου διαμονῆς. Πρὸ δὲ τούτων ἀμφοτέρων εἶναι τιθέν

in Theolog. Plat. c. 25. juxta al. 27.

θέντες τὴν τῶν δαιμόνων ἀθανασίαν, οὐκ ἂν ἁμάρτοιμεν. Ἀκήρατα γὰρ καὶ τὰ τούτων γένη, δι' ὧν ὑπέστησαν, καὶ οὔτε ῥέπουσιν εἰς τὸ θνητὸν, οὔτε αὖ ἀναπίμπλανται τῆς τῶν γινομένων τε, καὶ φθειρομένων φύσεως. τούτων δ' ἔτι σεμνοτέραν, καὶ κατ' οὐσίαν ὑπερέχουσαν εἶναι λογίζομαι τὴν τῶν θείων ψυχῶν ἀθανασίαν, ἃς δὴ καὶ πρώτως αὐτοκινήτως εἶναι φαμὲν, καὶ πηγὰς, καὶ ἀρχὰς τῆς περὶ τοῖς σώμασι μεριζομένης ζωῆς, δι' ἣν καὶ αὐτὰ τῆς ἐπισκευαστῆς ἀθανασίας μετείληχεν. εἰ αὖ δὴ καὶ περὶ τούτων αὐτοὺς τοὺς θεοὺς, καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς ἀθανασίαν ἐννοήσειας, καὶ ὅπως ἐν Συμποσίῳ, τῆς τοιαύτης ἀθανασίας οὐδὲ τοῖς δαίμοσιν ἡ Διότιμα μεταδίδωσιν, ἀλλ' ἐν μόνοις αὐτὴν ἀφορίζεται τοῖν θεοῖς.

§. 10. Quanquam immortalitas Geniorum in dubium vocatur apud *Plutarchum*, ubi *Cleombrotus Heſiodum* introducit certis temporum converſionibus mortem Geniis obtingere recenſentem, & tempus etiam vitæ ſub involucro proponentem: quod tempus in annos IXCIƆIƆCCXX ſeſe extendere dicitur. *Lib. de defect. orac.* Ὁ δὲ Ἡσίοδος, inquit, οἴεται καὶ περιόδοις τισὶ χρόνων γίνεσθαι τοῖς δαίμοσι τὰς τελευτάς, λέγει γὰρ ἐν τῷ τῆς Ναΐδος προσώπῳ, καὶ τὸν χρόνον αἰνιττόμενος.

Ἐννέα

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἐνδρῶν ἡβώντων ἔλαφος δέ τετρακόρωνος.
Τρεῖς δ᾽ ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται, αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ.
Ἐννέα τοὺς κόρακας. δέκα δ᾽ ὑμεῖς τοὺς φοίνικας
Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Τοῦτον τὸν χρόνον εἰς πολὺ πλῆθος ἀριθμοῦ συνάγουσιν οἱ μὴ καλῶς δεχόμενοι τὴν γενεάν. Ἔστι γὰρ ἐνιαυτὸς· ὥστε γίνεσθαι τὸ σύμπαν ἐννεακισχίλια ἔτη καὶ ἑπτακόσια καὶ εἴκοσι τῆς τῶν δαιμόνων ζωῆς. Ἔλαττον μὲν οὖν νομίζουσιν οἱ πολλοὶ τῶν μαθηματικῶν, πλέον δ᾽ οὔ. Πένδαρος ὃ εἴρηκεν, εἰπὼν τὰς Νύμφας ζῆν ἰσοδένδρου τέκμωρ αἰῶνος λαχούσας, διὸ καὶ καλεῖν αὐτὰς ἁμαδρυάδας. Cumque hoc Heracleo θρασύτερον καὶ βαρβαρικώτερον, dictum putaret, Philippus mortem Geniorum exemplo probat *Panos Magni*, cujus mortem apud Palodem nunciare juſſus eſt improviſa voce Thamus (*Euſebius* & *B. Dorſcheus Thramnum* legunt, Thomas Bangius* etiam Thamnum) navarcha, cum Paxas præternavigaret; quod cum feciſſet, nuncium ejus multorum gemitu ac ejulatu exceptum erat, hancque mortem fama etiam Romam

l. 5. de præpar. c. 9
panegyr ad mirandor mortisChriſti. init.
* *in Cælo Orient. exercit. 1. aſſert 3.*

Romam detulerat, ac Thamus a Tiberio Cæſare vocatus ipſi mirandæ famæ fidem fecerat. Plenius ille: Περὶ δὲ θανάτου τῶν τοιούτων (δαιμόνων) ἀκήκοα λόγον ἀνδρὸς οὐκ ἄφρονος οὐδ' ἀλάζονος. Αἰμιλιανοῦ γὰρ τοῦ ῥήτορος, οὗ καὶ ἡμῶν ἔνιοι διακηκόασιν, Ἐπιθέρσης ἦν πατὴρ, ἐμὸς πολίτης, καὶ διδάσκαλος γραμματικῶν. οὗτος ἔφη, ποτὲ πλέων εἰς Ἰταλίαν ἐπιβῆναι νεὼς, ἐμπορικὰ χρήματα καὶ συχνοὺς ἐπιβάτας ἀγούσης. Ἑσπέρας δὲ ἤδη περὶ τὰς Ἐχινάδας νήσους ἀποβῆναι τὸ πνεῦμα, καὶ τὴν ναῦν διαφερομένειν πλησίον γενέσθαι Παξῶν. ἐγρηγορέναι δὲ τοὺς πλείστους, πολλοὺς δὲ καὶ πίνειν ἔτι δεδειπνηκότας. ἐξαίφνης δὲ φωνὴν ἀπὸ τῆς νήσου Παξῶν ἀκουσθῆναι, Θαμοῦν τινος, βοῇ καλοῦντος, ὥστε θαυμάζειν. ὁ δὲ Θαμοῦς Αἰγύπτιος ἦν κυβερνήτης, οὐδὲ τῶν ἐμπλεόντων γνώριμος πολλοῖς ἀπ' ὀνόματος. δὶς μὲν οὖν κληθέντα σιωπῆσαι, τὸ δὲ τρίτον ὑπακοῦσαι τῷ καλοῦντι. Κἀκεῖνον ἐπιτείναντα τὴν φωνὴν εἰφεῖν ὅτι. Ὁπόταν γένῃ κατὰ τὸ Παλῶδες, ἀπάγγειλον ὅτι Πὰν ὁ μέγας θέθνηκε. τοῦτ' ἀκούσαντας ὁ Ἐπιθέρσης ἔφη πάντας ἐκπλαγῆναι, καὶ διδόντας ἑαυτοῖς λόγον, εἴτε ποιῆσαι βέλτιον εἴη τὸ προστεταγμένον, εἴτε μὴ πολυπραγμονεῖν, ἀλλ' ἐᾶν οὕτως, γνῶναι τὸν Θαμοῦν, ἐὰν μὲν ᾖ πνεῦμα, παραπλεῖν ἡσυχίαν ἔχοντα, νημεμίας δὲ καὶ γαλη- l. cit. init. §.

γαλήνης περὶ τὸν τόπον γενομένης, ἀνειπεῖν ὃ ἤκουσεν. ὡς οὖν ἐγένετο κατὰ τὸ Παλῶδες, οὔτε πνεύματος ὄντος, οὔτε κλύδωνος, ἐκπρύμνης βλέποντα τὸν Θαμοῦν πρὸς τὴν γῆν εἰπεῖν, ὥσπερ ἤκουσεν, ὅτι ὁ μέγας Πὰν τέθνηκεν. οὐ φθῆναι δὲ παυσάμενον αὐτὸν, καὶ γενέσθαι μέγαν οὐχ' ἑνὸς ἀλλὰ πολλῶν στεναγμὸν, ἅμα θαυμασμῷ μεμιγμένον. Οἷα δὲ πολλῶν ἀνθρώπων παρόντων, ταχὺ τὸν λόγον ἐν Ῥώμῃ σκεδασθῆναι, καὶ τὸν Θαμοῦν γενέσθαι μετάπεμπτον ὑπὸ Τυβερίου Καίσαρος. οὕτω δὲ πιστεῦσαι τῷ λόγῳ τὸν Τιβέριον, ὥστε διαπυνθάνεσθαι καὶ ζητεῖν περὶ τοῦ Πανός.

§. 11. Paſſibilitatem Geniorum
In Epinom. quod ſpectat, ipſe *Plato* perhibet Dæmones τὸν καλὸν ἡμῖν καὶ ἀγαθόν ἅμα θαυμαςῶς ἀσπάζεσθαι, καὶ τὸν σφόδρα κακὸν μισεῖν, καὶ λύπης μετέχεσθαι. Et
de Deo clarius *Apuleius* teſtatur, ſe propte-
Socrat. rea vocaſſe Dæmones animalia *paſ-*
p. 49. *ſiva, quia ſunt iisdem, quibus nos perturbationibus mentis obnoxii.* Qui & paullo ante: *Ex hoc ferme Dæmonum numero* inquit, *Poëtæ ſolent, haud quaquam procul a veritate, oſores & amatores quorundam hominum Deos fingere. Hos proſperare & evehere; illos contra adverſari & affligere. Igitur & miſe-*

veri, & indignari, & angi, & lætari, omnemque humani animi faciem pati; ac ſimili motu cordis & ſalo mentis ad omnes cogitationum æſtus fluctuare. Ac mox hoc ipſo differre Dæmones a Diis, haud obſcure innuit, cum pergit: *Quæ omnes turbelæ tempeſtateſque procul a Deorum cæleſtium tranquillitate exulant. Cuncti enim cælites, ſemper eodem ſtatu mentis, æterna æquabilitate potiuntur, quæ nunquam illis nec ad dolorem verſus, nec ad voluptatem, finibus ſuis pellitur: nec quoquam a ſua perpetua ſecta ad quempiam ſubitum habitum dimovetur, nec alterius vi; nam nihil eſt Deo potentius; neque ſuapte ſponte, nam nihil eſt Deo perfectius. Porro autem qui poteſt videri perfectus fuiſſe, qui a priore ſtatu ad alium rectiorem ſtatum migrarit? cum præſertim nemo ſponte capeſſat nova, niſi quem pœnituir priorum. Non enim poteſt ſubſequi illa mutatio,* (al. *mutata ratio*) *ſine præcedentium infirmatione. Quapropter debet Deus nullam perpeti vel operis, vel amoris, temporalem perfunctionem: & idcirco nec indignatione, nec miſericordia contingi, nullo angore contrahi, nulla alacritate geſtire; ſed ab omnibus paſſioni-*

bus

bus liber, nec dolere unquam, nec aliquando lætari, nec aliquid repentinum velle vel nolle. Sed & hæc cuncta, & id genus cætera, Dæmonum mediocritati rite congruunt. Nam, proinde ut nos, pati poſſunt omnia animarum placamenta vel incitamenta; ut ira incitentur, & miſericordia flectantur, donis invitentur, precibus leniantur, contumeliis exaſperentur, honoribus mulceantur, aliisque omnibus ad ſimilem nobis modum varientur.

de oracular. defect. § 12. Similiter *Plutarchus* tradit eſſe naturas quasdam, motibus, quibus mortalia afficiuntur, mutationibuſque obnoxias neceſſariis, quas Genios appellare & colere rectum ſit. Δεδείξεται, ait μετὰ μαρτύρων σοφῶν καὶ παλαιῶν, ὅτι φύσεις εἰσί τινες ὥσπερ ἐν μεθορίῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων, δεχόμεναι πάθη θνητὰ καὶ μεταβολὰς ἀναγκαίας· οὓς δαίμονας ὀρθῶς ἔχει κατὰ νόμον πατέρων ἡγουμένους ἢ ὀνομάζοντας σέβεσθαι. Subjungit dein, eorum naturam humanas in ſe habere affectiones, juxtaque vim divinam; ejusque rei cauſa exemplum affert *Xenocratis*, ſumptum a triangulo. Παράδειγμα δὲ τῷ λόγῳ Ξενοκράτης μὲν ὁ Πλάτωνος ἑταῖρος ἐποιή-

σατο

σατο τὸ τῶν τριγώνων, θείῳ μὲν ἀπεικάσας τὸ ἰσόπλευρον, θνητῷ δὲ τὸ σκαληνὸν, τὸ δὲ ἰσοσκελὲς δαιμονίῳ, τὸ μὲν γὰρ ἴσον πάντη, τὸ δ' ἄνισον πάντη. τὸ δὲ, πῆ μὲν ἴσον, πῆ δ' ἄνισον, ὥσπερ ἡ δαιμόνων φύσις, ἔχουσα καὶ πάθος θνητοῦ, καὶ θεοῦ δύναμιν. Mox & Lunam Dæmonum ſimulacrum inducit, quod cum eorum mutationibus conveniat ob vices incrementorum & decrementorum. Alibi ipſis quidem tribuit naturam divinam, non tamen ſinceram aut puram, ſed quæ animæ natura corporiſque ſenſu comprehenſa, voluptatis eſſet dolorisque capax; aliisque affectionibus ac mutationibus obnoxia; quibus alii magis, alii minus perturbantur. Scilicet δαίμονας καὶ Πλάτων καὶ Πυθαγόρας, καὶ Ξενοκράτης, καὶ Χρύσιππος, ἑπόμενοι τοὺς πάλαι Θεολόγους ἐρρωμενεστέρους μὲν ἀνθρώπων γεγονέναι λέγουσι, καὶ πολλῇ τῇ δυνάμει τὴν φύσιν ὑπερφέροντας ἡμῶν, τὸ δὲ θεῖον οὐκ ἀμιγὲς, οὐδὲ ἄκρατον ἔχοντας, ἀλλὰ καὶ ψυχῆς φύσει καὶ σώματος αἰσθήσει ἐν συνειληχὸς, ἡδονὴν δεχομένην καὶ πόνον, καὶ ὅσα ταύταις ἐγγενόμενα ταῖς μεταβολαῖς πάθη, τοὺς μὲν μᾶλλον, τοὺς δὲ ἧττον ἐπιταράττει. Ac, quod mireris, ut in hominibus, ita

l de Iſid. & Oſir.

l. cit. etiam inter Dæmones eſſe ἀρετῆς διαφορὰς καὶ κακίας diſerte affirmat.

§ 13. Proprium Geniorum prædicatum, ut ex *Apuleio* ſupra cognovimus, quod tamen eorum medietatem non parum juvat, eſt, quod corpore ſint aërii, ἐξ ἀέρος, ἀέριον γένος, ut *Plato* juxta ſenſus omnium ante & poſt eum Philoſophorum, ut quidem *Steuchus*, ſed falſo, exiſtimat, vocat; hoc eſt, ut *Apulejus* mentem Præceptoris exponit, quod Dæmonum corpora ſint *ex illo puriſſimo aëris liquido & ſereno elemento coalita*. Ac putat *Auguſtinus Steuchus* etiam *Ariſtotelem* ſpectaſſe publicam hanc de Dæmonibus ſententiam, idemque ſentire. Ubi enim *Apulejum* Dæmones definientem induxiſſet, ſubjungit: *Hanc Ariſtoteles priſcorum ſuperiorumque Theologorum ſententiam declarans, & ſentiens idem atque illi, de Dæmonibus in quarta Metaphiſ. ſcribit: Subſtantia*, inquit, *dicuntur ſimplicia corpora, ut terra, ignis, aqua, & id genus, omninoque corpora, & ea, quæ ex his conſtant*, ζῶά τε καὶ δαιμόνια, καὶ τὰ μόρια τούτων, *animalia & Dæmonia, & partes horum. Ecce igitur aſſerit, Dæmonia conſtare ex elementis, quemadmodum & animalia. Quo*

In Epinom.

l. 8. c. 21. de peren. Philoſoph.

l. de Deo Socrat. pag. 47.

l. 8. de per. Phil. c. 26.

Quo autem elemento, quove corpore conſtent, eorum quis locus, aut regio, quæ gens item Dæmones, in primo de anima cum ſuperioribus conſentiens: Ἐπιζητήσειε γὰρ ἄν τις, καὶ διὰ τίνα αἰτίαν ἡ ἐν τῷ ἀέρι ψυχὴ, τῆς ἐν τοῖς ζώοις βελτίων ἐστὶ καὶ ἀθανατωτέρα. Quæ an recte a *Steucho* affirmentur, atque an *Stagiritá* præter Intelligentias alios etiam Genios agnoverit ac docuerit, diſpiciemus, quando de Geniis cæleſtibus acturi ſumus. An vero ex Platonicorum mente hæc corpora ex ſolo aëre, an & alterius elementi quippiam admixtum habeant, ut rurſus *Steuchus* arbitratur, equidem tam certum, ut de eo amplius dubitari neutiquam poſſit, non eſt. Quamvis forte quis exiſtimare poſſet; *Platonem* a *Steuchi* ſententia non multum abeſſe. Cum enim ætheriorum animalium generationem deſcribit, de iis hunc in modum loquitur: Αἰθέρα μὲν γὰρ μετὰ τὸ πῦρ θῶμεν, ψυχὴν δ᾽ ἐξ αὐτοῦ τιθῶμεν πλάττειν ζῶα δύναμιν ἔχοντα, ὥσπερ τῶν ἄλλων γένων, τὸ πολὺ μὲν τῆς αὐτοῦ φύσεως. τὰ δὲ σμικρότερα, ξυνδέσμου χάριν, ἐκ τῶν ἄλλων. His immediate ſubjicit animalia aëria, quæ Dæmones dicit, & aquea. *In Epinom.*

§. 14. Etſi vero Platonici Dæmonibus tribuerunt corpora; ordinarie tamen ea inviſibilia ob tenuitatem putarunt. Clariſſime *Apulejus:* *Dæmonum corpora nulli hominum temere viſibilia, niſi divinitus ſpeciem ſui offerant; quod nulla in illis terrena ſoliditas locum luminis occupaverit, qui noſtris oculis poſſit obſiſtere, qua ſoliditate neceſſario offenſa acies immoretur; ſed fila corporum poſſident rara, & ſplendida, & tenuia, usque adeo, ut radios omnes noſtri tuoris & raritate transmittant; & ſplendore reverberent, & ſubtilitate fruſtrentur.* Hæc, quæ dixit, mox exemplis confirmat. *Hinc* ait, *illa Minerva Homerica, quæ mediis cœtibus Grajum cohibendo Achilli intervenit; verſum Græcum, ſi pauliſper operiamini Latine enunciabo, atque adeo hic ſit impræſentiarum. Minerva igitur, ut dixi, Achilli moderando, juſſu Junonis advenit.*

l. cit.

Soli perſpicua eſt, aliorum nemo tuetur.

Hinc & illa Virgiliana Juturna, quæ mediis millibus auxiliabunda fratri converſatur.

-- miſ-

------ *miſcetque viros, nec cernitur ulli.*

Unde juxta *Platonem* Dæmonum genus, παρὸν δὴ πλησίον, ὃ καὶ δῆλον ἡμῖν γίγνεσθαι dicitur. Genii etiam *Porphyrio* ἀόρατον, καὶ τελέως ἀναίσθητοι αἰσθήσεσιν ἀνθρωπίναις.

In Epinom. lib. 2. de abſtin. § 39.

§ 15. Ex hac Platonicorum ſchola fortaſſe an *Origenes* (fuit enim Platonicus, & cum Platonicis familiariter converſabatur, ſicut de eo teſtatur *Prophyrius*) ſuam opinionem hauſit, qui Angelis clare tribuit corpora, non palpabilia quidem, ſubtilia tamen, & tenuia inſtar auræ: cujusmodi quæ ſunt, ea a ſimplicioribus ait incorporea vocari, quia non videantur, nec urgenti reſiſtant. Cui opinioni & *Macarius* aſſentitur aliique plures, * *Elmenhorſtio* laudati. Quanquam *Damaſcenus* hæc eos ſcripſiſſe putet reſpectu Dei, ad quem facta collatione angeli non ſint plane incorporei. *Auguſtinus* etiam multis in locis, (in quibus eum ex propria ſententia locutum eſſe vult *Ludovicus Vives*) calculum ſuum addere, & Angelis corpus aërium & ſubti-

In vita P.otini. In prol. lib. περὶ ἀρχῶν. *Hom. 4.* * *in notis ad Gennad. p. 129. l. 2. de orthod. fid. c. 3. de devinat. dam c. 3. 5 de Genes. ad lit. l. 3. c. 10 Enchirid. ad Laurent c. 49. epiſt. 91. ad Fortun & 115 ad Nebrid. l. 2. Retract. c. 26. comm. ad l. 15. c. 23 de C. D.*

l. 21. de C. D. c. 10.
† part. 1. Philoſ. Sobr ſect 4. ti quæſt. 1.

ſubtile tribuere videtur: qui alibi tamen fluctuantem ſuum animum non veretur profiteri. Ac Patrum formulas loquendi excuſare nititur † B. Meisnerus. Id e ſacris Pandectis liquere arbitror, Angelos in corporibus apparuiſſe, quæ corpora ex aëre condenſato, ſeu ſolo, ſeu craſſiori alicui ſubſtantiæ permixto, facta & aſſumta, peractoque opere, cujus gratia aſſumta erant diſſipata, non autem propria fuiſſe, aut permanſiſſe, probabile certumque judicat venerabilis Theologorum chorus; in cujus judicio merito nunc acquieſcimus.

CAPUT TERTIUM.

Locus Dæmonum juxta Platonicos aër. Medietas naturæ & loci eorum ſe in vicem conſequntur. Medietas loci a Platonicis probatur, quod nullum elementum ſit ſine ſuis animalibus. Pluribus hæc opinio communis. Aves, Apuleii ſententia, pro loco proprio non habent aëra. Niſi Genii ſint in aëre, omne commercium inter Deos & homines tolli, creditum. De ea ſententia Plutarchi locus Illuſtris. Judicium Auguſtini de definitione Dæmonum

monum Apulejana Eam contradictionem involvere oſtenditur, & tota Exercitatio concluditur.

§ I.

Hactenus medietatem naturæ Dæmonum, & quæ eo referuntur, penſitavimus; ſequitur nunc altera medietas, quam a loco inter Deos hominesque medio, quem aëra dixerunt, deſumi, ſupra dictum eſt. Atque ex hac illam, & ex illa hanc derivare audet *Apuleius*, utpote cujus ſententia, *pro loci medietate temperanda eſt* Dæmonum *media natura*, *ut ex regionis ingenio ſit & cultoribus ejus ingenium. Cedo*, ait, *mente formemus: & gignamus animo id genus corporum tertia, quæ neque ſint tam bruta quam terrea, neque tam levia quam ætherea, ſed quodammodo utrinque ſejugata. Vel* (al. *velut*) *enim utrinque commixta ſint, ſive amolita*, (ſic MSS. Codd. & Edd. vett. Scaliger emendat *molita*:) *ſeu modificata utriusque rei participatione. Sed facilius ex utroque, quam ex neutro intelligentur. Habent igitur hæc Dæmonum corpora & modicum ponderis, ne ad ſu-* *l. de Deo Socrat. pag. 47.*

perna incedant. (al. *inſcendant*) *aliquid levitatis, ne ad inferna præcipitentur.* Deinceps, ne videatur aliquid confingere, exemplum ſubjicit libratæ hujus medietatis a nubibus petitum, quod apud ipſum videri poteſt.

§ 2. Probant inſuper ſuam opinionem Platonici ex eo, quod nullum elementum ſit ſine animalibus, adeoque nec aër, in quo alia animalia, niſi Dæmones, non ſunt. Facem præluxit iis ipſe *Magiſter.* Apertius *Apulejus: Cum quatuor ſint elementa notiſſima, veluti quadrifariam natura magnis partibus diſterminata, ſintque* (ſic legendum videtur) *propria animalia terrarum & flammarum* (*ſiquidem Ariſtoteles autor eſt, in fornacibus flagrantibus quædam propria animalia pennulis apta volitare, totumque ævum ſuum in igni diverſari, cum eo exoriri, cumque eo extingui:*) *præterea cum tot vaga ſidera, ſurſum in æthere, hoc eſt, in ipſo liquidiſſimo ignis ardore compareant, cur hoc ſolum quartum* (al. *ex quatuor*) *elementum aëris, quod tanto ſpatio interſitum eſt, caſſum ab omnibus, deſertumque a cultoribus ſuis, natura pateretur? quin in eo quoque aëre animalia gignerentur, ut in igni flam-*

in Epinom. l. cit. pag. 46.

flammida, *in undis fluxa*, *in terra glebulenta*? Ac videtur hæc opinio plurimorum gentilium fuiſſe.

Ne regio foret ulla ſuis animalibus orba. *Ovid. l. 1. Metamor. fab. 2.*

Fallor, an de hiſtoria creationis Moſaica aliquid quocunque modo perceperunt, quod poſt Diabolo omnia divina dogmata pervertente, paulatim in deteriorem ſententiam verſum.

§ 3. Sed quia opponi poſſet *Ovidius*; apud quem.

Aſtra tenent cæleſte ſolum formæque Deorum. *l. cit.*

Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ:

Terra feras cæpit, volucres agitabilis aër.

Negat *Apulejus* aëra recte avibus aſſignari. *Quia aves*, inquit, *aëri attribuat*, *falſum ſententiæ meritiſſimo dixeris. Quippe quum avis nulla earum ultra Olympi verticem ſublimatur, qui cum excellentiſſimus* (Colv. em. *excelſiſſimus*) *omnium perhibeatur*, *tamen altitudinem perpendiculo ſi metiare*, *ut Geometræ autumant*, *ſtadia decem altitudo faſtigii non æquiparat*, *cum* *loc. cit.*

ſit aëris augmentum immenſum usque ad citima lunæ helicenque, (ſic Elmenh. Alii *felicemque*. vel *falcemque*. Locus haud dubie corruptus) *porro ætheris ſurſum verſus exordium eſt. Quid igitur tanta vis aëris, quæ ab humillimis lunæ anfractibus usque ad ſummum Olympi verticem interjacet? Quid tandem? vacabitne animalibus ſuis, atque erit iſta naturæ pars mortua ac debilis? Imo enim ſi ſedulo advertas, ipſæ quoque aves terreſtre animal, non aërium, rectius perhibeantur. Eſt enim ſemper illis victus omnis in terra, ibidem pabulum, ibidem cubile; tantum quod aëra proximum terræ volitando transverberant. Cæterum cum illis feſſa ſunt remigia pennarum, terra ceu portus eſt.*

§ 4. Denique & inde ſuæ opinioni robur arceſſunt, quod alioquin omne inter Deos & homines tollatur commercium. Etenim putarunt *Deos ab hominibus plurimum differentes, loci ſublimitate, vitæ perpetuitate, naturæ perfectione, nullo inter ſe propinquo communicatu; cum & habitacula ſumma ab infimis tanta intercapedine faſtigii diſpeſcant; & vivacitas illic æterna & indefecta ſit, hic caduca & ſubſiciva; & ingenia illa ad beati-*

Apuleius l.c.pag.44.

tudi-

tudinem ſublimata ſint, hæc ad miſerias infirmata. Quia quoque *Platonis* ſententia erat, *nullum Deum miſceri hominibus*: (*quod quidem mirari ſuper his immortalibus nequaquam congruerit, cum alioquin & inter homines, qui fortunæ munere opulentia elatus, & usque ad regni mutabile ſuggeſtum & pendulum tribunal erectus eſt, raro aditus, & longe remotis arbitris in quibusdam dignitatis ſuæ penetralibus degens. Parit enim converſatio comtemptum, raritas conciliat admirationem*;) poſſet quis in eam deduci opinionem, res humanas a Diis non regi, fruſtra ſe preces fundere, victimas cædere, nec ſe magis a Jove exaudiri, quam a lapide. Sed *reſponderet*, inquit *Apulejus*, *Plato pro ſua ſententia, mea voce. Non usque adeo*, inquit, *ſejunctos & alienatos a nobis Deos prædico, ut ne vota quidem noſtra ad illos arbitrer pervenire. Neque enim illos ſacris* (MSS. *ſacra.* Unde Schoppius leg. *a cura*) *rerum humanarum, ſed a contrectatione ſola removi. Cæterum ſunt quædam divinæ mediæ poteſtates, inter ſummum æthera & infimas terras, in iſto interſito aëris ſpatio, per quas & deſideria noſtra, & merita ad Deos commeant. Has Græco nomine δαί-*

Apul. ibid.

loc. cit. p. 45.

μονας

μονας nuncupant, inter terricolas cælicolasque vectores, hinc precum, inde donorum: qui ultro citroque portant, hinc petitiones, inde ſuppetias, ceu quidam utrinque interpretes & ſalutigeri.

§ 5. Locus *Platonis* ab *Apuleio* citatus, niſi me omnia fallunt, hic eſt: Πᾶν τὸ δαιμόνιον μέταξυ ἐςὶ θεȣ̃ τε καὶ θνητȣ̃. Τίνα (ἦν δ' ἐγὼ) δύναμιν ἔχον; Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν. Ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥςε τὸ πᾶν αὐτὸ αὐτῷ ξυνδέδεσθαι. Alibi quoque non abludit, ſic ſcribens. Δαίμονας, ἀέριον δὲ γένος, ἔχον ἕδραν τρίτην καὶ μέσην, τῆς ἑρμηνείας αἴτιον, εὐχαῖς τιμᾶν μάλα χρεὼν, χάριν τῆς εὐφήμȣ διαπορείας: Dæmones enim deſideria noſtra ad Deos perferre facile poſſunt, tanquam τὰ μέσα τῶν ζώων ἐπί τε γῆν, καὶ ἐπὶ τὸν ὅλον ȣρανὸν ἐλαφρᾷ φερόμενα ῥύμῃ Quo de officio ſuo tempore plura.

in Conviv. *in Epinom.* *ibid.*

§ 6. *Plutarchus* quoque hanc ſententiam eximie commendat. Ubi enim difficile pronunciaſſet intelligere providentiam, mox ſubjicit: Ἐμοὶ δὲ δοκȣ̃σι πλείονας λῦσαι καὶ μείζονας ἀπο-

de defect. oracul.

ἀπορίας οἱ τὸ τῶν δαιμόνων γένος ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων, καὶ τρόπον τινὰ τὴν κοινωνίαν ὑμῶν συνάγον εἰς ταυτὸ καὶ συνάπτον ἐξευρόντες Progreditur dein, & primos hujus ſententiæ varios Autores nomininari, docet: Εἴτε Μάγων τῶν τε περὶ Ζωροάστρην ὁ λόγος οὗτός ἐστιν, εἴτε Θρᾴκιος ἀπ' Ὀρφέως, εἴτ' Αἰγύπτιος, ἢ Φρύγιος ὡς τεκμαιρόμεθα ταῖς ἑκατέρωθι τελεταῖς ἀναμεμιγμένα πρὸς τὰ θνητὰ καὶ πένθιμά τινα τῶν ὀργιαζομένων, καὶ δρωμένων ἱερῶν ὁρῶντες.. Denique quæ dixit, hoc ſimili illuſtrat: ὥσπερ εἰ τὸν ἀέρα τὶς ἀνέλοι καὶ ὑποσπάσειε τὸν μεταξὺ γῆς καὶ σελήνης τὴν ἑνότητα διαλύσει, καὶ τὴν κοινωνίαν τοῦ παντὸς, ἐν μέσῳ κενῆς καὶ ἀσυνδέτου χώρας γινομένης· οὕτως οἱ δαιμόνων γένος μὴ ἀπολείποντες, ἀνεπίμικτα τὰ τῶν θεῶν καὶ ἀνθρώπων ποιοῦσι, καὶ ἀσυνάλλακτα, τὴν ἑρμηνευτικὴν (ὡς Πλάτων ἔλεγεν) καὶ διακονικὴν ἀναιροῦντες φύσιν, ἢ πάντα φύρειν ἅμα καὶ ταράττειν ἀναγκάζουσιν ἡμᾶς τοῖς ἀνθρωπίνοις πάθεσι καὶ πράγμασι τὸν θεὸν ἐμβιβάζοντας, καὶ κατασπῶντας ἐπὶ τὰς χρείας.

§ 7. Atque hæc eſt definitio Dæmonum Apulejana, ejusque ſecundum Platonicos expoſitio. De qua definitione placet adducere judicium *Auguſtini*. Sic igitur ille: *Breviter eos* (Dæmones) *definiens* (Apulejus) *ait*: *Da-* l. 7. de vid. Dei 16.

Dæmones eſſe genere animalia, animo paſſiva, mente rationalia, corpore aëria, tempore æterna. Horum vero quinque tria priora illis eſſe nobiſcum communia, quartum proprium, quintum eos cum Diis habere commune. Sed video trium ſuperiorum quæ nobiſcum habent, duo etiam cum Diis habere. Animalia quippe eſſe dicit & Deos, qui ſua cuique elementa diſtribuens, in terreſtribus animalibus homines poſuit cum cæteris, quæ in terra vivunt, & ſentiunt: in aquatilibus piſces & alia natatilia: in aëriis Dæmones: in ætheriis Deos. At per hoc quod Dæmones genere ſunt animalia, non ſolum eis cum hominibus, verum etiam cum Diis pecoribusque commune eſt; quod mente rationalia, cum Diis & hominibus: quod tempore æterna, cum Diis ſolis: quod animo paſſiva, cum hominibus ſolis: quod corpore aëria, ipſi ſunt ſoli. Proinde quod genere ſunt animalia, non eſt magnum: quia hoc ſunt & pecora: quod mente rationalia, non eſt ſupra nos, quia ſumus & nos. Quod tempore æterna, quid boni eſt, ſi non beata? Melior enim temporalis felicitas, quam miſera æternitas. Quod animo paſſiva, quomodo ſupra nos eſt? quando & nos hoc ſumus, nec ita eſſet niſi miſeri eſſemus. Quod cor-

corpore aëria, quanti æſtimandum eſt, cum omni corpori præferatur animæ qualiſcunque natura? Et ideo religionis cultus, qui debetur ex animo, nequaquam debetur ei rei, quæ inferior eſt animo. Porro ſi inter illa quæ Dæmonum eſſe dicit, annumeraret virtutem, felicitatem, & hæc eos diceret habere cum Diis æterna atque communia, profecto aliquid diceret exoptandum magnique pendendum: nec ſic eos tamen propter hæc tanquam Deum colere deberemus; ſed potius ipſum, a quo hæc illos accepiſſe noſſemus. Quanto minus nunc honore divino aëria digna ſunt animalia: ad hoc rationalia, ut miſera eſſe poſſint, ad hoc paſſiva, ut miſera ſint: ad hoc æterna, ut miſeriam ſuam finire non poſſint. Qua propter ut omittam cætera, & hoc ſolum pertractem, quod nobiſcum Dæmones dixit habere commune, id eſt, animi paſſiones, ſi omnia quatuor elementa ſuis animalibus plena ſunt, immortalibus ignis & aër, mortalibus aqua & terra: quæro cur animi Dæmonum paſſionum turbellis & tempeſtatibus agitentur? Perturbatio enim eſt quæ græce πάθος dicitur, (unde illa voluit vocare ANIMO PASSIVA: quia verbum de verbo PATHOS, paſſio diceretur;) motus animi contra ratio-

nem

nem. Cur ergo ſunt iſta in animis Dæmonum, quæ in pecoribus non ſunt? Quoniam ſi quid in pecore ſimile apparet, non eſt perturbatio, quia non eſt contra rationem, qua pecora carent. In hominibus autem, ut ſint iſtæ perturbationes, facit hoc ſtultitia vel miſeria. Nondum enim ſumus in illa perfectione ſapientiæ beati, quæ nobis ab hac mortalitate liberatis in fine promittitur. Deos vero ideo dicunt iſtas perturbationes non perpeti, quia non ſolum æterni, verum etiam beati ſunt. Easdem quippe animas rationales etiam ipſos habere perhibent, ſed ab omni labe & peſte puriſſimas. Quamobrem ſi propterea Dii non perturbantur, quod animalia ſunt beata, non miſera: & propterea pecora non perturbantur, quod animalia ſunt, quæ nec beata poſſunt eſſe nec miſera: reſtat ut Dæmones ſicut homines ideo perturbentur, quod animalia ſunt non beata, ſed miſera.

Vid. l. 8. c. 15. 17. 18. 21. 22. l. 9. c. 3. 6. 7. 8. 10. 11. &c.

§ 8. Plura ſunt apud eum, quibus paſſim invehitur in Platonicorum de Dæmonibus ſententiam, quæ nos brevitatis ſtudio nunc prætermus. Et ſane, ut reliqua Platonicorum de hac re effata ad finem properantes, nunc accurate non excutiamus, ab infeſto contradictionis cri-

crimine eorum definitio allata vix ac ne vix quidem liberari poteſt. Quod nam enim corpus æternum, immortale, incorruptibile datur? Omne corpus, omne corporeum eſt corruptibile, & omne quod eſt æternum, immortale, incorruptibile, non eſt corpus, non eſt corporeum. Ex aëre facta ſunt, juxta Platonicos, Dæmonum corpora, qui ergo poſſunt eſſe tempore æterna? Ex corruptibili quod conſtat, corruptibile & ipſum eſt. Plures errores fortaſſe ſuo tempore apparebunt, quando nos in genuinam Angelorum ex ſaniori Philoſophia cognitionem paulo diligentius inquiſituri ſumus. Nunc manum de tabula.

Θεῷ ἡ δόξα.

COROLLARIA.

I.

CHriſtum Salvatorem noſtrum fuiſſe in numero ſacerdotum templi Hieroſolymitani, falſo ſcribit Suidas in voce Ἰησοῦς.

II.

Quod pictores Chriſtum, Mariam, Apoſtolos orbiculo ad caput ſplendente & radiante pingunt, a paganis videtur mutuatum.

III.

An tunicam Chriſti inconſutilem poſſideant Trevirenſes? N.

IV.

An oracula circa tempus Nativitatis Chriſti obmutuerint? N.

V.

Simoni Mago, ut Juſtinus Martyr. Apolog. 2. pro Chriſtian. & Tertullianus Apologet. c. 10. aliique exiſtimant, Romanis erectam eſſe ſtatuam, cum inſcriptione: SIMONI. DEO. SANCTO. credibile non eſt.

VI.

An Auguſtus, ut vult Voſſius l. 3. de idolalat. c. 17. apud Romanos primus, dum viveret, affectus ſit honore divino? N.

Q.D.B.V.

Q. D. B. V.

EXERCITATIO HISTORICO-PHILOLOGICA

De

GENIIS DEORUM ET HOMINUM,

Quam,

Benevolo Ampliſſimi Philoſophorum Ordinis conſenſu,

in illuſtri propter Salam Academia,

PRÆSIDE

M. GEORGIO Wonna/

Poët. L. Cæſar.

Publico examini ſiſtet

LUDOLPHUS OTTO STECHAU,

Ulzenſis Luneburgicus

pridie Cal. Februar.

Anno CIϽ IϽC LXIII.

Digitized by Google

Θεῷ σὺν παλάμα.

Exercitationis Hiſtorico-Philologicæ

De

GENIIS DEORUM ET HOMINUM,

CAPUT PRIMUM.

De Geniis Deorum. Genius Jovialis. Pales, *maſculini generis*, *Jovis miniſter & villicus.* Genius Junonis, *Inſcriptiones veteres de* Genio Numinis fontis *& de* Genio Plutonis. *Genius Deorum videtur* Barthio *Numen ab eſſentia Deorum diverſum. Barthi lectio Arnobiana notatur a Godeſcalco Stewechio & Deſiderio Heraldo. Aſſertur hiſtoria ſervi furciferi Ludis Circenſibus per Circum traducti. Genii Deorum quandoque nominibus eorum vocati.*

§ 1.

PHILOLOGIAM ſi quis infinitum rerum humanarum divinarumque ac ſcientiarum omnium Oceanum dixerit, næ ille omium doctio-

rum, & illorum, quibus hoc pelagus enavigandum eſt, conſenſum ſibi ſuffragantem habet. Ex illo in cymbam noſtram ſuſceperamus GENIOS, ac ante triennium in illuſtri hoc Athenæo in ea, quæ de iſtis ſuperſtitioſa Antiquitas finxit, nonnulla auſpicati ſumus commentari. Interruptæ autem ſunt ſequenti anno operæ noſtræ, quas ne nunc quidem tempus ad finem deducere permittit. Selegimus interea, quamvis extemporali ſtylo, ex illo *rerum*, ſi ſic loqui conceditur, *Genialium*, exhibendos GENIOS DEORUM ET HOMINUM, alias Exercitationes plures, vel etiam pleniorem tractatum de GENIIS commodiori tempori reſervantes.

§ 2. Deos, ſicut ultra faſtigium humanum majeſtas evexit, ita eorum *Geniis* primum locum damus. Ipſe *Deum*

Virg. Æn. 4 v. 268. *Regnator, cælum & terras, qui numine torquet,*

Genio apud gentes non potuit carere. *Jovialem* namque *Genium* apud *Arnobium* diſerte legas. *Caſius*, inquit, *& ipſe id ſequens Fortunam arbitratur*

l. 3. contra Gent.

tratur & Cererem, *Genium Jovialem ac Palem.* Exponit dein quis *Pales* fuerit ita, ut eundem quoque fortaſſe *Genium Jovis* vocari poſſe quis ſuſpicetur. *Palem*, ait, *ſed non illam fœminam, quam vulgaritas accipit, ſed maſculini neſcio quem generis miniſtrum Jovis ac villicum.* Et porro: *Eritne ſpes aliqua referendæ ab his opis, ſi Ceres, Pales, Fortuna, Jovialis aut Genius, non Neptunus & Apollo, Penates Dii erunt?* Occurrit præterea apud *Minutium Felicem* memoria *Genii Jovis. Eſt eis*, ſcribit, *tutius per Jovis Genium pejerare quam Regis.* Jungenda *l. c. circa fin.* *in Octav.*

Divum Regina Jovisque
Et ſoror & conjunx, cujus *Genius* *Virg. Æn. 1 v. 46.*

nobis obſervatus eſt apud *Martianum Capellam.* Legimus & *Genium Numinis fontis* apud *Gruterum.* *l. 1. de nuptiis Mercur. & Phil.* *Inſcript. p. 49. n. 7.*

GENIO
NUMINIS
FONTIS. SERMON
CHRYSEROS
CÆSARIS
NOSTRI. LIB
GANGALA

 In

In priſca etiam Inſcriptione ipſi *Plutoni*, ad quem viventium omnium ſpiritus, velut ditisſimum omnium Deorum convenire dicebantur, *Genius* quidam ſpecialis aſſignatur.

Gruter. p 1073. n. 9.

GENIO. PLUT.S
M.FAB.PHILEROS
EX. S. ARAM. F. C

l. 52. Adverſar. 12.

§ 3. Cæterum exiſtimat 1. *Barthius* Genium Deorum Numen fuisſe, ſed ab eorum esſentia diverſum. Ita videtur eidem non de ſe, ſed de ſuo Numine loqui Juno apud *Virgilium*:

Æn. 7. v. 310.

Qvod ſi mea Numina non ſunt
Magna ſatis, dubitem haud equidem
implorare quod usquam eſt.

l. 6. Metamorph.

Inde eadem, ut *idem* vult, apud *Apulejum*, ſupplicanti Pſychæ ſeſe *cum totius ſui Numinis auguſta dignitate præſentat*. Ac Ceres ad Pſychen de Venere ejusque Numine: *Totum per orbem anxia diſquiſitione, tuum veſtigium furens animi requirit; teque ad extremum ſupplicium expetit: & totius Numinis ſui viribus ultionem flagitat.*

Imo

Imo *ipſi* erudite inter Deos & eorum Numina diſcrimen fecit *Arnobius* in illa pulchra bovis ad Jovem proſopopœja: *Numquid*, ait bos, *aliquando tuos ludos minus ſancte diligenterque perfeci? numquid aliquem præſulem, tuum Numen qui offenderit, aut te, traduxi?* Aut te inquit bos aut tuum Numen? alius ergo Jupiter, aliud ejus Numen. *l. 7. adverſ. Gent.*

§ 4. Ubi tamen non eſt diſſimulandum, hæc dubiis haud carere, atque illud, *aut te traduxi*, aliter legi hoc modo: *Numquid aliquem præſulem, tuum Numen qui offenderet, ante te traduxi?* Quam lectionem antiquam, rectam eſſe, inque codice Romano & manuſcripto exſtare *Godeſcalcus Stewechius* atque *Deſiderius Heraldus* affirmant, & *Arnobium* ad hiſtoriam reſpicere volunt ſervi furciferi, ludis Circenſibus per Circi aream traducti. Factum ipſe *Arnobius* commemorat his verbis: *Scimus ludis quondam ipſis Circenſibus, qui Jovi Maximo fierent, patrem familias quendam antequam inciperent res agi, ſervum peſſime meritum per Circi aream mediam transduxiſſe cæſum virgis, & ex more multaſſe poſt patibuli pœna. Ludis deinde jam* *Elect. in h. l. Amrnado & Caſtigat. in h. l.* *l. c. paulo infra*

terminatis, profligatisque curriculis, non multi poſt temporis ſpatium civitatem occœpiſſe peſtilentia vaſtari. Cumque dies adderet malum malo gravius, catervatim & populus interiret, ruſticulo cuidam ſorte humilitatis obſcuro Jovem per in omnium dixiſſe, uti ad Conſules vaderet, PRÆSULEM *ſibi diſplicuiſſe monſtraret, poſſe melius fieri civitati, ſi ludis ſua religio redderetur, & ex integro rurſus curioſa obſervatione procederent. Quod cum ille facere minime curaſſet, vel quod eſſe vanum ſuſpicaretur inſomnium, nullamque habiturum apud auditores fidem: vel quod ingenitæ humilitatis memor, poteſtatis tantæ fugeret & formidaret acceſſum, cunctatori redditum inimicum Jovem; filiorum obitus irrogaviſſe pro pœna. Mox cum & ipſi proprium minaretur interitum, ni* PRAESULIS *pergeret nuncius improbati: obeundi formidine territatum, cum jam & ipſe contactus peſtilentiæ flagraret incendio, de ſententia propinquorum perlatum ad curiam patrum, inſomniique expoſita viſione, flammas evolaviſſe contagii. Ludorum deinde inſtauratione decreta, & ſpectaculis adhibitam gravem curam, & priorem*

l. 2. c. 36. *populo redditam ſanitatem.* Pro *præſule*

l. 1. c. 7. *Arnobii Livius præſultatorem, Valerius*

lerius Maximus præſultorem, *Plutarchus & Dionyſius Halicarnaſſ.* ὀρχηστὴν habent, Nam & hi ſuis hiſtoriam illam monumentis inſeruerunt. *in Carioläno.* *l. 7. Antiq. Rom.*

§ 5. Quamvis autem iſti *Genii* diverſi a diis, tamen quandoque receptis Deorum, quibus adjuncti, & a quibus vim ac honorem adepti erant, nominibus appellabantur. Audiamus hac de re *Cleombrotum* apud *Plutarchum*: *l. de defect. orac.* Εἰ δὲ τοῖς νενομισμένοις τῶν θεῶν ὀνόμασι δαίμονάς τινας καλοῦμεν, οὐ θαυμαστέον. ᾧ γὰρ ἕκαστος θεῷ συντέτακται καὶ παρ᾽ οὗ δυνάμεως καὶ τιμῆς εἴληχεν, ἀπὸ τούτου φιλεῖ καλεῖσθαι. Καὶ γὰρ ἡμῶν ὁ μέν τις ἐστὶ Δῖιος, ὁ δὲ, Ἀθηναῖος, ὁ δὲ Ἀπολλώνιος, ἢ Διονύσιος, ἢ Ἑρμαῖος. Ἀλλ᾽ ἔνιοι μὲν οὖν ὀρθῶς κατὰ τύχην ἐκλήθησαν, οἱ δὲ πολλοὶ μηδὲν προσηκούσας, ἀλλ᾽ ἐνηλλαγμένας ἐκτήσαντο θεῶν παρωνυμίας. Unde & ipſi Dæmones Deos ſimulabant. In cujus rei teſtimonium adducit iſta *Barthius*, quæ de S. Martino *Sulpitius Severus* tradit: *l. c.* *Dialog. 2. num. 14.* *Petrum & Paulum Apoſtolos videri a ſe ſæpius non negavit. Jam vero Dæmones prout ad eum quisque veniſſet, ſuis nominibus increpabat. Mercurium maxime patiebatur infeſtum, Jovem brutum atque hebetem eſſe dicebat.* *in vita Martini c. 24.* Alibi Sulpitius diſerte hæc ad Diabolum

lum accommodat. *Frequenter*, ait ; *Diabolus*, *dum mille nocendi artibus ſanctum virum conabatur illudere*, *viſibilem ſe ei formis diverſiſſimis ingerebat. Nam interdum in Jovis perſona*, *plerumque Mercurii*, *perſæpe etiam ſe Veneris ac Minervæ transfiguratum vultibus offerebat.*

CAPUT SECUNDUM.

De Geniis hominum. Genius hominum Generalis & ſpecialis. *Teſtimonia Autorum de Genio Speciali.* Genius Principis, Cæſaris, Regis, Caligulæ, Mathematici. *Numiſmata de* Genio Auguſti, Imperatoris, Cæſaris, Augg. & Cæſarum. *Inſcriptt. de* Genio Auguſti, Antonini, Cæſarum, T. Attilii Vibiani, CaſsI, Cœti Herodiani, Jovii Aug. M. Jſuni Proculi, C. Flavii Hermetis. *Genius à prima nativitate adeſſe creditus. Ejus deſcriptio Apuleiana. Maximus Tyrius tantum probis tribuit Genium, Origenes Angelos cuſtodes ſolis baptizatis. Judæorum de Angelo cuſtode ſententia. Patriarcharum Angeli Præceptores. Angelus Eſavi cum Jacobo luctatus. Diabolus ſimia Dei conatur imitari opera. Veſpaſia-*

ſpaſianus cæcis viſum reſtituit, & manu ægrum ſanavit. Opinio Patrum de angelo cuſtode cuilibet pio adſignato. Ea ex Act 12. probari nequit. Becanus hanc opinionem ſpeciatim tribuit Petro, Barthius etiam reliquis Apoſtolis. Genius unius hominis metuit Genium alterius. Genius homines morti propinquos deſerit; poſt mortem aliis communicari poteſt. Genio ante mortem laxat interdum animæ compagem ut exeat, & deinde foras viſa intro annunciet.

§ I.

Nunc orationem e cœlo in terras devocemus, HOMINUM GENIOS ſpectemus, de quibus variæ ac inter ſe diverſæ opiniones. Ante omnia notandum *duplicem* eſſe *Genium hominum* ex mente gentilium, *Generalem* & *ſpecialem*. *Ex ſuperiorum*, inquit *Martianus Capella*, *Deorum arbitrio & ſecundorum comitatu, & generalis omnium præſul, & ſpecialis ſingulis mortalibus Genius admovetur.* Mox *Generalem Genium*, exponente *Lipſio*, haud obſcure accommodat *Genio populorum*. *Nam* (ſic pergit) *& populi Genio cum generalis poſcitur, ſupplicant, & unusquis-* *l. 1. de nupt. Merc. & Philolog.* *Phyſiol. Stoic. diſſert 18. l. 1.*

quiſque gubernatori proprio dependit obſequium. Nos de *ſpeçiali Genio* hominum hac vice agemus.

vid. Apulejus de Deo Socrat. Cal: Rhodig. l. 2. Antiq. Lect. c. 10. l. 1. c. 14. in Epictet.

§ 2. *Plato* exiſtimat *ex ſublimiore Dæmonum copia ſingulis hominibus in vita agenda teſtes, & cuſtodes ſingulos additos, qui nemini conſpicui ſemper adſint, omnium non modo actorum teſtes, verum etiam cogitatorum.* Similiter *Arrianus*: Deus, inquit, ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε, τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδωκε, φυλάσσειν αὐτὸν αὐτῷ καὶ τοῦτον ἀκοίμητον καὶ ἀπαραλόγιστον. *Martiani Capellæ* verba non repetimus. *Jamblichus* pariter *unum ſecundum unumquemque Dæmonem proprium gubernatorem eſſe* affirmat. Teſtantur hanc gentium ſententiam quoque *Genii* hominibus paſſim tributi. Legimus enim *Genium Principis*, *Genium Cæſaris*, *Genium Regis*, *Genium Caligulæ*, *Genium Mathematici*. Teſtantur & *Numiſmata antiqua*, quorum duo *Vir Excellentiſſimus*, Dn. Jo. ANDR. BOSIUS, *Hiſtor. P. P. celeberrimus*, nobis pro ſua, qua erga nos eſt, benevolentia ſingulari exhibuit, unum *Maximiani Herculei*, alterum *Licinii.* In utroque effigies Genii ſtantis cernitur, forma juvenis tenentis dextra

de Myſter.

Apulei. l. 9. de A. A. Tertullian. apolog. c. 28. 32. Minut Fel. in Octav. Sueton, in vita ejus c. 27. Juvenal, Sat. 6.

tra cornu copiæ, ſiniſtra pateram, cum inſcriptione: Genio Augusti. Apud *Adolphum* quoque *Occonem* *ad ann. M. C* 4153. *V.* C. 938, *J. C.* 187. invenimus *nummos*, *unum Commodi Imp.* cum inſcriptione: Genius Augusti S. C. tres *ejuſdem & unum* *ad ann. M. C.* 4156. *V. C.* 941. *I. C.* 190. *Licinii*, cum inſcriptione: Genio augusti felici. Item aliquot *Gal. Val. Maximini* cum inſcriptionibus. *&c. ad ann. M. C.* 4273, 4274. *V. C.*1061, 1062. J. C. 310. 311.

GENIO IMPERATORIS

BONO GENIO PII IMPERATORIS.

GENIO AUGG. ET CÆSARUM.

GENIO CÆSARIS.

Teſtantur idem *inſcriptiones veteres* multæ. Adducere aliquot notabiliores non pigebit ex incomparabili *Gruteri* opere, & initio quidem de *Genio Auguſti.* *p. 9. n. 6.*

J. O. M.
ET GENIO. IMP.
AUG.
P. F. VATIONIUS
∴ ∴ FINUS. PROC.

P. P.

P. P. S.

V. S. L. M.

p. 107. n. 6. GENIO AUG. ET LARIBUS
P. URSINIUS. MATURUS
ET. CASSIA. CENSORIA V.

p. 1085. n. 6. *De Genio Antonini:*

GENIO. AC MAJESTATI
IMP. ANTONINI. PII. FELICIS. AUGUSTI.
M. AURELIUS. AURELIANUS. DEVOTISSIMUS
NUMINI. EJUS.

p. 107. n. 9. *De Genio Cæſarum:*

GENIO. CÆSARUM
DIOGENETUS VILIC. FEC.

p. 8018 n. 1. *De Genio T. Attilii Vibiani:*

GENIO
T. ATTILII. VIBIANI
CLARUS. LIB.

p. 535. n. 9. *De Genio CaſsI cujuſdam:*

GENIO CASSI
SIGNIF

De

De Genio Cæti Herodiani; p. 602. n. 4.

GENIO
COETI. HERODIAN
PRÆGUSTATOR
DIVI I. AUGUSTI
IDEM. POSTER. VILLI-
CUS. IN HORTIS
SALUSTIANIS
DECESSIT. NON AUGUSTIS
M. COCCEIO. NERVA
C. VIBIO. RUFINO COS
JVLIA PRIMA
PATRONO SUO

De *Genio Jovii Aug.* i.e. Diocletiani p. 111. n. 6.

GENIO. JOVII. AUG
JOVIA. PORTICU. EJUS.
A FUNDAMENTIS
ABSOLUTA.
EXCULTAQUE
AELIUS. DIONYSIUS.
V. C. OPERI. FACIUNDO

De *Genio M. Iſuni Proculi* p. 111. n. 10.

GENIO
M. ISUNI
PROCULI
SODALICI
JUVENT
PATRONO

p. 587. n. 1 De *Genio C. Flavii Hermetis*

DIIS. MANIBUS
ET GENIO
C. FLAVII. HERMETIS
AUG. LIB
AB. EPISTULIS. GRÆCIS
JULIA ANTISTIA. MATER
INFELICISSIMA. FILIO
DE. SE. B. M. CUM. LACR.
P.
VIX. AN. XVIII. M. V. D. XIII

§ 3. Hunc Genium homini ſtatim ab ipſo nativitatis articulo adeſſe individuum comitem, fuerant qui putarint. Imo inde nominis originem traxiſſe ſcribit *Capella*, *quoniam cum quis hominum genitus fuerit*, *mox*

l. c.

mox eidem copulatur. Hic *cuſtos, ſin- Apulei. de*
gularis præfectus, domeſticus ſpeculator, Deo Socrat.
individuus arbiter, inſeparabilis teſtis,
malorum improbator, bonorum probator,
in rebus incertus proſpectator, dubiis præmonitor, periculoſis vitator, egenis opitulator: qui tibi queat tum ſomniis, tum ſignis, tum etiam fortaſſe coram, cum uſus poſtulat, mala avertere, bona proſperare, humilia ſublimare, nutantia fulcire, obſcura clarare, ſidera adverſa corrigere. Nolumus in re manifeſta plura teſtimonia coacervare. Id ſolum
addimus, *Maximum Tyrium* tantum *Orat. 26.*
probis ſingulis, non vero improbis, Genium adſcribere. Εὰν δὲ πȣ̃ μοθηχϱῶν δείξης ψηχὴν, ἀνέςως αὔτη καὶ ἀνεπίςατος. Similiter atque *Origenes* & *tract. 6. in*
autor operis imperfecti, *Becano* videntur *Matth.*
exiſtimaſſe angelos cuſtodes ſolis *hom. 5.*
Theol.
baptizatis, non etiam infidelibus *Schol. tom.*
datos eſſe. *poſt opuſc.*

§ 4. Judæi quoque, annotante *14 c. 6.*
Barthio, perſuaſi erant cuilibet ſan- *l. 2. Adverſar.*
ctorum hominum adeſſe *peculiarem c. 21.*
Angelum, neque eidem ſolum hominis cuſtodiam, ſed multa alia etiam attribuerunt. Sic Adamum communem noſtrum Parentem *particularis angeli* præſidio inſtructum,

multa circa particulares rerum eſſentias & proprietates comperiſſe, quæ ad humani generis conſervationem propagationemque cumprimis utilia forent plerique *Rabbinorum* tradunt, ut auctor eſt *Athanaſius Kircherus*. Nomen hujus Præceptoris fuiſſe ſcribit ex *R. Abrahamo*, *Raziel*. Unde liber a quibusdam citatur, *Evæ Prophetiæ a Raziele*, angelo primi parentis Adam, conſcriptæ, ut refert *Vir plurimum Reverendus atque Excellentiſſimus*, *Dn. JOH. HENR. URSINUS*, *Theologus & Philologus Celeberrimus*, *Dominus & Patronus noſter ætatem colendus*. Sed & aliis Patriarchis angelos *Kircherus* ex mente Judæorum aſſignat Præceptores. Præceptor Semi, Noæ filii, juxta illos fuit *Jophiel*, Abrahami *Zadkiel*, Iſaaci *Raphaël*, Jacobi *Piliel*, Moſis *Mitraton*, Davidis *Michaël*. Judæi nimirum lepidis fabularum figmentis animos hominum permulcere ſolent. Unde etiam ſomniant, Virum illum cum Jacobo luctantem fuiſſe angelum unum ex iis, qui vocantur מלאכי אלהים *angeli Dei*, cuſtodem ac præſidem Eſavi, qui luctatus fuerit cum Patriarcha, occa-

Oedip. Ægypt. tom. 2 p. 1. claſſ. 2 c. 1.

l. de Zoroaſtre &c. exercit. 3. Sect 3.

l. c.

vid. id ibid Claſſ. 4. c. 2.

Geneſ c. 32. v. 24.

ſione

ſione ita ferente, vel potius neceſſitate exigente, ac quia ipſum ſuperare non potuerit, percusſiſſe eum in curvatura femoris, hoc ipſo ſignificans, licet tunc temporis non poſſet, fore tamen ut ſeculis inſequentibus oppresſurus ſit ejus poſteritatem. Vide ſis Dn D. MAJOREM, & Dn. D. HABERKORNIUM. Sacram hiſtoriam de lucta hac Diabolum æmulatum eſſe per Genium Temeſſanum, qui ſe Politæ, Ulyſſis ſocii apud Temesſam occiſi, animam fingebat, & cum Euthymo pugili congrediebatur, victusque mænibus & agro excedebat, *Delrio* tradit. Hiſtoriam ſeu fabulam narrant *Pauſanias* ac *Strabo*. Hoc quidem certum eſt Diabolum ſubinde tanquam ſimiam Dei opera imitari conatum eſſe. Quomodo imitatus ſit illud, quod Deus emiſſo igne ſacrificium ſibi gratum accenderit, oſtendit *Excellentisſimus Dn. URSINUS*. Quomodo ex urbe Hieroſolyma & Sione monte finxerit Delphos & Parnaſſum, docet *idem*. Dedit Deus Urim & Thummim; Diabolus oppoſuit oracula. Miſit Deus Prophetas; Diabolus

Diſp. de cultu angelor § 128. 129.

Syntagm. 1 *de Myſter. SS. Trin. diſp* 4. *p. m.* 290. *ſeqq.*

Diſq. Mag. l. 2. *q.* 27. *ſect* 2.

l. 6. *Eliac.*

l 6. *Geograph.*

Anal. S. vol. 2. *l.* 3. *n.* 4.

Anal. S. vol 1 *l.* 4. *n.* 9 *Luc.* 18. *Joh.* 2. & *alibi.*

bolus ſuos vates. Sanavit Chriſtus manu ſua ægros, cæciſque viſum reſtituit; imitatus hoc eſt Diabolus in Vepaſiano apud *Tacitum*. Non poſſumus quin illuſtrem locum adſcribamus. *Per eos menſes*, inquit Hiſtoricus, *quibus Veſpaſianus Alexandriæ ſtatos æſtivis flatibus dies, & certa maris, opperiebatur, multa miracula evenere, queis cæleſtis favor, & quædam in Veſpaſianum inclinatio Numinum oſtenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Sarapis Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit, precabaturque Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo autore, ut pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat. Veſpaſianus primo irridere, aſpernari: atque illis inſtantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obſecratione ipſorum, & vocibus adulantium in ſpem induci, poſtremo æſtimari a medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas, ope humana ſuperabiles forent: Medici varie diſſerere. Huic non exeſam vim luminis, & redituram ſi pellerentur obſtantia:*

l. 4. *Hiſt.* c. 81.

ſtantia : illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Id fortaſſe cordi Diis, & divino miniſterio Principem electum, denique patrati remedii gloriam penes Cæſarem; irriti ludibrium penes miſeros fore. Igitur Veſpaſianus cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipſe vultu, erecta quæ adſtabat multitudine, juſſa exſequitur. Statim converſa ad uſum manus, ac cæco reluxit dies. Mittimus alia; nec enim hæc pluribus exſequi inſtituti noſtri ratio patitur; jam ante alii hunc campum decurrerunt; & nos illa ὡς ἐν παρέργῳ diximus. Jam in orbem redibimus.

§ 5. Patres multi, quos magno numero citatos habes apud B. Dn D. GERHARDUM & *Becanum*, Scholaſtici Doctores & Pontificii, ea ſunt in opinione, ſuum cuilibet pio & fideli attributum eſſe *Angelum, cuſtodem & tutelarem* toto vitæ tempore; atque hanc ſententiam Apoſtolorum ætate receptam fuiſſe inter fideles. Hoc ſe probare poſſe ſperant ex *Actis*. Petrus, mirifice ex carcere ab angelo liberatus, ad domum Mariæ, in qua multi fidelium convenerant, concesſit; cumque

Tom 2. LL. de creat. & Angel. §. 72.

l. cit.

c. 12. v 85.

eum Rhode ex voce agnoviſſet, ejusque adventum ſacro illi conventui nunciaſſet fidem non invenit, ſed reſponſum tulit: Μαίνῃ· ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστίν. Neſcimus tamen an multum ſit in hoc loco præſidii: Reſpondere enim ſolent Theologi, vocem ἄγγελος quandoque notare in S. literis quemvis nuncium. Quod tam manifeſtum eſt, ut nulla indigeat probatione. Quare quidam putant nihil eſſe abſurdi, ſi dixeris pios illos adductis verbis nihil voluiſſe indicare aliud, quam Petri aliquem nuncium ſtare præ foribus, qui a Petro captivo miſſus ſit, ut annunciaret, quo in ſtatu res ſuæ eſſent. Sed enim, ajunt Theologi, largiemur liberaliter, angelum intelligi, ſpiritum bonum, & fideles illos ſenſiſſe hunc eſſe Petri peculiarem cuſtodem, verba tamen ſunt Scripturæ non docentis, ſed narrantis verba fidelium illorum. Quamvis autem pii illi ita ſenſiſſent, tamen ab opinione eorum, ad ipſius rei certitudinem non ſatis commode duceretur argumentum. Confert *Spanhemium* & alios Theologos plures. At *Becanus* ſpeciatim Petro opinionem iſtam vendi-

Dub. Evangel. part 3. dub. 62.

vendicat, ſimulque ex ejus verbis ſuam ſtabilire nititur. Dixerat Petrus per Angelum e carcere liberatus: Νῦν οἶδα ἀληθῶς, ὅτι ἐξαπέςειλε Κύριος τὸν ἄγγελον αὐτȣ̃, καὶ ἐξείλετό με ἐκ χειρὸς Ἡρώδȣ. *Act. 12. v. 11.* Agnoſcit, inquit, Petrus ab angelo cuſtode ſe liberatum. Sed unde hoc ſequitur *Becane*? Quæ conſequentia: Petrus loquitur de angelo miſſo ad ſe liberandum e cuſtodia. E. de Angelo ſuo cuſtode & tutelari, de quali hic ſermo. E. omnibus piis ejuſmodi additus eſt Angelus. Quid opus erat Deum peculiariter Angelum tutelarem ad Petrum mittere, ut eum liberaret e carcere, quem olim jam miſerat, & peculiariter deſtinarat, ut perpetuus Petri cuſtos toto vitæ tempore, ac ubique ei præſto eſſet ac tueretur? Quare diſceſſit hic Angelus a Petro ſi ejus tutelaris fuit? Hæc ex mente Theologorum, ad quorum cathedram lis iſta pertinet. Pergemus, ubi adjecerimus *Barthium* non dubitare reliquis Apoſtolis hanc affricare opinionem, & propterea, quod *Lucas* referat, diſcipulos putaſſe, cum Chriſtus ſtetiſſet in medio eorum, ſe videre πνεῦμα, affirmare, *l. 2. adverſar. c. 21. Luc. 24.*

 mare,

mare, Apoſtolos exſtimaſſe, ſe videre *Angelum Jeſu*. Nunc convertamus nos ad Gentiles.

§ 6. Illi putarunt, unum *Genium* metuere quandoque alium, unius hominis *Genium* adverſari *Genio* alterius, aliiſque exitialem eſſe. Facit huc exemplum Auguſti & Antonii; qui, cum magna familiaritate conjuncti viverent, ſæpenumero, ubi per negotia liceret, certamen pilæ, teſſerarum, gallorumque inſtituerunt, cumque ſemper Antonius inferior diſceſſiſſet; vates quidam dixerat Antonii Genium metuere Genium Auguſti.
Lib. de Roman. fortuna. Hiſtoriam tradit *Plutarchus*: Λέγεται δὲ inquit, πολλῆς οἰκειότητος αὐτοῖς καὶ συνηθείας ὑπαρχούσης· πολλάκις σχολαζόντων εἰς παιδιὰν σφαίρας ἢ κύβων, ἢ νὴ Δία θρεμμάτων ἁμίλλης, οἷον ὀρτύγων καὶ ἀλεκτρυόνων, ἀεὶ νικώμενον Ἀντώνιον ἀπαλλάττεσθαι. Καί λινα τῶν περὶ αὐτὸν ἐπὶ μαντείαις σεμνυνόμενον, πολλάκις παρρησιάζεσθαι καὶ νουθετεῖν· ὦ ἄνθρωπε· λί σοι πρᾶγμα πρός τοῦτον ἐστι τὸ νεανίσκον; φεῦγε αὐτόν: ἐνδοξότερος εἶ, πρεσβύρος εἶ, ἄρχεις πλειόνων· ἐνήθληκας πολέμοις, ἐμπειρίᾳ διαφέρεις· ἀλλ' ὁ σὸς Δαίμων τὸν τούτου φοβεῖται· καὶ ἡ τύχη σου καθ' ἑαυτὴν ἐστὶ μεγάλη, κολακεύει δὲ τὴν τούτου. ἐὰν

μὴ

μὴ μακρὰν ᾖ, οἰχήσεται μεταβᾶσα πρὸς αὐτόν.

§ 7. *Genium* vero homines propinqua morte triſtem derelinquere exiſtimabant, quemadmodum apud *Ammianum Marcellinum*, Conſtantius *l. 21.* *confeſſus eſt conjunctioribus proximis, quod tanquam deſolatus ſecretum aliquid videre deſierit, quod interdum adfuiſſe ſibi ſqualidius æſtimabat: & putabatur Genius quidam tutelæ ſalutis appoſitus eum reliquiſſe, mundo citius digreſſurum.* Poſt mortem *Genium* unius alteri communicari poſſe non negabant; ſicut apud *Plutarchum* legimus *de Genio Socrat.* *Genium* Lyſidis Pythagorici communicatum fuiſſe Epaminondæ. Quæ opinio an orta ſit ex Metempſychoſi veterum, de qua peculiari diſſertatione egit *quondam illuſtre hujus Academiæ decus, Slevogtius*, liberum cuique ſit judicium. Imo ante mortem etiam animam quandoque *Genio* laxare compagem, ejus circumcurſitationem admittere, ut is poſtea foris audita ac viſa intro annunciet, fuerunt qui traderent. Loquatur hac de re *Plutarchus*: Τὴν ἑρμοδώρου τοῦ κλαζομενίου ψυχὴν ἀκήκοας δήπουθεν, ὡς ἀπολείπουσα παντάπασι τὸ σῶμα νύκτωρ *l. cit.*

κτωρ καὶ καθ' ἡμέραν ἐπλανᾶτο πολὺν τόπον εἶτ' αὖθις ἐπανήει, πολλοῖς τῶν μακρὰν λεγομένων, καὶ πραττομένων ἐντυχοῦσα, καὶ παραγενομένη. μέχρις οὗ τὸ σῶμα τῆς γυναικος προδούσης λαβόντες οἱ ἐχθροὶ ψυχῆς ἔρημον οἶκον κατέπρησαν. Τοῦτο μὲν οὖν οὐκ ἀληθές ἐστιν· οὐ γὰρ ἐξέβαινεν ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος, ὑπείκουσα δὲ ἀεὶ καὶ χαλῶσα τῷ δαίμονι τὸν σύνδεσμον ἐδίδου περιδρομὴν, καὶ περιφοίτησιν, ὥστε πολλὰ συνερῶντα, καὶ κατακούοντα τῶν ἐκτὸς εἰσαγγέλλειν.

CAPUT III.

De Geniis familiaribus, *quales tribuuntur Socrati, Conſtantio, Pythagoræ, Numæ, Scipioni, Octaviano Auguſto, Hermeti, Thyanæo Apollonio, Plotino. Pythagoras an Magus? Cæna a Genio Numæ apparata. Congresſus Minois cum Jove, Lycurgi cum Apolline, Zaleuci cum Minerva. Achillis & Diomedis Minerva atque Telemachi Dæmon. Genius Procli ac Dionis Caſſii. Q. Sertorii cerva alba pro Genio venditata. Spiritus familiares noſtro ſeculo uſitati. Recenſetur ſuperſtitio de Alrunis & Zeme Indorum.*

§ 1.

§ 1.

Ex *Geniorum* cenſu, *qui viſi ſunt atque auditi ab hominibus, iisque, quos,* l. 21. ut loquitur *Ammianus Marcellinus, multiplices auxere virtutes, familiariter adfuerunt, πάρεδροι, familiares dicebantur.* Quorum celeberrimus eſt *Genius Socratis*, illius πάντων ἑλλήνων judicio oraculi σοφωτάτε Philoſophi; de quo peculiaribus libellis egerunt *Plato, Plutarchus, Apulejus*, qui videndi, una cum *Æliano*. Memo- l. 1. c. 1. Var. Hiſtore. rantur præterea, qui *Genios* ejusmodi *familiares* habuere, ab *Ammiano Marcellino, Conſtantius*, de l. 1. quo ſuperiori cap. diximus, *Pythagoras, Numa Pompilius, ſuperior Scipio, &c, ut quidam exiſtimarunt, Marius, & Octavianus Auguſtus, Hermes Termaximus, Thyanæus Apollonius, Plotinus.*

§ 2. Pythagoræ quidem congreſſum cum Diis haud obſcure tribuit in vita *Plutarchus*; & quanquam de *Genio* e- Numæ. jus haud multa diſerte tradita legas, tamen non defuerunt jam olim, qui prorſus Pythagoram γόητα καὶ τερατουργὸν fuiſſe, ac multa miranda

apud Diogen. Laert in vita Pythag. homil. 1. in Joh.

randa feciſſe putarent, quæ per Genios alias fieri opinionem fuiſſe, in promtu eſt oſtendere. Neque ſolus *Timon*, ſed etiam inter Sanctiſſimos Patres, *Chryſoſtomus*, & quotquot prodigioſas iſtas de Pythagora narrationes pro veris habent, ita ſentire videntur, ut quod bruta ejus dicto obediverint, fluvius eum clara voce ſalutaverit, quod uno eodemque die in locis procul diſſitis conſpectus auditusque fuerit, femur aureum oſtenderit, ad inferos deſcenderit & redierit inde, & quæ alia referunt miracula, quibus majora de nemine alio vel ſuſpicari quis poſſit. Nec noſtro ſeculo deſiit ab iſto crimine ſuſpectus eſſe Pythagoras. Quanquam contra alii, in quibus præcipuus eſſe videtur *Rittershuſius*, ſanctius ſentiunt de Pythagora, neque perſuadere ſibi queunt, eum, qui tam ſobriis, tam caſtis, tam juſtis præceptis ac inſtitutis meliores reddidit mortales, præſtigiatorem impoſtoremque fuiſſe. Imo ipſe pro *bono Genio* habitus eſt apud ſuos, aque iis inter Deos numeratus. Quare iſta pro fabulis potius habent, vel in odium & invidiam viri a malevolis

vid. Malchus. Jamblich. Diogen. Laert, in vita ejus.

vid. Besold. de ling. immus. c. 11. Conring. de Hermet. Medic. c. 11. 13. de laud. Ariſtot. orat. 2. 1. not. ad Malch.

Iamblich. in vita. Malchus in vita.

lis ſictis & diſſeminatis, atque a Sanctis Patribus, interdum fervore occupatis nimis Rhetorice agentibus, arreptis, inclementiusque exagitatis.

§ 3. Opinio de Numæ *Genio* ex ejus congreſſu cum Dea Egeria orta eſt; de quo videantur *Plutarchus*, *in vita Numæ.*
Livius, *Valerius Maximus*. De iſthoc
Numæ Genio *Dionyſius Halicarnaſſ.* *l. 1. c. 19.*
refert, eum ſplendidam aliquando *l. 1 c. 2.*
apparaſſe cœnam. Ajunt καλέσαντα *l. 2. Antiq. Rom.*
Ῥωμαίων πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἰς τὴν οἰκίαν, ἐν ᾗ διαιτώμενος ἐτύγχανεν, ἔπειτα δείξαντα τοῖς ἐλθοῦσι τὰ ἔνδον τῇ τε ἄλλῃ κατασκευῇ φαύλως κεχορηγημένα, καὶ δὴ καὶ τῶν εἰς ἑστίασιν ὀχλικὴν ἐπιτηδείων ἄπορα, τότε μὲν ἀπαλλάττεσθαι κελεύειν, εἰς ἑσπέραν δὲ καλεῖν αὐτοὺς ἐπὶ τὸ δεῖπνον. Παραγενομένοις δὲ κατὰ τὴν ἀποδειχθεῖσαν ὥραν ἐπιδεῖξαι στρωμνάς τε πολυτελεῖς καὶ τραπέζας ἐκπωμάτων γεμούσας πολλῶν καὶ καλῶν, ἑστιάσιν τε αὐτοῖς παραθεῖναι κατακλιθεῖσιν ἁπάσης ἐδωδῆς, ἣν οὐδ' ἂν ἐκ πολλοῦ πάνυ χρόνου παρεσκευάσθαι τινὶ τῶν τότ' ἀνθρώπων ῥᾴδιον ἦν. Τοῖς δὲ Ῥωμαίοις κατάπληξίν τε πρὸς ἕκαστον τῶν ὁρωμένων ὑπελθεῖν, καὶ δόξαν ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου παραστῆναι βέβαιον, ὅτι θεά τις αὐτῷ συνῆν. Similes Deorum conſuetudi-

Dionyſ. Halicarn. l. c. Valer. Max. l. 1. c. 2.

tudines tribuuntur Minoi Cretenſium Regi, qui *nono quoque anno in quoddam prææltum & vetuſta religione conſecratum ſpecus ſecedere ſolebat: & in eo moratus, tanquam a Jove, quo ſe ortum ferebat, traditas ſibi leges prærogabat*; Lycurgo, qui *conſilio Apollinis graviſſimæ Lacedæmoniorum civitati leges compoſitas ferre ſe perſuaſit*; Zaleuco, qui *ſub nomine Minervæ apud Locrenſes prudentiſſimus habitus eſt*. Ac putat *Plutarchus* abſurdi nihil eſſe, ſi Diis erga homines amicitiam tribuamus, amoremque; qui amor ad morum & virtutis ſtudium incitet. Atque cum ipſius opinione non peccent, qui Admetum & Hippolytum Sicyonium ab Apolline, Pindarum a Pane, Sophoclem ab Æſculapio dilectos fabulantur, non putat negandum eſſe cum Zaleuco, Minöe, Numa, Lycurgo, regna temperantibus & Reſpublicas componentibus Deos eſſe congreſſos. Neque tamen & abſurdi coarguit alteram ſententiam, eos, quod contumaces hominum multitudines cicurandas haberent, ingentesque Rebuspublicis mutationes inferrent, opinionem divinitatis, apud quos eam

Valer. Max. & Dionyſ. Halicarn. l. c. Plutarchus in vita. Valer. Max. l. c. in vit. Numa.

eam ſimularent, ſaluti futuram, ſibi adſumpſiſſe. Nam cum legum conditarum ſumma debeat eſſe apud cives reverentia, & hoc quicquid eſt a Numine dependeat. quod niſi regentibus & regendis adſit, confuſionis, inobedientiæ, & temeritatis jugum neutri horum effugient; illam ut legibus ſuis conciliarent, fieri potuiſſe concedit *Plutarchus*, ut ſe cum Diis verſari, ab illiſque illa, quæ ſancirent, haurire & quaſi addiſcere fingerent potius quam crederent.

§ 4. De Scipionis Genio *Appianus*: *de bello Punic.* Καὶ δαιμόνιον αὐτῷ συλλαμβάνειν ἐδόξαζον, ὃ καὶ τῷ πάππῳ Σκιπίωνι προσημαίνειν ἐδόκει τὰ μέλλοντα. Ac reliquo cenſui *erat. 26* *Maximus Tyrius* adjungit *Achillem*, *Diomedem*, iiſque *Minervam* adſociat; item *Telemachum*, cui nonnulla ſuggesſit Dæmon. Sic vero ille: Τί δὲ νῦν, ἀπορῦντες περὶ τῦ δαιμονίου τῦ Σωκράτους, Ὁμήρῳ συνεγένοντο διηγουμένῳ αὐτῷ ἐκείνῳ ἃ διηγεῖτο; Περὶ μὲν τῦ Ἀχιλλέως, ὅτι ἐν ἐκκλησίᾳ στρατιωτικῇ δημηγορῶν, διενεχθεὶς πρὸς τὸν Ἀγαμέμνονα, σπώμενος τὸ ξίφος κωλύεται ὑπὸ δαιμονίου. Ἀθηνᾶν καλεῖ τὸ δαιμόνιον αὕτη γὰρ φησὶν, ὀρχιζομένῳ αὐτῷ παρεγένετο,

Στῆ δ' ὄπιθεν, ξανθῆς δὲ κόμης ἕλε Πηλείωνα.

Τὴν δὲ αὐτὴν ταύτην Ἀθηνᾶν λέγων, καὶ περὶ τοῦ Διομήδους φησὶ,

Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν.

Ὄφρ' εὖ γινώσκοις ἠμὲν θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

Πάλιν αὖ τῷ Τηλεμάχῳ μέλλοντι συγγίνεσθαι βασιλεῖ πρεσβυτέρῳ, αἰδουμένῳ καὶ ἀπορουμένῳ ὁ ἑταῖρος λέγει,

Τηλέμαχ' ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,

Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

Καὶ προστίθησι τὴν αἰτίαν τῆς παρὰ τοῦ δαιμονίου ἐλπίδος;

οὐ γὰρ οἴω

οὐδέ σε θεῶν ἀέκητι γενέσθαι τε τροφέμεν τε

Καὶ ἐπ' ἄλλου αὖθις,

Τῷ γὰρ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη.

Καὶ ἐπ' ἄλλου,

Τυδείδῃ Διομήδεϊ Παλλὰς Ἀθήνη

Δῶκε μένος καὶ θάρσος.

Καὶ ἐπ' ἄλλου,

Γυῖα δ' ἔθηκεν ἐλαφρὰ, πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν.

Ὁρᾷς τὸ πλῆθος τῶν συγγινομένων τῷ δαιμονίῳ.

§ 5.

§ 5. *Proclum* quoque naſcentem excepit, ac tanquam obſtetrix curavit Deus tutelaris Byzantii, ipſi providebat, & per quietem ad Philoſophiæ ſtudium hortabatur, ſi credimus *Marino*: Ὑποδέχεται δὲ, inquit, αὐτὸν, καὶ οἱονεὶ μαιεύεται τȣ̃ Βυζαντίȣ πολιȣ̃χος· ἥτιςτότε μὲν αὐτῷ τȣ̃ εἶναι γέγονεν αἰτία, τεθέντι κατὰ τὴν αὐτὴν πόλιν. Χρόνῳ δὲ ὕςερον καὶ τȣ̃ καλως εἶναι πρȣνοήσατο, ἡνίκα εἰς παῖδας ἤδη καὶ μειρακίσκȣς ἐτέλει. Αὕτη γὰρ αὐτῷ φαινομένη, ἐπὶ φιλοσοφίαν παρεκάλει. ὅθεν οἶμαι αὐτῷ συνέβη καὶ πολλὴ οἰκειότης περὶ τὴν θεὸν, ὥςε καὶ ἐξαιρέτως τὰ ταύτης ὀργιάζειν, καὶ ἐνθȣσιαςικώτερον αὐτὴν τȣ̀ς θεσμȣ̀ς μετιέναι. *In vita Procli.* Ac cum aliquando Proclus periculi non expers morbo detineretur, adſtitit ad lectum *Genius* quidam, ſub forma proceri & pulchri juvenis, ſanitatemque reſtituit. Iterum Marinus: Κάμνοντος *l. c.* ὑπὸ νόσȣ, καὶ χαλεπῶς ἤδη καὶ ἀνιάτως διακειμένȣ, παρέςη τῇ κλίνῃ ὑπερφαινόμενος παῖς, ὃς ἐδόκει νέος κομιδῇ, καὶ ὡραῖος ἰδεῖν· εἰκάσαι δ' ἦν αὐτὸν εἶναι τὸν Τελεσφόρον, καὶ πρὶν τὸ ὄνομα εἰπεῖν. εἰπὼν δὲ ὅμως ὅςις εἴη, καὶ τὸ ὄνομα ἐπιφθεγξάμενος, καὶ τῆς κεφαλῆς ἐφαψάμενος· αὐτȣ̃ γὰρ πȣ καὶ εἱςήκειτο προσκε-

φαλαίῳ ἐπαναπαυόμενος· ὑγιὴς ἐξαίφνης ἐκκάμνοντος ἀπετέλεσε· καὶ οὕτως ἀφανὴς αὐτῷ ἐγένετο. *Dionem Caſſium* etiam vitæ Deam curatricem ad hiſtoriam ſcribendam confirmaſſe, ac bona ſpe

l. 72. circa fin. incitaſſe legimus. *Ipſe* de ſe: Τὸ δὲ δὴ θεὸν (αὐτὴν ἐπιῤῥωννῦσάν με πρὸς τὴν ἱστορίαν εὐλαβῶς πρὸς αὐτὴν καὶ ὀκνηρῶς διακείμενον ἢ πονοῦμενα. ἀπαγορεύοντά τε ἀνακτωμένην δι' ὀνειράτων καὶ καλὰς ἐλπίδας περὶ τοῦ μέλλοντος χρόνου διδοῦσάν μοι, ὡς ὑπολειψόμενος τὴν ἱστορίαν, καὶ οὐδαμῶς ἀμαυρώσοντος ἐπίσκοπον τῆς τοῦ βίου διαγωγῆς, ὡς ἔοικεν, εἴληχα, καὶ διὰ τοῦτο αὐτῇ ἀνάκειμαι.

§ 6. Q. Sertorius etiam cervam albam, pro *Genio* ſuo familiari ven-

Valer. Max. l. 1. c. 2. in vita ejus. ditavit *ab ea ſe, quæ nam aut agenda, aut vitanda eſſent, prædicans admoneri.* Fraudem autem fuiſſe *Plutarchus* auctor eſt, atque commentum prolixe exponit: Σπάνος, inquit, ἀνὴρ δημότης τῶν ἐπὶ χώρας βιούντων, ἐλάφῳ νεοτόκῳ φευγούσῃ κυνηγέτας ἐπιτυχὼν, αὐτῆς μὲν ἀπελείφθη, τὴν δὲ νεβρὸν ἐκπλαγεὶς τῇ καινότητι τῆς χρόας, (λευκὴ γὰρ ἦν πᾶσα) λαμβάνει διώξας. Κατὰ τύχην δὲ Σερτωρίου τοῖς τόποις ἐναυλισαμένου, καὶ πᾶν ὅτις ἐξ ἄγρας ἢ γεωργίας ἥκοι κομίζων δῶρον ἀσμένως δεχομένου,

μένου. καὶ φιλοφρόνως ἀμειβομένου τοὺς θεραπεύοντας, ἐγχειρίζει φέρων αὐτῷ τὸν νεβρόν. Ὁ δὲ δεξάμενος, αὐτίκα μὲν ἥσθη μετρίως. Χρόνῳ δὲ ποιησάμενος τιθασὸν οὕτω καὶ φιλάνθρωπον, ὥστε καὶ καλοῦντος ἀκούειν, καὶ βαδίζοντί ποι παρακολουθεῖν, ὄχλου τε καὶ θορύβου παντὸς ἀνέχεσθαι στρατιωτικοῦ, κατὰ μικρὸν ἐξεθείαζε, φάσκων, Ἀρτέμιδος δῶρον τὴν ἔλαφον εἶναι· καὶ πολλὰ τῶν ἀδήλων ἐπεφήμιζεν αὐτῷ δηλοῦν, γινώσκων εὐάλωτον εἰς δεισιδαιμονίαν εἶναι φύσει τὸ βαρβαρικόν. Ὁ δὲ καὶ προσετεχνᾶτο τοιάδε. γνοὺς γὰρ ἂν κρύφα τοὺς πολεμίους ἐμβεβληκότας ποι τῆς ὑπ' αὐτὸν χώρας, ἢ πόλιν ἀφιστάντας. προσεποιεῖτο τὴν ἔλαφον αὐτῷ κατὰ τοὺς ὕπνους διειλέχθαι κελεύουσαν ἐν ἑτοίμῳ τὰς δυνάμεις ἔχειν. Αὖθις δὲ νίκην τινὰ τῶν ἑαυτοῦ στρατηγῶν ἀκούσας, τὸν μὲν ἄγγελον ἔκρυπτε, τὴν δὲ ἔλαφον ἐστεφανωμένην ἐπ' εὐαγγελίοις προῆγεν εὐθυμεῖσθαι παρακαλῶν, καὶ τοῖς θεοῖς θύειν, ὡς ἀγαθόν τι πευσομένους.

§ 7. Noſtris quoque ſeculis, proh dolor! fædam hanc ſuperſtitionem invaluiſſe & homines *Spiritus familiares* habuiſſe experientia teſtatur, qui aut ſponte, aut mercede pacta, hominibus aliquibus præſto eſſe ſolent, iis ſervire ſeu juſſi, ſeu injuſſi; imo cryſtallis, annulis, capſulis aliisque re-

bus includi ſe ac circumferri permittunt. Vide ſis *Sereniſſimum Angliæ Regem* JACOBUM, & confer *Delrium* ac *Schottum*, ubi hujus rei aliquot exempla collecta habes. Forte an & huc referri poſſent homines, qui *Alrunis* (barbaræ enim rei barbara imponenda vox erat) ſuperſtitioſe uti ſolent, non levi pretio aut periculo ab agyrtis emptis & comparatis. Narrant ex urina, quam homo ad ſuſpendium furti crimine damnatus inter extrema vitæ effuderit, herbam naſci ſub patibulo foliis latis, flore croceo, radice hominem ex amuſſi ſimulante, pilis quoque & ipſis ſexuum notis apparentibus. Nonnulli adjiciunt vitalem fuiſſe ſubterraneum hunc fœtum. Eam herbam eruere rem eſſe plenam periculi; ab eruta enim radice gemitum edi adeo terribilem, ut audienti foſſori moriendum ſit e veſtigio. Sed paratum eſſe remedium, cujus has recenſent ceremonias. Die Veneris ante ſolis exortum auribus goſſypio oppletis ceraque aut pice occluſis exire jubent, crucis figuram terno tripodis circumductu plantæ inſcribere, tum circum-

Dæmonolog. l. 1. c. 5. 6. Disquiſ. Mag. l. 6 c. 2. ſect 3 q. 3. Phyſic. Curioſ. l. 1. c. 37.

vid pecul. diſp. Dn. Thomaſii de Mandragora.

circumfodere totam, ſic ut terræ non niſi extrema fibra adhæreat, ita ſollicitatam caudæ canis alligare funiculo, ſtatimque aufugere, fruſto panis cani obverſo, id illum appetentem nitendo radicem evellere, moxque audito ejus ejulatu concidere mortuum. Hoc modo ſe ἀνθρωπομόρφȣ compotes factos mentiuntur impoſtores, venduntque credulis ut rem ſanctam cariſſime. Nimirum poſſidentibus πολυφιλίαν, fæcunditatem, divitias, futurorum prænotionem, breviter, omnem fortunæ favorem pollicentur. Sed eſſe rei tam beneficæ ſuum cultum tribuendum. Ergo vino eam lavare, ſericeo panno candidi rubrique coloris involvere, in capſula condere, ſingulis noviluniis involucrum mutare, & hæc omnia, conceptis verbis peragere fas eſſe, lædere vel minima ex parte nefas & ſummi rem periculi. Sed hæc omnia a fraude hominum & Diaboli orta eſſe & provenire facile oſtendi poteſt.

§ 8. Apud Jndos quoque haud multo diſſimiles delicias Diabolus ſolitus erat, ſi *Benzoni* credimus referente *Camerario*. Habebat Regu- *Cent 2. Hor. ſucciſ. c. 10.*

lus quidam Gamaretus nomine Zemis idolum bombycinum. Corocottum appellatum. Hic Corocottus e ſummo domus culmine, ubi vinctus aſſervabatur, ſæpenumero exire, atque inter fœminas regii pagi ac totius circa viciniæ Satyri aut incubi inſtar, oberrare, cum iiſdem ludere familiariter, epulari & coire conſueverat. Mox cum fœminæ partus gemina corona, vel alia illuſtri nota inſignes eniterentur, nemo ex Corocotti ſtirpe ortos eſſe dubitabat. Interdum etiam indignabundum deliteſcere ferebant, quod a Regulo ex quotidiano ejus cultu & ſacris quippiam prætermiſſum eſſet. Memorant & alteri cuidam Regulo Zemen fuiſſe ligneum, quadrupedem Epilguanitam, qui ſubinde quoties irritaretur, in ſylvas ſe proriperet. Moxque ut eum abeſſe ſenſerat Regulus multos e ſuis mittebat, qui eum ſtudioſe conquiſitum venerabundi humeris referrent. Cum autem Chriſtiani eo adventaſſent, iſte & cæteri Zemes aufugiſſe dicuntur, nec quæſiti reperti ſunt. Niſi quis hos Genios ad Genios domuum referendos putet.

CAPUT

CAPUT IV.

Euclides, Empedocles, Servius cuilibet duos aſſignant Genios, bonum & malum. Antiqua opinio de Angelo bono & malo hominum. Judicium Bellarmini de libro Paſtoris. Socratis & Trajani bonus Genius, Boni Genii effigies. Genius malus Siniſter, ater & *δαίμων ἕτερος dictus. Viſus omen mortis fuit. Malus Genius Bruti, Caſſii Parmenſis, Brunonis. Genius quomodo cultus die natali. An die natali nulla victima vel Genio vel DIs Deabuſque aliis mactata? Inſcriptt. vett. de victima in die natali. Lectus Genialis in nuptiis in honorem Genii ſtratus. Juramentum* per Genium Principis. *Ejus loco Chriſtiani veteres jurabant* per ſalutem Cæſarum.

§ I.

Hactenus de uno ſingulari hominum *Genio* egimus, fuerunt autem, qui non unum *Genium*, ſed *duos Bonum* & *malum*, ſingulis mortalibus datos eſſe crederent. Quam in rem *Cenſorinus* ait: *Euclides So- crati-* *de die nat. c. 3.*

craticus duplicem omnibus omnino nobis Genium dicit appoſitum: quam rem apud Lucilium in libro Satyrarum non olicet cognoſcere. Idem ſenſit apud *Plutarchum* Empedocles: Οὐ γὰρ inquit, (ὡς ὁ Μένανδρός φησιν) ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστάτει εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου ἀγαθὸς, ἀλλὰ μᾶλλον (ὡς Ἐμπεδοκλῆς) διτταί τινες ἕκαστον ἡμῶν γενόμενον παραλαμβάνουσιν, καὶ καθάρχονται μοῖραι καὶ Δαίμονες. Verſus *Menandri*, quos hic *Plutarchus*, ſicut & *Ammianus Marcellinus*, decurtatos, integros vero refert *Clemens Alexandrinus*, hi ſunt:

l. de tranquill. an.

l. 21.

l. 5. Strom.

> Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ
> Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου
> ἀγαθός. Κακὸν γὰρ δαίμον' οὐ νομιστέον
> εἶναι, βίον βλάπτοντα χρηστόν.

Servius quoque *duos Genios* affirmat. *Cum naſcimur*, ſcribit, *duos ſortimur Genios unus qui hortatur ad bona, alter qui depravat ad mala: quibus aſſiſtentibus poſt mortem aut aſſerimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem.* Etiam *Becanus* ſingulos homines non ſolum bonum, a quo defendantur, ſed etiam malum angelum, a quo impugnentur, habere, antiquiſſima traditione non modo Chriſtianorum, ſed etiam Hebræorum

ad l. 6. Æneid. Virg. v. 743.

Theol. ſchol. l. C.

rum

rum traditum eſſe ſcribit. *Quam* addit, *traditionem ex antiquo libro Paſtoris & epiſtola Barnabæ, quam olim inter Chriſtianos in magna authoritate fuiſſe legimus, veteres autores probare ſolent, ut Origenes hom.* 10. *in Luc. & l.* 3. *de princip. c* 2. *& Caſſianus coll.* 8. *c.* 17. *& coll.* 13. *c.* 12. *& Beda in c.* 12. *Actor. Confirmant eandem traditionem Gregorius Nyſſenus in vita Moſis, autor operis imperfecti hom.* 5. *in Matth* Sed quid, *Becane*, de *libro Paſtoris* ſentit *Bellarminus*? *Quamvis*, ait, *hic liber multa utilia habeat, ut Sanct Hieronymus ſcribit: habet tamen etiam aliqua noxia, ut de unica pœnitentia ſecundum errores Novatianorum, quibus hic liber omnino favere videtur: ut etiam illud de duobus Geniis, ſive de duobus Angelis, uno bono & altero malo, ſingulis hominibus a Deo tributis, quem errorem ex hoc auctore accepit Jo. Caſſianus, & ante eum Origenes. De epiſtola Barnabæ* vero videatur ex parte *Rivetus*. *de ſcript. Eccleſ ſec* 1. *p. m.* 34. 35. *Crit. S. l.* 1. *c.* 6.

§. 2. *Bonus Genius* Socratis fuiſſe dicitur aliorumque. *Bonus* & iſte, qui Trajanum in ſumma Antiochiæ calamitate, ac cum ea urbs terræ motu magnam partem læderetur, eduxit foras, ut eſt apud *Dionem Caſſium*. *l.* 68. Τραϊανὸς δὲ, ſcribit, διὰ

φυγε

Φηγε μὲν διὰ θυρίδος ἐκ τοῦ οἰκήματος ἐν ᾧ ἦν, προσελθόντος αὐτῷ μείζονός τινος καὶ ἀνθρώπου, καὶ ἐξαγαγόντος αὐτὸν, ὥστε μικρὰ ἄττα πληγέντα περιγενέσθαι. Ejusmodi *boni Genii* effigies viſitur Romæ, & in illum hi verſus:

Quis tu læte puer? Genius: cur dextera ariſtas,
Læva uvas, vertex curve papaver habet?
Hæc tria dona Deum; Cereris, Bacchi atque Saporis.
Namque his mortales vivitis & Genio.

Vide *Henricum Salmuth.* (ad tit. 1. l. 2. Panciroll. p. 2. cp. 2.)

§ 3. *Genium malum* vocarunt *ſiniſtrum*; *Horatius* appellat *atrum*, ſicut *bonum album.*

Scit Genius natale comes, qui temperat aſtrum,
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum,
Quodque caput vultu mutabilis, albus & ater.

Fortaſſe a forma, in qua apparuit, de qua exponemus alibi. *Pindaro malus Genius* eſt δαίμων ἕτερος. Sicut ex *Feſti* ſententia apud Latinos *Al-* (od. 3. Pyth. in voce Altera.)

ter

ter & pro non bono ponitur, ut in auguriis altera *cum appellatur avis quæ utique proſpera non eſt. Sic alter nonnunquam pro adverſo dicitur & malo.* Is viſus, omen mortis præbuit, ceu *Genium malum* apparuiſſe Bruto tradit *Plutarchus* Ἦν δὲ τοιόνδε, μέλλων τὸν στρατὸν ἐξ Ἀβύδου διαβιβάζειν εἰς τὴν ἑτέραν ἤπειρον, ἀνεπαύετο νυκτὸς (ὥσπερ εἰώθει) κατὰ σκηνήν. οὐ καθείδων, ἀλλὰ φροντίζων περὶ τοῦ μέλλοντος. ψόφου δὲ τινὸς αἰσθέσθαι περὶ τὴν θύραν ἔδοξε, καὶ πρὸς τό τοῦ λύχνου φῶς ἤδη καταφερομένου σκεψάμενος, ὄψιν εἶδε φοβερὰν ἀνδρὸς ἐκ φύλου τὸ μέγεθος, καὶ χαλεποῦ τὸ εἶδος. Ἐκπλαγεὶς δὲ τὸ πρῶτον, ὡς ἑώρα μήτε πράττοντά τι, μήτε φθεγγόμενον, ἀλλὰ ἑστῶτα σιγῇ παρὰ τὴν κλίνην, ἠρώτα ὅστις ἐστίν. Ἀποκρίνεται δ' αὐτῷ τὸ φάσμα. Ὁ σὸς ὦ Βροῦτε δαίμων κακός· ὄψῃ δέ με περὶ Φιλίππους. τότε μὲν οὖν ὁ Βροῦτος εὐθαρσῶς, ὄψομαι, εἶπεν. Καὶ τὸ δαιμόνιον εὐθὺς ἐκποδὼν ἀπῄει. Interpretem hujus damus *Florum: Ipſi Bruto per noctem, quum illato lumine ex more aliqua ſecum agitaret, atra quædam imago ſe obtulit: & quæ eſſet interrogata; Tuus*, inquit, *malus Genius. Hoc dixit & ſub oculis mirantis evanuit.* Addidit apud *Plutarc-*

in vit. Cæſar circa fin.

l. 4. c. 7. & vid. Iacob. Zevecot. in h. l.

tarchum: In Philippis me videbis. Cui animoſe reſpondit Brutus : *videbo.* Caſſio etiam Parmenſi ante mortem *malus Genius* ſe exhibuit videndum. Is enim *apud Actium*, verba *Valerii*
l. 1. c. 17. *Maximi* ſunt, *M. Antonii fractus opibus, Athenas confugit : ubi concubia nocte, cum ſolicitudinibus & curis, mente ſopita in lectulo jaceret, exiſtimavit ad ſe venire hominem ingentis magnitudinis, caloris nigri, ſqalidum barba, & capillo demiſſo: interrogatumque quisnam eſſet, reſpondiſſe:* κακοδαίμονα. *Perterritus deinde tam tetro viſu, & nomine horrendo, ſervos inclamavit, ſciſcitatusque eſt, ſiquidem (al. an quem) talis habitus, aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidiſſent. Quibus affirmantibus neminem illuc acceſſiſſe, iterum quieti & ſomno ſe dedit : atque eadem animo ejus obverſata eſt ſpecies, Itaque fugato ſomno, lumen inferri juſſit, pueroſque a ſe diſcedere vetuit. Inter hanc noctem & ſupplicium capitis, quo eum Cæſar affecit, paululum admodum temporis interceſſit.*
l. 5. Annal. Bojor. cent. 2. c. 16. hor. ſucciſ. Nec multum diſſimile exemplum exſtat apud *Aventinum*, referente *Camerario*. Cum enim aliqando Henricus III. Imperator navigaret circa oppi-

oppidum Auſtriæ Greinon, eumque alia navi comitaretur Bruno Wurtzburgenſis Epiſcopus, cognatus ejus, cumque ſaxo cuidam eminentiori allaberetur, atra Æthiopis imago, ſatis nimis aperte ferale, ut exitus probavit, ſignum, ibidem conſtitit, Brunonem appellans: *Heus, heus Epiſcope, malus ſum*, inquit, *Genius tuus, meus es, & quovis gentium proficiſcare meus eras. Nihil quidem in præſentia agere adverſus te habeo, brevi tamen iterum me videbis.* Paucis autem diebus poſt caſu quodam extinctus eſt Bruno. Sed hæc de *duobus Geniis* ſufficiant.

§ 4. Nunc cultum *ſpecialis Genii* paucis luſtrabimus. Colebatur ut alio tempore & ſæpe, ita præcipue die natali, vino, thure, floribus, ſertis, choreis. *Genio* inquit, *Cenſorinus*, *potiſſimum quotannis ſacrificamus*. De vino *idem*: *Hanc diem* (natalem ſcilicet) *quod ait Perſius*, *numera meliore lapillo, idque quam ſæpiſſime facias exopto*, & *quod idem ſubjungit*, *funde merum Genio*. De reliquo cultu *Ovidius*, cum uxoris natalem celebraret:

de die nat. c. 3 l. c. c. 2.

Sat. 2.

l. 5 Triſt. eleg. 5.

Da

Da mihi thura puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fuſum ſtridat in igne merum.

l. 1. eleg. 8. *Tibullus.*
Huc ades & centum ludis, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius e nitido ſtillent unguenta capillo.
Et capite & collo mollia ſerta gerat.

l. 2. eleg. ? Rurſus.
Dicamus bona verba, venit natalis ad aras,
Quisquis ades, lingua Vir mulierque fave:
Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener a terra divite mittit Arabs.
Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores,
Cui decorent ſanctas florea (Simon Abb. Gabbemal. *mollia*) *ſerta comas.*
Illius e puro deſtillent tempora nardo,
Atque ſatur libo ſit madeatque mero.

Nolumus congerere plura,

§ 5.

§ 5. An victima Genius fuerit cultus die natali, videmus dubitari. Nam in die natali Genium ſine ſanguine cultum nonnulli eſſe tradunt. *Forſitan quis quærat*, ait *Cenſorinus*; *quid cauſæ ſit, ut merum fundendum Genio, non hoſtiam faciundam putaverit? quod ſcilicet, ut Varro teſtatur in eo libro, cui titulus eſt Atticus, & eſt de numeris, id moris inſtitutique majores noſtri tenuerunt, ut cum die natali munus annuale Genio ſolverent, manum a cæde ac ſanguine abſtinerent, ne die, qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent.* Eruditisſimus quoque *Caſaubonus* natali die nusquam legi mactatam ullam in honorem Genii victimam affirmat. At vero contrarium probant *Gyraldus* & *Dempſterus* ex illis *Horatii*:

de die nat c. 2.

comm. ad Sat. 2. Perſii. Syntagm. 15. Hiſt. Deor. paralip. ad l. 2. c 14 AR. Roſini. l. 3. od. 17.

Cras Genium mero
Placabis & porco bimeſtri.

Sed *Caſaubonus* hoc negat accipiendum eſſe de die natali. Imo ſi *Varronis* & *Cenſorini* adducta ratio vera eſſet & valeret, priſci die natali nullam plane hoſtiam mactare, & nec ſoli *Genio*, ſed nec *DIs Deabusque* aliis offerre debuiſſent. Quod tamen poſterioribus ſeculis non fuiſſe obſerva-

tum, aliquot exemplis probari poteſt. *Horatius* ubi Phyllidem invitat
l. 4. od 11. ad celebrandum natalem Mecænatis, hæc in verba lyram ſolvit.

Ridet argento domus: ara caſtis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

Nec obſcure *Juvenalis*:

Sat. 11. *Et natalitium cognatis ponere lardum,*
Accedente nova, ſi quam dabat, hoſtia carne.

Vetus quoque *Inſcriptio* apud *Gruterum*
p. 228 n. 8. teſtimonio eſſe poterit.

DECRETUM.

ÆDICULAM. ET. STATUAS. HAS. HOSTIAM DEDICATIONI. VICTIMÆ NATALI. AUG VIII. KAL. OCTOB. DUÆ. QUÆ. P. P. IMMOLARI. CONSUETÆ. SUNT. AD. ARAM. QUÆ. NUMINI AUG. DEDICATA. EST. VIIII. KAL. OCT. IMMOLETUR. ITEM. NATALI. TIBERI. CÆS. PERPET. ACTURI DECURIONES. ET. POP. CENET. QUAM IMPE-

IMPENSAM C. CASCELLIO. LABEONI. IN. PERPET. POL-LICENTI GRATIÆ. AGAN-TUR. MUNIFICENTIÆ. E-JUS EOQ. NATALI. UT. QUOD-ANNIS. VITULUS. IMMO-LETUR. ET. NATALIB. AU-GUSTI. ET. TIBERI. CÆSS. PRIUSQUAM. AD. VESCEN-DUM DECURIONES. EANT-THURE. ET. VINO GENII. EORUM INVITENTUR.

Facit huc etiam, quod *Lampridius* de Alexandro Severo Imperatore ſcribit: *in vita ejus* *Cum natalem diem commendaret, hoſtia cruenta effugit: & ut ſe civiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam ejus veſtem, cum qua conſtiterat, cruentavit.* Fortaſſean & Genio victima die natali oblata. Ponderetur Inſcriptio apud Gruterum, etſi haud integra. *p. 119.*

COLLEG. ADF. IN. CAPITOLIO. OB. NA-TALEM NERONIS. AUG. GERMANICI. JOVI. B. M. JU-NONI VACCAM. MINERVÆ.

VACCAM. FELICITATI. PUBLICÆ. VACCAM. CONCORDIÆ. VACCAM GENIO. IPSIUS. TAURUM. IN COLLEGIO. ADFUERUNT SULPICIUS. CAMERINUS. MAGISTER. M. APONIUS. SATURNINUS. C. VIPSTANUS APRONIANUS. L. SALVIUS. OTHO. TITIANUS. T. SEXTIUS. AFRICANUS.

Horat. l. 2. ep. 2. v. 187. Iſidor. l. 8. orig. c 11. Auguſt. l. 7. de C. D. c. 13. in voce hac. l. 1. ep. 1. v. 87.

§ 6. Quoniam porro *Genius* Deus naturæ, & præpoſitus eſſe ac vim habere omnium rerum gignendarum credebatur, in nuptiis in honorem *Genii* lectus ſternebatur, & *Genii maritorum* advocabantur; unde & ipſi lecto nomen adſcitum. *Lectus Genialis*, *eſt*, ait, *Feſtus*, *qui nuptiis ſternitur in honorem Genii*, *unde & appellatur*. Hoc modo illud *Horatii* exponunt.

Lectus Genialis in aula eſt.

l. 6. Æn. v. 603. 604.

Atque *Virgilii:*

Lucent Genialibus altis
Aurea fulcra toris.

Vide-

Videtur huc quoque alluſiſſe *Apule-* *l. 10. de*
jus : *Jam populo poſtulante illam de pu-* *A. A.*
blico carcere mulierem, quam dixi propter
multiforme ſcelus beſtiis eſſe damnatam,
meisque præclaris nuptiis deſtinatam : *Et*
jam torus Genialis ſcilicet noſter futurus
accuratiſſime deſternebatur. Hunc vero
lectum Genialem ſternebant vel no-
væ nuptæ, vel propinqui. Diſerte *l. 2. contra*
Arnobius : *Cum in matrimonio conveni-* *Gent.*
tis, toga ſternitis lectulos, & marito-
rum Genios advocatis. Cicero, *Lectu-* *pro Cluenti.*
lum illum Genialem, quem biennio ante
filiæ ſuæ nubenti ſtraverat, in eadem do-
mo ſibi ornari & ſterni expulſa & extur-
bata filia jubet.

§ 7. Tam magna inſuper vene-
ratio *Genii* fuit, ut per eum jurarint.
Imo ſanctiſſimum juramentum fuit, *ad l. 2. v.*
per *Genium Principis jurare*, hoc eſt, *14 A. R.*
ut *Dempſtero* exponere videtur *Sue-* *Roſin.*
tonius, *interpoſito per Cæſarem jureju-* *in Julio.*
rando. Ita apud *Apulejum Genius* *c. 85.*
Principis a militibus adjuratur. Ac *l. 6. A. A.*
videntur Imperatores ipſi hoc affe-
ctaſſe, ſicut Caligula multos acerbe
punivit, *quod nunquam per Genium ſuum*
dejeraſſent. Fuit tum tutius per De- *Sueton. in*
os, quam per *Genium Cæſaris* pejerare : *vita ejus*
Citius apud vos, inquit *Tertullianus*, *c. 27.*
in apolog.

 per *c. 28.*

per omnes Deos, quam per unum Cæſaris Genium pejeratur. Nam ſi quis per *Genium Principis* pejeraverat, fuſtigatione puniebatur. Sic enim *Ulpianus*: *Si quis juraverit in re pecuniaria per Genium Principis, dare ſe non oportere, & pejeraverit: vel dari ſibi oportere, vel intra certum tempus juraverit ſe ſoluturum, nec ſolvit, Imperator noſter cum patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigandum dimittere, & ita ei ſuperdici, προπετῶς μὴ ὄμνυε, petulanter ne jurato.* Chriſtiani autem nolebant jurare per *Genium*, ſed jurabant *per ſalutem Principum*. Satis aperte *Tertullianus*: *Juramus ſicut non per Genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus Geniis.* Et paucis interjectis: *Cæterum Dæmonas, id eſt, Genios adjurare conſuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus.*

l. Si duo 13. ſi quis ff. de jurejurando.

apolog. c. 31.

Sed finiamus hac vice.

Θεῷ ἡ δόξα.

C O-

COROLLARIA.

I.

An Paradiſus adhuc exſtet? Negatur contra Bellarminum *l. de gratia primi hom. c.* 14.

II.

An vini uſus fuerit ante diluvium? Diſputabimus exercitii gratia in utramque partem.

III.

S. Petrum unquam Romæ fuiſſe ex Hiſtoria S. probari nequit.

IV.

Certamen Petri Romæ cum Simone Mago, ejusque de hoc victoriam, haud ita probavit Baronius, *aut etiam potuit, ut non maneret hiſtoria ſuſpecta, dubia & incerta; ideoque non erat cur* Bellarminus *inter prærogativas Petri referret.*

V.

Genii gentilium ſunt fidelium Angeli.

V I.

Julius Cæſar apud Romanos ante Auguſtum cultus eſt vivus honore divino.

V I I.

Dormitavit A. Gellius *in Noctibus ſuis Atticis, quando l.* 11. *c.* 6. *ſcribit mulieres Romanas per Herculem non juraſſe.*

I X.

IX.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
GENIO PRINCIPIS
ET VETERI PER HUNC JURANDI MORE:

Occaſione L. 13. §. fin. ff. de jurejur.

QUAM,

ANNUENTE DIVINA GRATIA,

PRÆSIDE

BERNARDO LUDOVICO MOLLENBECIO,

JURIUM LICENT. ET DIC. GISS. ADV.

Publico LL. Cultorum Examini Exercitii gratia ſubmittet, horis locoque conſuetis,

GEORGIUS HENRICUS Born/

Gieſsâ Haſſus.

A. & R.

Ad diem 5. Aug. Anno τῆς χριστογονίας

MDCLXXXII.

FELICITER!

APHORISMUS I.

Grande illud actionum in vita civili vinculum JUSJURANDUM, ab omni utique ævo mortales ſanctè pariter ac religioſè habuerunt: vel ipſo Ethnico Cicerone 3. *officior.* *nullum eſſe vinculum ad ſtringendam fidem jureiurando arctius*, aſſerente. Nimirum fundamentum humanæ ſocietatis illud eſſe rectè credidere, ideò introductum, ut dictorum fieret factorumque fides ſtabilis atque certa. Etenim cum per naturæ pravitatem, nil apud homines fere eſſet certiùs, quàm ut fides data falleretur, nil contra incertius, quàm ut ſervaretur, omninò reipublicæ intererat, ut tale aliquod medium interveniret, quod pondus dictis factisque adderet; tale aliquod vinculum inveniretur, quo ſimplex promiſſio aſſertiove ſtabiliretur ſolidè ac confirmaretur: At verò arctius nullum viſum fuit, nullum cui majus ineſſet pondus, nullum cui major reverentia deberetur, niſi quo quis DEI OPT. MAX. qui

actu-

actuum humanorum teſtis ac arbiter, malorumque vindex & ultor ſeverus eſt, miſericordiæ gratiæque renuncians, graviſſimis ſuppliciis in hâc & futura vita ferendis, ſe devoveret, ſi aut falſum eſſet, quod aſſereret, aut quod promiſſum non ſervaret: Dn. Joan. Schilter, *in introduct. philoſ. moralis adver. nec ſimul juriſpr. cap.* 2. §. 14. *p. m.* 54.

APH. II.

Hinc eſt quod jurijurando eos characteres tributos videas, ea non minus elogia, quæ non poſſint niſi vel ſingularem venerationem perſuadere, vel timorem horroremque mentibus hominum incutere: Ita JUS SACRATUM dicitur, apud Virg. 2. *Æneid. v.* 157.

Fas mihi Grajorum SACRATA reſolvere JURA.

SACRAMENTUM. * *l.* 12. 13. *C. de reb. cred. l.* 2. §. 3. *de his qui not. infam. l.* 1. *pr. l.* 2. *C. de jurejur. propter calumn. l. ult.* §. 10. *C. de jure delib. l.* 14. *pr. C.*

* Unde Sacramento interrogari dicebantur, qui mediante juramento adigebantur, ut veritatem dicerent, ceu ex *Feſto* & *Paulo Grammat.* tradit Balduin. *de caſib. conſc. l.* 2. *c.* 9. *in princ.*

pr. C. de judic. l. ult. C. de fideicomm. l. 8. *C. de legat. l.* 21. *C. de fide inſtrum.*

JURIS JURANDI RELIGIO. *l.* 2. *C. de reb. cred. l.* 1. *ff. de jurejur.*

Et ſimpliciter RELIGIO. *l.* 24. 25. *ff. de jurejur. l.* 4. §. 1. *de in litem jurando.* Fortè quod mentem jurantis ita religet arctetque, ut tremorem ei timoremque injiciat, juxta *l.* 8. *de condit. Inſt. l.* 1. *C. de jurejur. propter calumn. dand.*

APH. III.

Inprimis autem Romanis hanc præ aliis deberi laudem contendunt omnes, quod juris jurandi inviolabilitas, ſancta ipſis adeò fuerit, ut ſi vel in minimo læderetur, maximum id eſſe nefas crediderint: Unde Cicero 3. *offic.* nulla de re diligentius judicaſſe ſcribit Cenſores, quàm de jure jurando, ſi ſcilicet hoc fuiſſet violatum, imò eos omnibus hac in re gentibus palmam præripuiſſe, *Polybius* teſtis eſt, ap. Roſin. *Antiq. Rom. p. m.* 1298. *al.* 1297. quo etiam facit *L. XII. Tabb.* fragmentum, *ut jurisjurandi ad fidem adſtringendam præcipua vis eſſet:* Nec non Gaji in *l.* 1. *ff. de jurejur.* reſponſum, *maximum expediendarum litium remedium jurisjurandi religionem eſſe.*

APH.

APH. IV.

Ut ut verò hoc fortè ita ſit, interim tamen dubium quoque non eſt, quo major honor juramentis ab ipſis Romanis habitus fuit, eò magis in iis concipiendis formandisque fluctuaſſe illos ac variaſſe: jurabant aliquando per vitam, per ſalutem, per caput ſuum liberorumque, per Deos immortales, interdum per Caſtorem, interdum per Pollucem, nonnunquam per Herculem: inde in comœdiis illa pervulgata: *Pol*, *Ædepol*, *Ecaſtor*, *Hercle*, *Mehercle*: jurabant & per Jovem Lapidem, idque ſancto omninò (ſanctiſſimum enim hoc jusjurandum habitum fuiſſe Gellius teſtis eſt *Noct. Att.* * 21.) ac peculiari ritu, nec minus his conceptis ſolennibus verbis: *Si ſciens fallo*, *ita me Diespiter* † *ſalvâ urbe arceque bonis ejiciat*, *ut ego hunc lapidem*: quem ſtatim,

* Quas Noctes Atticas multijugæ eruditionis penum vocat Voſſenhôlen de *Neutralit*, *c.* 2, *th.* 6.

† Ita Jupiter dictus vel quod Diei & Lucis Pater ſit, ut Roſinus 2. *c.* 4. Hildebr. in *comp. Antiq. Rom. voc Iupiter*, aliique conjiciunt; vel à διὸς, quod corruptum

cim, qua poterat vi projiciebat; vid. Perez. *in Cod. de rebus cred. n.* 3. Oldendorp. *Claſſ.* 1. *act.* 9. §. *porro.* 3. *p. m. Edit noviſſ* 96. Tandem etiam, ut taceam alia, per *Genium Principis* juramentum conceperunt.

APH. V.

De quo quidem, per *Genium Principis* jurandi modo, cum eximius extaret apud Ulpianum in *l. ſi duo* 13. §. *fin. ff. de jurejur.* locus, dubiaque deſuper non nulla deprehenderem, quæ in diverſas ingenia ſententias traxerunt, non luſurum me operam credidi, ſi jurisjurandi hujus naturam, originem, effectum, affinia atque huc non impertinentia, operâ ſaltem ſummariâ & per indicem quaſi oſtenderem.

APH. VI.

Et primò ergò GENIUS quid fuerit, dicendum eſt. Nimirum ſuum cuivis Dæmonem Laremve agnaſci ſuperſtitiosè antiquitas credidit: qui ut vel nulli, vel paucis admodum viſus, ubique tamen præſens & omnium

ptum erat Θεὸς, & antiquo Latinorum *Piter*, pro quo nunc *Pater* dicimus, quòd *Deorum Pater* Jupiter eſſet, quæ derivatio Kippingii eſt *in Recenſ. Antiq. Rom. lib.* 1. *c.* 1. *p.* 48.

nium non modò actorum, verum etiam cogitatorum teſtis eſſet. Dæmonem hunc *Genium* appellabant, à *gignendo*, ſeu potius antiquo *genendo*, quod quaſi *Deus naturæ* vel naſcatur nobiſcum, vel genitos nos ſuſcipiat tueaturque: *Genius ita aſſiduus nobis obſervator eſt*, ſunt verba Cenſorini apud Roſin. *Antiquit. Rom. lib. 2. cap. 14. ut ne puncto quidem temporis longius abſcedat, ſed ab utero Matris acceptos ad extremum vitæ diem comitetur. Appellatur autem hoc Numen Genius, ſive quod in ejus tutelâ, ut quisque natus eſt, vivit: ſive quod, ut generemur, curet: ſive quòd unà gignatur nobiſcum: ſive etiam quòd nos genitos ſuſcipiat ac tueatur.*

APH VII.

Qua quidem in re mirandum foret, inter medias Gentilium tenebras, ſimulacrum aliquod veritatis emicare; cum certè nec alienum adeò à ſcripturâ ſit, aut probabilitate careat, ſuum unicuivis piorum Angelum, Deum aſſignaſſe, qui à nativitatis ſtatim ortu cuſtodiat hominem ſervetque: quo pertinet, quod Hieronymus *ſup.* 18. *cap. Matth. Magna eſt*, inquit, *dignitas animarum noſtra-*

ſtrarum, quarum unaquæque habet ab ortu nativitatis, in cuſtodiam ſui, deputatum Angelum, nec non quod Bernhardus *ſermone* 12. *in Pſal.* 91. *in omni loco*, dicit, *in omni angulo reverentiam habe Angelo tuo, neque illo præſente facias, quod me præſente erubeſceres.* Si non tot figmentorum, tot etiam ſuperſtitionum ambages, inſimul hîc deprehenderentur: Enimverò non omnium hominum modò, ſed & Regnorum, Regionum, urbiumque ſuos eſſe *Genios* Deosque credebant; Indeque & illud forte eſt, quòd urbem obſeſſuri Romani, quam capi jam poſſe confidebant, certo prius carmine *Genios* ſive tutelares Deos evocarent, vel quod capi urbem non aliter poſſe crederent, vel ſiquidem poſſet, nefas tamen putarent, Deos habere captivos: Gotofr. *in not. ad l.*9. §. 3. *ff. de diviſ. rer. lit. g.* certum enim eſt, Deorum numero ab ipſis, *Genios* habitos fuiſſe, divinoque quemlibet ſuum *Genium* honore mactaſſe: quo veré pertinet, quod vulgò Deum Genium invocare, Genio litare, ac ſacrificia offerre, quâ de re Tibullus lib. 4. ad Cerinth.

Magne *Geni*, cape thura libens, votiſque faveto

& alius

- - - - Tu ceſpite vivo
Pone focum, *Geniumque* loci, Faunumque, Laremque
Salſo farre voca.

Quin imò rogare, obteſtari, & quæ ſingularis Deorum prærogativa eſt, *jurare* per Genium alicujus ſolebant.

APH. VIII.

Imprimis verò Principibus hoc datum legimus, ut per eorum *Genios* maximè juraretur: Quod vel inde eveniſſe probabile eſt, quia licet proprium cuivis agnaſci *Genium* exiſtimaverint, alium tamen alio valentiorem excellentioremque eſſe ſtatuerunt, quod cujus *Genius* potentior eſſet, cæteros is omnes antecelleret: Cumque ergò Auguſtis Principibus auguſtior ineſſe ſpiritus *Geniuſque* crederetur, qui inter *Genios* omnes, quemadmodum inter homines ipſe Princeps, ſummus eſſet, arctiſſimum utique jusjurandum ipſis videri poterat, quod per *Genium Principis* conciperetur; quin imò decreto à Senatu facto cautum fuiſſe, ut per Cæſaris Genium juraretur, ex Dione Caſſ.

Caſſ. Refert Phil. Caroli *Antiq. Rom. lib.* 1. *c.* 7.

APH. IX.

Quâ rurſus in re, uti ab omni omninò errore Romanos non libero, ita ab omni etiam eos deviaſſe vero, vix dixerim. Utique enim in eo rem acu tetigiſſe videntur, quod ſingularem quandam divinamque Principibus inſitam virtutem eſſe, eorumque Spiritum Geniumque cæteros ſuperare omnes crediderunt. Ecquis enim etiam vel noſtrum eſt, qui grandi illo cœlitus demiſſo merito, MAJESTATEM puto, prædititis, divini quid ineſſe negare audeat? Sunt ſanè DIVINI Principes, SACRATISSIMI, SANCTISSIMI, *l.* 87. §. *ult ff. de leg.* 2. *l.* 11. C. *de his quib. ut indign. l.* 8. *pr.* & §. 12. *ff. de tranſact. l.* 5. C. *de diverſ. reſcript.* & *in tit. de concept. ff.* §. 1. Imò ab ipſo DEORUM DEO, Sacratiſſimo Principum Principe, DII vocantur *Pſalm.* 82. *v.* 2. Dei ſunt Vaſalli Principes, *Sap. c.* 6. *v.* 4. Dei gratiâ regnant. *Prov.* 8. *v.* 15. Adde, quod à Supremo omnium rerum Numine, nunc cœleſtibus donis, nunc naturalibus

& Genitivis inſignibus notiſque, ita condecorari ornarique communiter ſoleant, ut divinus eorum vigor, cœleſtis oculorum fulgor, veneranda quoque & grata omnibus Majeſtas, non perſtringat ſolùm & adſpectus invitet, ſed & reverentiam ſingulis ac venerationem imperet: vid. poſt alios Sueton. *in Octav. cap. 79. ubi de oculis claris & nitidis Auguſti, quibus divini quiddam ineſſe vigoris ſcribit*, & qui pluribus rem illuſtrat exemplis Theodor. Hôpping. *meditat. Hiſt. de not. natur. genit. & gentilit.* §. 5. *pag* 16. 17. *ſeqq. Divinitus* inquit Franciſcus Scribanius *in Princip. Muſc. p. m.* 534. *quædam amplitudo impreſſa eſt Principibus, quâ adducti homines, tacitâ quadam & ineffabili veneratione, Principem ſuum, tanquam aliquem ex Deorum ſocietate proſequuntur.* Appoſitè quoque M. Terentius Eques Romanus apud Tacitum *lib. 6. Annal. cap.* 8. *Non eſt*, ait, *noſtrum æſtimare, Tiberi Cæſar, quem ſupra cæteros, & quibus de cauſis extollas: Tibi ſummum rerum judicium DII dederunt, nobis obſequii gloria relicta, abditos Principis ſenſus, & ſi quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps, nec ideo aſſequare.*

APH.

APH. X.

Præthereà grandia illa & divina quibusdam Principibus conceſſa chariſmata, queis varios perſæpe morbos, ſtupendô planè modo, ſanandi facultatem habent, quid quæſo evincunt aliud, quàm Divino Principes Genio eſſe, & ab ipſius Divini, cujus vicem gerunt, Numinis, ſacratiſſimâ quid virtute participare? Enim vero de *Imp. Veſpaſiano*, quæ Romanarum rerum ſcriptores Tacitus * 4. *Hiſtor. cap.* 81. Sueton. *in Veſpaſ. c.* 7. Dio Caſſius *Hiſtor. Rom. lib.* 66. *in Veſpaſ. verſ. idem Veſpaſianus cæcum hominem*, aliique tradunt, cum cœcis viſum, & manu vel crure debilibus, ſanitatem cœleſti planè favore, & Numinum quadam inclinatione reſtituiſſe, quem in admirationem non rapiant? Lucem rei afferant ipſius Taciti ſaltem initialia verba: *Per eos*, inquit ille, *menſes multa miracula*

* Prudentiſſimus ille annalium conditor & aulicarum rerum vaſerrimus, encomio Henelii *in otio Vratislav. c.* 2. *p.* 16. Quo nihil ſublimius, nihil perfectius tota Gentilium habuit eruditio: judicio Voſſenhôl. *de Neutralit. c.* 1. *in fin.*

evenere, queis cæleſtis favor, & quædam in Veſpaſianum inclinatio Numinum oſtenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notatus, genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis expoſcens gemitu &c.

APH. XI.

Imò non perſonis ſaltem ſingulis, [quarum referri plurimæ poſſent] ſed & integro ſæpe Regum Principumque Ordini, totiſque familiis illuſtribus, divina hæc dona competiiſſe, unde Divinus eorum Genius noſceretur, Hiſtoricorum tradita inculcant. Sanè de *Chriſtianiſſimis Galliæ Regibus*, fama conſtans eſt, raro quodam certoque Dei privilegio conceſſum eis eſſe, ut ſi morbo ſtrumarum infectos, Rex legitimè ſuccedens, ac antiquis & receptis ceremoniis coronatus, manu tetigerit, verbis aliquot certis & ſolennibus recitatis, velut: *Le Roy te touche, Dieu te guariſſe: tangit te Rex, ſanet te Deus*: (Le Mercure François addit verba: *au nom du Pere, du Fils, & Sainct Eſprit*) valetudinem recuperent. Limn. *in not. Regn. Franc. l. 2. c. 5.* Joan. Tilius *in comm. rer. Gallic. de Sacris Re-*

gum

gum Reginarumque & e[illegible]um coronatione lib. 2. Cruſius *de univerſ. jur.* παρεθρ. *l.* 3. *c.* 4. *num.* 75. *& ſeq. p. m.* 445. Sic & *ANGLIÆ Regibus*, percurandæ Elephantiaσεως divinam vim quandam ineſſe, ex *Polyd. Virgilio. Chopino*, *Valdeſio*, *Piccarto*, *Bizarro*, Hôppingius nos docet. *cit. tr. de not. nat. Genit. & Gentilit.* §. 7. Similiter & *Arragoniæ Reges* morbo ſtrumarum afflictis, ſalutem contuliſſe, *Hiſpaniæ Reges* crucis ſigno Dæmonia expuliſſe, ex *Chaſſanæo*, *Carolo Tapia*, *Valdeſio*, *Beutero* idem Hôppingius *c. l. p.* 29. & Cruſius *cit tr. p.* 447. *n.* 89. memorant. Quin & Potentiſſimos Auſtriæ Archiduces, cælitus hâc conceſsâ prærogativâ gaudere, ut ſtrumoſis ſanitatem, & balbis loquelam reſtituere poſſint, Dn. du May teſtis eſt, *dans ſon livre de l' Etat de l'Empire: dialogue* 3. *p. m.* 128. verbis: *Les Princes de cette Maiſon, ont receu de grandes graces de Dieu, de la nature, & des hommes. De la nature, en ce qu'ils ont tous le menton long, & les levres groſſes, ce qui temoigne leur pieté, conſtance, & integrité. De Dieu, en ce que donnant de leur main, un verre d'eau à ugoi treux, ils le gue-*
L 4 *riſ-*

eriſſent ; & baiſant un begue, ils denoüent ſa langue.

APH. XII.

Sic ergò divini quid non raró Principibus ineſſe, certæ veritatis res eſto. Ad juramentum per *Genium Principis* revertor: Illud tanti Principes nonnulli fecerunt, ut peculiare decus, ac ſingularem quandam prærogativam, ſi per eorum Genium juraretur, contra dedecus, Majeſtatisque quandam imminutionem eſſe, ſi non juraretur, exiſtimaverint. Sanè Cajus Caligula Imp. *Suetonio* teſte, cum divinitatis cultum ſibi adſereret, multos honeſti ordinis, deformatos prius ſtigmatum notis, ad metalla, aut viarum munitiones, aut ad beſtias condemnavit, aut beſtiarum more caveâ coërcuit, aut medios ferra diſſecuit, hâc ferè præſcriptione, quod nunquam per *Genium* ejus dejeraſſent. Nec aliorſum fortè trahendum illud Corn. Tacit I. *Annal.* 73. *Rubrio crimini dabatur, violatum perjurio nomen Auguſti.* Quin & jurantes ipſi, grandius aliquod juramentum, quodque magis jurantem ſtringeret, nullum putaverunt, quam quod

quod per *Genium Principis* præſtaretur; quò *Alex. Neapolitani* locus pertinet, exhibitus à Spiegelio in *Lexic. jurid. voc. Genii. Per ſalutem & Genium Principis dejerare, longè præſtantiſſimum jusjurandum haberi cœptum, cui nullâ vi, nulloque imperio contra ire fas erat.* Unde non immeritò ipſis à S. Patribus, *Tertulliano* imprimis, objectum, *Majori ipſos formidine Cæſarem obſervare quam Deum.: Eſſe illis tutius, per omnes Deos, quam per unum Genium Principis pejerare:* vid. Schônborn. 2. *Polit.* 21. Rauchbar. *quæſt. jur. civ. p.* 2. *q.* 2. *n.* 23. Phil. Carol. *lib.* 1. *Antiquit. Rom. c.* 6. *n.* 26. Quanquam tamen Chriſtiani, qui ſub Gentilium Principum imperio vixerunt, veriti ne idololatriam committerent, religiosè ab hoc juramento abſtinuerint. Henel. *in Otio Vratisl. cap.* 2.

APH. XIII.

Et ſanè rectè: Eſt namque juramentum divini cultus ſpecies, qui non imaginariis fictitiisque tribuendus Diis eſt: Solus Deus T. O. M. ut omnipotens adorandus, ſolus ut omniſcius in conſcientiæ noſtræ teſtem, perfidiæque ultorem invocandus

dus venit. *Deut. 6. v.* 13. *& c.* 10. *v.* 20. *Jerem.* 5. *v.* 7. *Hebr.* 6. *v.* 16. *Matth.* 5. *v.* 33. vid. Balduin. *de Caſ. conſc. l.* 2. *c.* 9. *Caſ.* 2. *p.* 331. Ergone verò maculâ laborare *l.* 13. §. *fin. ff. de jurejur.* dicendum? in qua, *ſi quis*, inquit Ulpianus, *juraverit per Genium Principis, dare ſe non oportere, vel intra certum tempus juraverit ſe ſoluturum, nec ſolvit, Imperator noſter cum Patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigandum dimittere, & ita ei ſuperdici: προπετῶς μὴ ὄμνυε, h. e. petulantur ne jurato*: Minimè: Et ut ut inſignis erroris [illegible]m legem arguant multi, vix tamen errorem, quo minus inde, ad ſervandum illud juramentum, obligatio inducatur, invenire poteris. Sane enim per *Genium*, ſeu fictitium Numen Principis jurare, nec præcipit jus Juſtinianeum, nec approbat: Saltem & quando juratum ita fuerit, ſervari jubet; quia etſi in abſtracto & qſ. in idea, non poſſit nomen mereri juramenti, niſi ubi invocatur verum Numen, & ſic revera non juraverit, qui per Genium, quippe in quem nec religio cadit, nec vindicta, juravit, conſiderata tamen opinione jurantis, qui dum, quantum in ipſo fuit,

verè

verè jurare voluit, ideo haut aliter ac ſi verè juraſſet obligabitur: quo pertinet, quod Divus Pius, *jurejurando, quod propriâ ſuperſtitione juratum eſt, ſtandum eſſe* reſcripſit. Ulpian. *in l.* 5. §. 1. *ff. de jurejur.* Et ſimiliter, *quamvis non ſit per creaturam jurandum, ſi tamen juretur per creaturam, ſervandum eſt. c. etſi Chriſtus* 26. *v. & quamvis X. eod.* Cumque jurans ſub falsâ licèt notâ, generali tamen complexione verum Deum reſpexerit, verus etiam Deus, ſi pejeratum ſit, in ſuam injuriam id factum interpretabitur. H. Grot. *d. J. B. & P.* 2. *c.* 13. §. 12. Reutanum, *de jurament. membr.* 1. *num.* 30. Balduin. *de caſ. conſc.* 2. *c.* 9. *caſ.* 3. Strauch. *de jur. Nat. & Civ. conven. theſ.* 30.

APH. XIV.

Unde facilé reſponderi & illis poteſt, qui abſurdé LL. Statutum eſſe aſſerunt, ut per *Principis Genium* pejerantes graviſſimè puniri, per Deum verò perjurium committentes, vel nullâ, vel ſaltem leviori pœna coërceri debeant: vid. Henel. *in Otio Vratis l. c.* 2. Rauchbar. *quæſt. jur. Civ. & Sax.* 2. *part* 2. *n.* 24. Etenim oſtendendum prius erat, diſpoſitum ita in ju-

re

re eſſe, antequam ád eam aſſerendi temeritatem prolaberentur: Sanè ex ante *cit. l.13. §. fin. de jurejur.* fruſtra id colligas: Nec magis id ipſum evincit textus * in *l. 2. C. de reb. cred. jurisjurandi contemta religio ſatis Deum ultorem habet: periculum autem corporis, vel Maieſtatis crimen ſecundum conſtituta*

* Quem aliâs in quæſtione *an perjurium LL. impunitum ſit?* mirè Dd. torquent & retorquent, ut imprimis videre eſt apud Carpz. *pr. crim. p.* 1. *quæſt.* 46. cui jungi poſſunt Pacius *cent.* 3. ἐναντιωφ. q. 79. Bronchorſt. *cent.* 3. *aſſert.* 25. Cujac. 2. *obſ.* 19. Donell. *tract de jurejur. c.* 9. Ummius *diſp.* 14. *num.* 34. *th.* 6. Perez. *ad tit. C. de reb. cred. n. ult.* Mihi Acutiſſimi JCti (ut laudatur à Brunnem. *in d. l.2. C. de cred. cred.*) Antonii Matthæji *in tract. crim. lib.*47. *n. ult.* explicatio arridet: Alexandrum Imperatorem hoc non velle, non poſſe extra ordinem accuſari perjuros, ſed non eſſe proditam publicam accuſationem, fruſtraquè adeò timeri pænam L. Juliæ Majeſt. Quod verò adjicit, Jurisjurandi centemptam religionem, ſatis Deum ultorem habere, id ad inconſulta & calore facta perjuria referendum eſſe, ad quæ tametſi jus Civile connivet, Deum tamen Optimum Maximum impunita ea non relinquere, add. Dn. Struv. *Exerc. ad ff.* 17. *th.* 54.

tuta Divorum Parentem meorum, etſi per Principis venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet. Quæ enim inde illatio? jurisjurandi contemta religio ſatis Deum ultorem habet: Ergò per Deum pejerans legibus non punitur: Quaſi verò delicta, quæ Deum ultorem habent, quæque ſe puniturum ipſe in Verbo ſuo minatur, ea in foro propterea impunita relinquantur: Quaſi, ſi certa delicto ſtatuta pœna non eſt, aut ordinaria accuſatio non competit, extra ordinem eo nomine agere, & delinquentem punire non liceat: Quaſi, v. g. ſtuprum committens, quando jam *ſatis* à Politico Magiſtratu punitus dicitur, nihilominus non Eccleſiaſticæ cenſuræ adhuc reus maneat: Præterea verba illa, *jurisjurandi contemta religio in d. l.* 2. ſatis generalia ſunt, ad quodlibet juramentum applicari apta, ut abſurdus proinde non fuerit, qui etiam, juramenti per Genium Principis præſtiti contemtam religionem, Deum ultorem habere, dixerit.

APH. XV.

Sed fac: (citra tamen præjudicium veri-

veritatis *vid. l.* 41. *C. de transact.* & ibi Brunnem. *num.* 4. Gœhauſ. *p.* 1. *peric.* 7. *quæſt.* 54. *Ord. crim. Carol. art.* 107. & 108.) Perjurium per Deum, legibus vel planè non, vel non adeo graviter puniri, puniri verò gravius, quod per *Genium Principis* commiſſum: proptereane talis contra rationem, abſurdaque lex fuerit? Abſit! Nam ſi in pejerantem per Genium Principis graviter adeò animadverti Leges voluerunt, utique quoque perjurium per Deum punivere, cum qui per Genium Principis pejeraverit, per DEUM perjurium commiſiſſe dicendus ſit: Saltem in eo diſcriminis aliquid ſubeſſe æſtimavere, quòd in perjurio per Genium Principis, ipſe offendi Princeps, ſecuritasque publica & ſancta majeſtas violari videretur, quod fieri pariter non putabatur, per eum, qui omiſsâ Principis mentione per Deum pejeraverit, quare juxta illud, quod Tiberius apud Tacitum inquit 1. *Annal.* 74. *in fin. Suæ Diis curæ ſunt injuriæ*, ſatis puniri eum crediderunt Principes, qui quoniam nullô dignô ſatis pœnarum genere affici poterat, DEI horrendo judicio, quippe cujus æternis ſuppliciis ſe de-

ſe devoverat, unicè reſervaretur, cum perjuria impunita non ſinat DEUS; *Exod.* 20. *v.* 7. *Deut.* 5. *v.* 11. conf. Carpz. *in pr. crim. quæſt.* 46. *n.* 4. *& multis ſeqq.* Pariter & in læſæ Majeſtatis crimine comparata res eſt: Illi enim, qui in Principem quid nefariè patraverit, præterquam quod bona ejus fiſco addicantur, gladii ſtatuta pœna eſt, memoriâ ejus poſt martem *damnatâ*, * filiisque inſimul, non à maternâ ſaltem, vel avitâ omnium etiam proximorum, quin & extraneorum hereditate excluſis, ſed & infamiâ notatis, ſic, ut ad nullos prorſus honores, ad nul'a ſacramenta pervenire, ſed perpetua quaſi egeſtate ſordentes tales eſſe debeant, ut mors ſolatium, & vita ſit ipſis ſupplicium, *jux-

* Quæ *damnatio*, interprete Harprechto ad §. 3. *I. de publ. jud.* ſic fieri conſuevit, ut ejus, cujus damnabatur memoria, ex Magiſtratuum albo nomen eraderetur: effigies & ſtatuæ dejicerentur, tituliique luto detegerentnr, nec lugebatur, nec filiî ejus ſepulchrorum jus habebant. *l.* 11. §. *non ſolent. ff. de his qui not. infam. l.* 1. §. *interdum ff. de ſuis & leg. hered. adde* Heinden *concluſ. crim. cap.* 1. *concluſ.* 18. Perez. *in Cod. ad L. Jul. Majeſt. n.* 19.

* juxta reſcriptum DD. AA. Arcadii & Honorii in *l.* 5. *C. ad L. Jul. Maj.* cum contrà in eum, qui in Divinam quid Majeſtatem commiſerit, nil adeò durum ſtatutum quid reperiamus: non quod eandem pœnam non mereatur, ſanè enim longè gravius eſt æternam, quàm temporalem Majeſtatem offendere: *Auth. Gazaros C. de hæret & Manich.* Sed quia ſatis adhuc atrociter cum ipſo agi Principes crediderunt, ſi divinis ſuppliciis ſceleſtus ille, mactandus relinqueretur: Similiter nec in liberos in Deum delinquentis animadverti poterat:

* Satis ut videtur durum: unde Brunnem. *ad d. l.* 5. *C. ad L. Jul. Majeſt.* Imperatores aliquid humani hac in re paſſos eſſe, & Wieſſenbachius *diſput. ad ff.* 34. *part.* 2. conſtitutionem hanc, à lege divinâ pariter ac naturali æquitate, prorſus abhorrere, ait. Quibus accedunt Grotius *de I. B & P.* 2. *c.* 21. *num.* 13. ibique Ziegl. *p.* 490. & *ad Lancelloti. Inſtit. Jur. Cam. p.* 948. Bachovius *ad Treutl. vol.* 2. *D.* 32. Eckoldtus *ad tit. ff. ad L. Jul. Maj. n.* 12. & alii. Interim tamen, nihil hic conſtitutum eſſe cum Perezio *in Cod. ad L. Jul. Majeſt. n.* 17. & 18. Summoque JCto Dn. Struvio. *Exerc. ad ff.* 49. *th.* 20. aliiſque dicemus, quòd defendi non poſſit.

terat: quoniam licet Princeps offenſus metuere poſſit, ne delicta parentum ſint imitaturi filii, proindeque, ne noceant, ſuorumque necem vindicent, rectè in eos quaſi ex infortunio quodam obligatos, animadvertat; Non pariter tamen Deus, quod in poſteris delinquentis metuat, habet. vid. Gomez. *variar. reſol. c.* 2. *num.* 13.

APH. XVI.

Sic ergò rectè voluerunt Principes per eorum *Genium* pejerantem fuſtibus caſtigari, inſimulque ei ita ſuperdici, προπετῶς μὴ ὄμνυε, *petulanter ne jurato. d. l.* 13. §. *fin. ff. de jurejur.* Nimirum recepti apud veteres moris erat, ut ſupplicium de reo ſumentes, cauſam ſimul pœnæ ſolenni ritu exprimerent, idque vel per proclamationem præconis, qui publicè ita ſupplicii cauſam edicebat, cujus exemplum extat in *l.* 16. *C. ex quibus cauſ. infam. irrog. Fuſtibus cæſum, cui per præconem ita dictum eſt,* ἐσυκοφάντησας, *i. e. calumniatus es, ut calumniatorem videri notatum manifeſtum eſt:* Et pertinet huc illud Spartiani in Severo: *Fuſtibus eum ſub elogio præconis cæ-*

 cidit,

cidit, Legatum Pop. Romani homo plebejus temerè amplecti noli. Item Trebell. Pollionis in *Gallien. Polycarpus tertiò confeſſus eſt ſe Chriſtianum eſſe:* Nec non Euſebii. 4. *c.* 5. *Agnes ſacrilega virgo, Diis blaſphemiam inferens, ſcortum lupanaribus nota.* Vel etiam ipſi ſupplicii loco, ἐπιγραφὴ quædam affigebatur, qua & ſupplicii cauſa innoteſceret populo, & mali à ſimili flagitio patrando revocarentur: Hinc Tranquillus: *Canibus eum objecit cum titulo: Impiè locutus Parmulanus.* Quin & ipſam crucis Salvatoris noſtri inſcriptionem, *Jeſus Nazarenus, Rex Judæorum*, communiter huc referunt. Itaque quando nunc, per *Genium Principis* pejeranti ſuperdici jubetur, προπετῶς μὴ ὄμνυε, *petulanter ne jurato*, num de verbali illud, an de ſcripta ſuperindictione intelligi deberet, dubitari poterat: Et utut ſcriptam intelligant *Duarenus* & qui eum ſequi videtur N. à Salis in *Sicilim. juris ad. d. l.* 13. *§. fin. de jurejur p. m.* 38. potius tamen de verbali textum loqui, & ipſum verbum *ſuperdici*, & tradita Cujac. 8. *obſerv.* 7. evincunt, adde Godofr. *in not. ad d. l.* 13. *§. fin. de jurejur.* *& ad l.* 17. *C. ex quibus cauſ. infam. irrog.* APH.

APH. XVII.

Tantum nunc de juramento per *Genium Principis*. Liceat adhuc paucis & extremo, quod ajunt, digito, alia huic noſtro affinia juramentorum genera, quippe queis æquè maculam juri Sacratiſſimo noſtro adſpergi, viſum nonnullis eſt, ὡς ἐν παρόδῳ & coronidis loco attingere. Sint illa ſequentia: quæ fiebant per ſalutem Principis *l.* 41. *C. de tranſact.* per caput ſuum, *l. ait prætor.* 3. §. *fin de jurejur.* per caput filiorum. *l.* 4. *ff. eod.* per ſalutem ſuam. *l.* 5. *eod.* inprimis verò per Sanctam & Glorioſam Dei Genitricem & ſemper virginem Mariam, & per ſanctos Archangelos Michaëlem & Gabriëlem, *Nov.* 8. *in fin.* de qua ultima juramenti ſpecie antequam quid afferam, de prioribus quid ſentiendum putem, indicabo.

APH. XVIII.

Et ergò illæ ita comparatæ ſunt, ut affirmare auſim, in illis vix reperiri poſſe, quod reprehenſione aliquâ dignum: Nimirum duplici ratione per *aliquid jurari* Romani dicunt, ſemel enim id ſignificant, *cujus vin-*

M 2 *dictæ*

dictæ jurans ſeſe devovet, deinde illud, *quod devovetur.* In priori notatione, non niſi per *ſolum DEUM* jurandum eſſe, recte Romani crediderunt, quos ab Ethnicismi ſuperſtitionibus Chriſtiana religio liberaverat. In alterâ tamen notatione etiam per alia ſine vitio jurari ſunt arbitrati, ut nempè, majoris venerationis timorisque injiciendi causâ, nonnulla in jurejurando DEO devoverentur, eiusque vindictæ ſubmitterentur: Hinc ſoliti fuerunt non ſe ipſos tantum, ſed quicquid ipſis carum eſſet ſacramento Deo offerre; Eoque nunc pertinent pervulgatæ iſtæ formulæ, *per caput*, *per ſalutem*, *per vitam*, *per ſalutem Principis*, *per liberos* &c. Enim verò, non niſi abſurdus dixerit, capiti, vitæ, ſaluti Principis, liberiſque ſuis Romanos ſeſe devoviſſe, cum ita juraſſent, aut in aſſertionis ſuæ teſtes perfidiæque vindices invocaſſe; proindeque aliter ſtatui non poteſt, quàm in his ipſis formulis, divini Numinis invocationem implicitè contineri, creaturas verò has non *invocatas* à Romanis, ſed tanquam Divinæ vindictæ inſtrumenta, ſubiectas DEO fuiſſe, quibus

bus ita in perfidia ulciſcendâ uti poſſet. Quare recte Ulpianus in *l.* 33. *ff de jurejur. Qui*, inquit, *per ſuam* [vel etiam Principis, juxta *l.* 41. C. *de tranſact.*] *ſalutem jurat*, *per Deum* (cui ſalus devovetur) *jurare videtur.* Et Herman. Vultejus (verè Majorum Gentium JCtus, elogiô Henelii *in otio Vratisl cap.* 2.) *diſcept. ſchol. c.* 3. *ſive quis*, dicit, *per ſuam ſive per Principis ſalutem juraret*, *ſalutis Authorem*, *qui unus eſt Deus* (*homine quippe nec capitis ſui nec ſalutis Domino*) *appellare cenſeretur.* Nimirum qui ita jurant, hoc videntur ſenſu, exponente Mejero *in* C. *I. A. tit. de jurejur. th.* 14. jurare: Ita ſalvus ſit Princeps: Ita DEUS Principem præſtet ſalvum: Ita ſalvus ſim, vel ita ſalvi ſint liberi mei, id eſt, Ita me DEUS & liberos meos ſalvos præſtet. Sic etiam *juramentum per caput ſuum*, nil utique impietatis ſuperſtitionisque involvit: Idem enim eſt, ac Jusjurandum per ſalutem ſuam, quo jurans, ſi perfidiam ſit commiſſurus, caput ſuum, tanquam principaliorem corporis ſui partem *l.* 44. *de relig. & ſumpt. fun.* offert DEO devovetque. Nil utique obſtante

M 3 textu

textu *Matth. c.* 5. *v.* 36. qui quomodo intelligendus veniat, accuratè oſtendit ante laud. Mejerus in *C. I. A. cit. loco.*

APH. XIX.

Quantum verò nunc attinet jurisjurandi in *d. Nov.* 8 *in fin.* præſcriptam formulam. (ab ipſo Juſtin. propter tremendas & diras fortè additas devotiones, *omnium horrendiſſimam* vocatam, in *Nov.* 102. *de Moderatore Arabiæ*) quâ per *glorioſam DEI Genitricem ſemper virginem Mariam, perque ſanctos Archangelos Michaëlem & Gabriëlem*, jurare Divus Juſtinianus præcipit, de eâ aliud dicendum videbatur, poſtquàm interpretes ferè omnes orthodoxos, eam ut impiam damnaſſe ac improbaſſe certum eſt: ideò quod jusjurandum ſit aliqua cultus divini ſpecies, quæ per creaturas fieri præſtarique haut debeat, inque Angelos nec religio cadat, nec perfidiæ etiam vindicta, ipſorum, ſed ſolius Dei ſit. vid. Rauchbar. *part.* 2. *quæſt jur. civ.* 2. *num.* 33. Henel. *in otio. Vratislav. c.* 2. Rittershuſ. *part.* 9. *Novellar c.* 20. *n.* 2. Donell. 24. *comment. c.* 13. Wiſſenb. *ad ff.*

part.

part. 1. *diſp.* 24. *th.* 19. Deutamm. *de juram. memb.* 1. *num.* 33. *ubi ait*, *neminem ignorare textum in d. Nov.* 8. *LL. divinis è diametro contrariari.* Verùm enim verò, cum non caſtigare, ſed abſtergere legum errores, ſi qui irrepſiſſe videntur, boni civis, juriſque imprimis Sacerdotis ſit: Tabor * *part. Elem. p. m.* 276. utique & nobis, huic noſtro *Sacratiſſimarum Legum* † operi, maculam hâc in materiâ adſpergere, ipſumque adeo Imperatorem idololatriæ præter meritum inſimulare, meritò religio eſſe debet. Etenim, ut, quod res eſt, cum Excell. Dn. Schiltero. *manud. Phil. moral. ad veram nec ſimul Juriſpr.*

* De quo JCtiſſimus Dn. Malcomeſius in *Diſp. de Illuſtri foro Spirenſi* §. 32. *p.* 38. *In hunc virum*, inquit, *profectò quadrat, quod Cicero de Servio ſcriptum reliquit: Sic Brute exiſtimo, juris Civilis magnum uſum & apud Scævolam & apud multos fuiſſe, artem in hoc uno.*

† De quibus verè & eleganter Princeps JCtorum Weſenbecius *in parat. ff. de I. & I. n.* 17. ait, *quod ſi omnium Gentium populorumque inſtituta, mores, leges in unum conferantur, nequaquam tamen ſint cum his Romanor. legibus & inſtitutis, prudentia, pondere, ubertate ullo modo comparanda.*

riſpr. cap. 2. §. 27. dicam, nil adeò in *d. Nov.* 8. pietati contrarium continetur: Sane enim non juratur ibi per Angelos, tanquam aſſertionis noſtræ teſtes, perfidiæque futuræ vindices, quippe cum per ſe ſoli peccata hominum non vindicent; neque etiam honor, qui ſoli DEO debetur, hîc ſimul Angelis tribuitur, ſed ſaltem DEO ſubjunguntur, tanquam *vindictæ divinæ inſtrumenta*, per quos, ſi velit DEUS, ſuam ultionem exercere poſſit. Et certè ita rem eſſe, ex penitiore & attentiore textus perlectione apparebit: Quàm maximè verò ex concluſione Novellæ, quippe ubi ſolius DEI ſe vindictæ jurans ſubmittit, ibi: *Si vero non hæc omnia ita ſervavero, recipiam hîc & in futuro ſeculo in terribili judicio Magni Domini* DEI *& Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & habeam partem cum Juda, & leprâ Giezi, & tremore Cain: inſuper & pœnis, quæ lege eorum pietatis continentur, ero ſubiectus*: Ecce nulla hîc fit Glorioſæ DEI Genitricis, nulla Michaëlis & Gabriëlis mentio: certô ſanè indiciô, in principio textus, alio ſenſu per Deum, alio per Angelos fuiſſe juratum.

APH.

APH. XX.

Sed hæc uti dixi, ὡς ἐν παρόδῳ. Interim prædictas juramentorum formulas & ſimiles, quæ ſuperſtitionis ſpeciem præ ſe ferre videri poterant, hodiè in orthodoxorum foris exulare, & cum lance, ut dicitur, & liceo ab aula receſſiſſe, non ambigo; Inſuperque lubens & ultrò largior, ſatius eſſe, ut iſtis abſterſis, aliis atque aliis inter Chriſtianos magis uſitatis utamur formulis, v. c. So wahr mir Gott helffe ꝛc. externosque tales adhibeamus ritus, qui in ſenſus incurrant & unde religio injiciatur hominibus, & â perfidiâ magis illi abſterreantur: Quo referri maximè meretur, ut jurans ſi vir eſt, levatâ dextrâ manu, ſurſum exſertis duobus digitis anterioribus cum pollice, ſin verò fœmina, illis digitis ſub mammillis lævi pectoris, ubi cordis ſedes eſt, firmatis, juretur. Weſenb. *paratit. ff. de jurejur. n. 6. ibique Hahn. in not.* Scheffer. *p. 2. q. 9.* Stando erecto corpore, nonnunquam etiam flexis genibus, incenſis duabus candelis cereis, prout in Supremo Conſiſtorio Electorali Dreſdæ obſervari teſtis eſt Bar-

 ſchamp.

ſchamp. *Rad. clauſ. c.* 30 Quandoque apertis januis, feneſtris, nudatis capitibus eorum, qui adſunt, & ſtantibus iisdem. Hahn. *ad Weſenb. ff. de jurej. num. 6. in fin.* Confer omninò Balduin. *de Caſib. Conſc. l. 2. c. 9. caſ. 6.* Et ſicut olim, ita etiamnum tactis SS. Euangeliis jurari poterit, ſi conſuetudo permittat: quâ ſolennitate innuitur, quemadmodum Euangelium noſtræ religionis fundamentum nullâ de causâ violari debet, ita jusjurandum nullâ de causâ frangendum eſſe: Polyd. Vergil. *de invent. rer. lib.* 4. *c.* 13. Groenew. *tract. de legib. abrog. ad l.* 12. §. 4. *C. de jud.* add. Matth. Steph. *ad Nov.* 8. *n.* 17. Sic & Judæi per legem Moſaicam & ſuper 10. DEI præcepta jurent. *Ord. Cam. p.* 1. *tit.* 86. Myns. *cent.* 6. *obſ.* 10. Quanquam parum referat, quales pro more Regionum ſolennitates ritusque urſurpentur, ſi modò *verè* juremus, *juſte* & *liberate*, *c. animadvertendum* 2. *cauſſ.* 22. *q.* 2. per *ſolum DEUM* omniſcium & veraciſſimum: HUIC enim SOLI non de aſtris, non idolis, nec creaturis, uti & ſupra monui, HIC HONOR, HÆC REVERENTIA DEBETUR.

X.

X.

DISSERTATIO
HISTORICO-PHILOLOGICA
DE

CONSECRATIS
GENTILIUM LUCIS.

QUAM,
DEO JUVANTE,
CONSENSU
Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ,
In Illuſtri Academia Jenenſi,
PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
ſubmittet
PRÆSES
M. ANDREAS CHRISTIANUS
ESCHENBACH,
P. L. C.
Werda-Noricus.
RESPONDENTE
JOHANNE CHRISTOPHORO SPIESIO,
Mögeldorffio-Morico,
A. R. S. CIↃ IↃC LXXXVI.

ESCHENBACHIUS,

DE

CONSECRATIS
GENTIUM
LUCIS.

Q. D. B. V.

De conſecratis à ſuperſtitioſa olim antiquitate Lucis, ritibuſque circa eoſdem obſervatis, multa quidem ſparſim apud bonos auctores cognitu jucunda ſimul & utilia inveniuntur, verum, qui illud argumentum, ut cætera antiquitatum variarum gentium monumenta, peculiaribus lucubrationibus dignati fuerint, perpaucos invenire hactenus potui; inter quos tamen caput erigit *Benedictus Curtius Symphorianus*, qui è triginta libris, quos de Hortis conſcripſit, Anno MDLX. in fol. typis excuſis, quartum huic materiæ ſacravit: Sed & hic auctor adeo rarus eſt, ut in paucorum manibus ſit, & utinam eum inſpicere, & quid inde ad uſum meum facere potuiſſet, depromere mihi licuiſſet. Quum itaque viderem ferè prætermiſſam, aut obiter tantum tractatam ab Antiquitatum indagatoribus eſſe rem, quæ haud exiguam lucem priſcis ſimul ac recentibus ſcriptoribus affundere poſſit, cogitavi nec à naturali mea (liceat ita loqui) erga venerandam antiqui-

tiquitatem, aliaque Philologiæ ſtudia inclinatione alienum, nec fore curæ diſpendium, ſi in illam de conſecratis Lucis doctrinam paulo accuratius inquirerem. Quem etiam in finem ante paucos menſes ea, quæ huc pertinentia tam ex veterum quàm recentiorum ſcriptis collegi, uno veluti faſce complecti & in forma Diſſertationis Academicæ publico dare mecum conſtitui. Sed dum hæc agebam, ecce tam multa & ampla ſe offerebant inopinanti, ut juſtam diſſertationis Academicæ formam excedere viderentur; quamobrem ſententiam meam mutare, & hæc collectanea uberiori tractationi reſervare coactus ſum. Quum autem interea nihilominus Parenti atque Patronis meis Exercitio quodam Academico temporis ſtudiorumque meorum rationem reddere, eundemque in finem in hac quoque IlluſtriSalana publicam cathedram petere geſtirem; Philologemata hæcce Hiſtorica ex illis meis conjectaneis excerpſi, & conſentiente Ampliſſima Illuſtris hujus Academiæ Facultate Philoſophica, publicæ Eruditorum diſquiſitioni illa ſubmittere volui. Quamobrem Te,

B. L.

B. L. rogatum velim, ut hoc Catone contentus ſis, donec & tempus & vires majora conceſſerint, intereà verò, has exiguas pagellas perlegas & conatibus Muſisque meis faveas.

§. I.

Circa etymologiam vocis Lucus, in contrarias partes eunt Grammatici. *Quinctilianus* lib. I. cap. VI. Lucum à contrario dictum autumat, eò, *quod umbrâ opacus, parum luceat.* Aſſentitur huic *Servius*, *Caſſiodorus*, *Chariſius* lib. IV. & *Diomedes* lib. II. cap. de Allegoria. *Caſſiodorus* Pſalm. CXVIII. *Calumnias per antiphraſin, i. e. per contrariam locutionem, ſicut bellum, quod non eſt bonum, & lucus, qui non habet lucem.* *Servii* verba ad Æneid. I. hæc ſunt: *Lucus à non lucendo, & bellum â nullâ re bellâ.* Alii hanc vocem à lucendo quidem deducunt, ſed ita dictam eſſe arbitrantur, non ideò, quod minimè, ſed potius quod maximè Luceat lucus religionis cauſſa. *Iſidorus* lib. XIV. cap. VIII. *Lucus eſt locus denſus, arboribus ſeptus, ſoli lucem detrahens. Poteſt & à collucendo crebris luminibus dici,*

quæ

quæ ibi propter religionem Gentilium cultumque fiebant. Hujus ſententiæ Patronos habes. *Scaliger.* Poët lib. XIII. c. XC. *Joh. Oldendorp.* in LL. XII. Tabb. *Saubert.* de Sacrific. cap. XIV. & alios. Sunt etiam, qui ex Græcia Etymologiam hujus vocis petunt, & â λόχος dictam volunt, quod vocabulum *Inſidias* denotat; loca enim arboribus denſa inſidiantibus aptiſſima, unde etiam Græcis λοχιάδες, αἱ ὗλαι erant, *Heſychio* teſte Et, quod pariter à λόχος deſcendit, vocabulum λόχμη, quodque pro λόχος i. e. *Inſidiæ*, aliàs uſurpatur, ab *Homero* Od. π. adhibetur pro loco arboribus, fruticibus, & virgultis denſo; & λοχμαία μοῦσα, apud *Ariſtoph.* in Avib. *Sylveſtris muſa*, quæ ex frutetis & virgultis reſonat Sic λοχμώδης, ὁ, ἡ, arbuſtis & virgultis denſus apud *Thucid.* l. III. *Scoppa*, citante Voſſio, hanc vocem neque Latinam, neque Græcam, ſed Syriacam putat, à Luca, i. e. *Senior.* Sed de Syra hac voce rem non extra controverſiam eſſe, ipſe Voſſius agnoſcit.

Nobis præ reliquis illa ſententia placet, quæ latinam hanc vocem ex ipſo Latio petit & â *lucendo* deducit,

non

non tamen ideò, quaſi minimè luceant luci, ſed potius quod ſæpè luceant, & quidem duas potiſſimum ob rationes, nam & ſacrificali igne lucebant luci, & lucernis in arboribus ſuſpenſis colluſtrabantur, quorum prius *Ovidius* indicat, poſterius *Prudentius*.

Græcis Lucus dicitur Ἄλσος: *Plutarch.* ἐν ἄλσεσι θεῶν καὶ λειμῶσιν ἱεροῖς & *Euſtath.* Homeri interpres: ἄλσος, πᾶς τόπος σύνδενδρος, ὕδωρ ἔχων, καὶ θεοῖς ἀφιερωμένος, i. e. ἄλσος *omnis locus, arboribus conſitus, aquam habens, diisque ſacer.* Deducit hanc vocem idem Euſtathius ab ἄλλομαι, *ſalio, ſalto:* quod ſtirpes & arbores ibi ſponte ſaliant, i. e. creſcant. Cæterum, Lucus, Nemus, Silva, & Saltus, quomodo inter ſe differant, obſervat *Auſonius Popma* lib. III. de different. verbor. *Lucus*, inquit, eſt ut plurimum incæduus religioſusque: *Nemus* voluptatis cauſa comparatum eſt, & plerumque Diis ſacrum. *Silvæ* nomen generale eſt, & habet arbores incæduas pariter & cæduas; *Saltus* verò dicitur locus ſecluſus, ubi paſcuntur armenta, feræque verſantur. Conf. *Laur. Vallæ* lib. IV. Elegant. c. LVI.

§ II. Ἄλσος πᾶς τόπος σύνδενδρος, ὕδωρ ἔχων, καὶ θεοῖς ἀφιερώμενος: Ita (ut jam vidimus) *Euſtathius* Lucum deſcribit non adeò incongruè. A *Frontone* verò definitur: *Locus fulmine ictus, & arborum ſpiſſitate tectus*: minus accuratê. Quanquam enim omnia fulmine tacta, antiquis pro ſacris habebantur & *Fulgurita* appellabantur; (quod *Feſtus* indicat his verbis: *Fulguritum id quod eſt fulmine ictum, qui locus ſtatim fieri putabatur religioſus: quod eum Deus ſibi dicaſſe videretur*) Nihilominus tamen non crediderim ego omnia loca ubi luci conſecrati erant, fuiſſe *Fulgurita*. Quum enim, ut ex ſequentibus pateſcet, circa omnia ferê templa, & circa opulentiorum villas ac ſepulcra luci plantati & conſecrati fuerint; quis credat omnia iſta loca fulmine prius tacta fuiſſe? Et confirmat nos in noſtra ſententia illa Fratrum Arvalium inſcriptio vetus, quam exhibet *Fulvius Urſinus* not. XVIII. in lib. III. Cic. de N. D. in quâ expreſſis verbis Luci ſacri fit mentio etiam ante fulminis attactum.

IIII. ID. DEC. FRATRES. ARVAL.
IN. LUCO

DEÆ.

DEÆ. DIÆ. VIA. CAMPANA. APUD. LAP. V. CONVENER.
PER. C. PORC. PRISCUM. MAG. ET. IBI
IMMOLAV. QUOD. AB. ICTU. FULMINIS. ARBORES. LUCI
SACRI. D. D. ATTACTÆ. ARDVERINT.

Fronto igitur, credo, in priori hujus deſcriptionis parte, Bidental in animo habuit. *Bidental* enim, ut in Gloſſis exponitur, erat τόπος κεραυνόπληξ, *i. e. locus fulmine ictus*. Quin ipſe Cornel. Fronto alio in loco: *Bidental locus fulmine tactus & expiatus ove. Bidentes enim oves appellantur*. Cui jungatur *Perſii vetus Scholiaſtes* ad Sat. II. *Bidental, locus ſacro percuſſus fulmine, qui bidente ab aruſpicibus conſecratur, quem calcare nefas est*. Faciunt huc etiam illa, quæ *Artemidorus* lib. II. cap. VIII. habet: ὁ κεραυνὸς τὰ ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ, διὰ τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς, καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας, τὰ δὲ πολυτελῆ χωρία ἔρημα καὶ ἄβατα ποιεῖ, οὐδεὶς γὰρ ἐν αὐτοῖς ἐνδιατρίβειν ἔτι θέλει. *i. e. Fulmen ignobiles locos nobiles facit, propter aras, quæ in iis ſtatuuntur, propterque ſacrificia, quæ in iis fiunt, loca verò ſumptuo-*

ſa, deſerta & inacceſſa efficit, nemo enim in iis converſari amplius vult. Nos Lucum ita deſcribimus, quòd fuerit locus arboribus denſus, Aquis ut plurimum, quandoque etiam Collibus, Vallibus aut Antris inſtructus, certis cærimoniis ſacrorumque ritibus conſecratus, & vel uni alicui Deo aut Semideo, vel etiam pluribus Diis atque Heroibus, aut etiam Manibus defunctorum dedicatus; & vel circa Delubra, vel circa Sepulcra, vel etiam circa alia loca aut ſponte ſua natus, aut arte plantatus, in quo varia olim ſacra obibant Gentiles. Singulæ nunc hùjus deſcriptionis partes ordine perpendendæ veniunt, eâ tamen brevitate, quæ & talibus diſſertationibus convenit, & legentium oculos nimiâ prolixitate non offendit.

§. III. Haud immeritô fortaſſis reprehendit R. Maimonidem in notis ad ejusdem librum *de Cultu Stellarum*, *Dionyſius Voſſius*, magni parentis haud degener Filius, quod expoſitâ origine idololatriæ, cum de modo ejus diſſerere vellet, primum Deorum cultum fecerit Templa & Sacrificia, rectéque ſubſtituit Montes & Lucos, quando inter alia lectu non

non indigna hæc profert: *Hinc liquet, prima loca ad cultum fuiſſe Montes; quibus meritò Lucos addas, quorum fortaſſis non minus antiqua religio. Et ſanè apud populos maximè barbaros; ubi religio vetus diutiſſimè viguit, potiſſimus in iis cultus.* Non ineptè mehercle. Ut, tanquam brevitatis ſtudio, ſi nihil nunc dicamus de lucis Ebræorum, paſſim, tum in ſacris literis, tum in multis aliis Interpretum locis celebratis, certè de Ægyptiis *Lucianus* refert in libro quem inſcripſit *de Deâ Syriâ*; Πρῶτοι μὲν ὧν ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, Αἰγύπτιοι λέγονται θεῶν τε ἐννόιην λαβεῖν, καὶ τεμένεα ἔισασθαι καὶ ἱερὰ καὶ πανηγύρειας ἀποδέξαι. De Græcis idem auctor alibi: *Primum Lucos Diis attribuerunt, tum & montes dicarunt: præterea aves conſecrarunt: deinde ſuam cuique arborem aſſignarunt: Poſteà per regiones illos diſtributos colunt, eosque velut in civitatem ſuam recipiunt; nempe Apollinem Delphii Deliique, Minervam Athenienſes, Argivi Junonem, Migdonii Rheam, Venerem Paphii, Cretenſes Jovem. Poſtremò fanis in honorem illorum erectis, ne tectis videlicet aut Penatibus careant, formas illorum exprimunt, adhibito ad id vel Praxitele,*

 vel

vel Polycleto, *vel Phidio*. De Romanis teſtatur *Plinius* lib. XII. c. I. *Arbores*, inquit, *fuere Numinum templa*, *priſcoque ritu ſimplicia rura etiam nunc Deo præcellentem Arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulacra*, *quàm Lucos*, *& in iis ſilentia adoramus.* Majores noſtri Germani *Nec cohibere parietibus Deos*, *neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare*, *ex magnitudine cœleſtium arbitrabantur. Lucos ac nemora conſecrabant*; *Deorumque nominibus appellabant ſecretum illud*, *quod ſolâ reverentiâ videb[...]*, teſte *Tacito* de M. G. conſulantur hic ulterius *Elias Schedius* de Diis German. Syngr. II. Cap. XXIII. & XXIV. *Berneggerus* in Taciti Germ. Quæſt. XLVIII. prætereà illi, qui commentati ſunt in aureum hunc Taciti Libellum ad Cap. IX. quos inter *Andreas Althamerus*, *Beatus Rhenanus*, *Juſtus Lipſius*, *Jodocus Willichius*, *Chriſtoph. Colerus*, *Curtius Pichena* & alii. *Sic quoque apud Naharvalos antiquæ religionis lucus oſtendebatur*, teſte eodem *Tacito*. Maſſilienſium Gallorum antiquum & religioſum lucum elegantiſſimis verbis deſcribit *Lucanus* lib. III. Pharſal. v. CCCXCIX. ſeqq. qui propter eximiam

miam elegantiam meretur certè ut evolvatur. Ex quibus hactenus adductis, ſatis, ſpero, apparet quam antiquus fuerit ille arborum cultus apud Veteres, & quam vetuſtus ſit mos ille Diis in conſecratis Lucis ſerviendi. At inſtituti noſtri memores, ipſos Lucos paulò curatius intrabimus, & quid circa illos obſervatum olim fuerit, quantum quidem ex veterum & recentiorum monumentis obſervare nobis licuit, videbimus.

§. IV. *Denſitatem* & *obſcuritatem arborum* in Lucis obſervatam fuiſſe, non eſt, ut operosè demonſtremus. Obſcurum quippe & ſacro horrore plenum locum gentilium δεισιδαιμονία poſcebat, *Quo poſſis viſo dicere, Numen ineſt.* Ita *Euſtathius* ſuprà, ἄλσος πᾶς τόπος σύνδενδρος. *Iſidorus*: *Lucus eſt locus denſus arboribus ſeptus.* Sic quoque omnes lucos ab auctoribus commemoratos & deſcriptos, ab umbrâ & opacitate laudatos invenies. *Lucanus* L. c. deſcriptionem Luci Maſſilienſium his verbis inchoat:

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obſcurum cingens connexis aëra ramis,
Et gelidas altè ſummotis ſolibus umbras.

Papinius Dianæ lucum lib. IV. Theb. verſ. CCCCXIX. ſeqq. ita deſcribit:

Silva capax ævi validâque incurva ſenectâ
Æternum intonſæ frondis, ſtat pervia nullis
Solibus, haud illam Brumæ minuêre, Notusve
Jus habet, aut Geticâ Boreas impactus ab Vrſa.
Subter opaca quies, vacuusque ſilentia ſervat
Horror & excluſæ pallet mala lucis imago.
Nec caret umbra Deo, Nemori Latonia cultrix
Additur. Hanc piceæ cedrique & robore in omni
Effictam, ſanctis occultat ſilva tenebris.

Confer etiam antè laudatum *Lucanum* in deſcriptione Luci Ditis lib. VI. v. DCXLIII. & ſeqq. Ovid. lib. III. Amor. Eleg. XII. Sed rei notiſſimæ diutius non immoramur. Duplex potius hic quæſtio expedienda, (1) utrum Arbores illæ in Lucis ejusdem, an verò diverſarum ſpecierum fuerint; (2) Num omnes arbores alicu-

alicujus luci pari venerationis cultu affectæ fuerint nec ne? Ad primam quæſtionem quod attinet, non quidem penitus negaverim ullos lucos ex ejusdem ſpeciei arboribus conſtitiſſe, interim tamen probabilior mihi videtur ſententia, quæ in lucis plerisque diverſa arborum genera agnoſcit, quod iterum ex multis auctorum locis, qui varios lucos deſcripſerunt, manifeſtum eſt. Duo nunc nobis ſufficiant: Daphnenſem celebrem lucum, Apollini & Dianæ ſacrum, cujus ambitus ſtadiorum LXXX. perhibetur, in. Daphne, ſuburbio Antiochiæ, non tantum lauros habuiſſe, ſed & magnam aliarum arborum copiam, patet ex *Priſciano Cæſarienſi*, qui eum ex Dionyſio ita deſcribit:

Hic nemoroſa virent Daphnes loca, celſa cupreſſus
Erigitur, ramos innectit laurus odora.
Crine Dionæo myrtus diffunditur, altæ
Conſurgunt Pinus, & cælum ſibila pulſant
Robora, mollicomis tellus inſternitur herbis.

 Ita

Ita in Luco Nemeæo varias & diverſas arbores fuiſſe indicant illa, quæ de ejus excidio canit Statius lib. VI. Thebaid.

- - - - - - Cadit ardua fagus:
Chaoniumque nemus, brumæque illæſa cupreſſus,
Procumbunt piceæ, flammis alimenta ſupremis,
Ornique, Iliceæque trabes, metuendaque ſucco
Taxus, & infandos belli potura cruores
Fraxinus, atque ſitu non expugnabile robur.
Hinc audax abies, & odoro vulnere pinus
Scinditur, acclinant intonſa cacumina terræ
Alnus amica fretis, nec inhoſpita vitibus Ulmus &c.

In quibus duobus jam adductis locis (quod paucis obſervamus) variæ quidem arbores memorantur in eodem Luco, ſed omnes infrugiferæ; at verò frugiferas quoque arbores in lucis locum inveniſſe, nullum eſt dubium. Indicant hoc verba illa *Herodoti* in Euterpe, ubi in Luco ante tem-

templum Mercurii, dicit fuiſſe δένδρεα καὶ καρποφόρα, ἄφορα πολλὰ, i.e. *Arbores tùm frugiferas, tùm infrugiferas multas.* Poſteriori Quæſtioni ita ſatisfacere conamur: Omnes quidem arbores alicujus luci, & in univerſum totum lucum ſacrum & inviolabilem fuiſſe, graviſſimisque pœnis affectos illos fuiſſe, qui vel ramum temerè decerpendo ex arbore alicujus luci, illum violarint. Nihilominus tamen diſcrimen obſervatum inter arbores, & ſubindè alias aliis ſanctiores; religioſioresque habitas fuiſſe. Ita vetuſtate & ſenectute præcellentes arbores maximè reſpiciebant, illisque longe majorem venerationem ineſſe credebant, quam aliis junioribus, quamobrem *Statius* lib. IV. Thebaid. vetuſtiſſimam quandam arborem, quæ ipſas Nymphas ætate atque vetuſtate ſuperabat, magno elogio condecorat. De Ætate verò ejus arboris ita canit:

- - - - - - Stat ſacra Senectæ
Numine, nec ſolos hominum transgreſſa veterno
Fertur avos, Nymphas etiam mutaſſe ſuperſtes
Faunorumque greges.

Jam,

Jam verò Nympharum ætatem ad 1036800. annos ſeſe extendere credebat olim ſuperſtitioſa Gentilitas; quod colligo ex iſtis Auſonii verbis: Edyll. XIIX.

Ter binos, deciesque novem ſuperexit in annos
Juſta *ſeneſcentum* quos implet turba *virorum*.
Hos novies ſuperat vivendo *garrula cornix*,
Et quater egreditur cornicis ſecula *cervus*,
Alipedem cervum ter vincit *corvus*, & illum
Multiplicat decies *Phœnix*, reparabilis ales.
Quam vos perpetuo decies præ vertitis ævo
Nymphæ Hamadryades, quarum longiſſima vita eſt.

In quo Edyllio Auſonius *Heſiodum* imitatus eſt, de quo *Plutarchus* in de oraculorum defectu hæc habet: ὁ ἡσίοδος ὄιεται καὶ περιόδοις τισὶ χρόνων γίνεσθαι τοῖς δαίμοσι τὰς τελευτὰς. Λέγει γὰρ ἐν τῷ τῆς Ναΐδος προσώπῳ καὶ τὸν χρόνον αἰνιττόμενος.

Ἐννεά

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακόρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβώντων. ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος.
Τρεῖς δὲ ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται· αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ
Ἐννέα τοὺς κόρακας, δέκα δὲ ὑμεῖς τοὺς φοίνικας
Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Ubi tamen obſervandum, Heſiodum, præterquam quòd juſtam hominum ætatem certo annorum numero non definiat, in hoc quoque ab Auſonio diſcrepare, quod Phœnices novies tantum corvorum annos multiplicare dicat, quòd tamen Auſonius decies illas facere ſcribit.

Rationem verò, ob quam antiqua & grandia illa robora præ reliquis arboribus coluerint veteres, conjicio hanc fuiſſe, quod illæ proceræ arbores ob denſitatem ramorum, magnas etiam & obſcuras præ reliquis umbras ſpargant; quamobrem Quercus eò, quod omnes ferè arbores multitudine ramorum, proceritate ſtipitis, umbræ denſitate & ramorum ſerie ſuperant, in tanta olim apud

apud veteres veneratione fuerunt, ut Celtæ, teſte *Maximo Tyrio* Diſſert. XXXVIII. eam arborem loco ſimulacri Jovis habuerint: Κέλτοι σέβουσι μὲν Δία, ἄγαλμα δὲ Διὸς κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς. De Germanis res itidem clara, eos præ reliquis omnibus arboribus Quercus reſpexiſſe. Græcos etiam hanc arborem religiosè coluiſſe, præter multa alia exempla, teſtatur celeberrima illa Quercus Dodonea, de qua *Suidas*: Δωδώνη, πόλις ἐν τῇ Θεσπρωτίδι, πελασγία, ἐν ᾗ ἵστατο δρῦς ἐν ᾗ μαντεῖον ἦν γυναικῶν προφητίδων, καὶ εἰσιόντων τῶν μαντευομένων, ἐκινεῖτο δῆθεν ἡ δρῦς ἠχοῦσα, αἱ δὲ ἐφθέγγοντο ὅτι τάδε λέγει ὁ Ζεύς, καὶ ἀνδριὰς ἵστατο ἐν ὕψει ῥάβδον κατέχων, καὶ παρ' αὐτὸν (alii αὐτῷ) λέβης ἵστατο καὶ ἔπαιεν ὁ ἀνδριὰς τὸν λέβητα ἐξ οὗ ἦχός τις ἐναρμόνιος ἀπετελεῖτο. i. e. *Dodone urbs Pelaſgica in Theſprotide, in qua quercus erat: in qua urbe & oraculum mulierum fatidicarum. Ingredientibus autem illis, qui conſulebant oraculum, movebatur illa quercus reſonans. Illæ verò loquebantur, & oraculi conſultoribus dicebant: Jupiter hæc dicit. Et ſtatua ſtabat in alto, virgam tenens, & propè ſtatuam ipſam erat lebes, & percutiebat ſtatua lebetem unde*

unde ſonus quidam harmonicus concinnus & ſuavis edebatur. Conf. *Alex. ab Alex.* lib. VI. Apud Romanos quoque vetuſtas Ilices magno in pretio habitas fuiſſe, indicat conſecrata ilex in Vaticano, de quâ *Plinius* lib. XVI. c. XLIV. h. v. *Vetuſtior urbe fuit Ilex in Vaticano, in quâ titulus æreis literis Hetruſcis, religione jam tum dignam ſignificabat.* Et, ſecundum eundem Plinium, Apud Tiburtes, qui originem multo ante Urbem Romam habent, tres exſtabant Ilices, etiam Tiburte, conditore eorum, vetuſtiores, apud quas inauguratus traditur. Præterea etiam in Luco aliquo illæ potiſſimùm arbores præ reliquis obſervabantur & venerabantur, quæ illi Deo vel Deæ, cui Lucus dedicatus erat, propriæ quaſi & ſanctæ erant. Arborum enim Genera, inquit idem *Plinius* lib. XII. c. I. numinibus ſuis dicata, perpetuò ſervabantur; ut Jovi Æſculus, Apollini Laurus, Minervæ Olea, Veneri Myrtus, Herculi Populus. Sic Fraxinus Marti; Laurus Apollini, Bono Genio & Æſculapio; Tilia Saturno & Veneri; Pinus Deûm Matri & Pani, Ficus Baccho, Cupreſſus Plutoni &c.

&c. ſacrabantur. *Conf. Meurſium* **F.** in arboreto ſacro.

§. V. Præterea in Eligendis aut Plantandis Lucis libenter obſervabant editiora loca, *Montes* nempe & *Colles*, quod itidem multæ Lucorum deſcriptiones paſſim apud Auctores celebratæ, & Orientalium Excelſa, abunde probant. Sed & hoc ex ſimpliciſſima & antiquiſſima quadam religione fiebat; inter primos enim Deorum cultus non infimus erat Ararum, non illarum quidem arte exſtructarum, ſed naturalium, locorum nimirum editorum, quemadmodum id docet *Voſſius* ad *Maimonid.* Unde de Perſis *Herodotus* lib. I. cap. CXXXI. tradit, eos ſtatuis, templis & aris caruiſſe, eosque irridere ſolitos, quicunque talia exſtruerent: Ipſi, inquit, Νομίζουσι Δὶι μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν οὐρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἔρδειν. *Solent editiſſimis montium conſcenſis, Jovi hoſtias immolare.* Et apud pleraſque gentes montium cultus maximo ſemper in precio fuit, unde tot ſacri montes paſſim in ſcriptis auctorum celebrantur. Quemadmodum Idæus mons, Jovi, Junoni, Matrique Deûm ſacer in Creta, cele-

celebratur *Melæ* lib. II. cap. VII. Jovis Labradenſis mons in Caria, *Straboni* lib. XIV. Apollinis mons ad Actium; *Strab.* lib. VII. His adde Cinthum, Parnaſſum, Pindum, Heliconem, Apollini & Muſis, Olympum Jovi, Idalium Veneri, Aracynthum Minervæ, Cyllenum Mercurio &c. conſecratos montes. Quare & diverſa Templa in diverſis poſteà montibus ædificata, quemadmodum v. g. Romæ in Quirinali ſive Agonio monte, Apollinis Clatrati templum exſtabat. Aventinus mons Dianæ templum habuit; Veneris item Murteæ ſacellum, à Myrteto ita dictum, in eodem Aventino erat. Jovis Mariani in monte Esquilino, Statoris, in Palatino Latialis, in monte Albano Fagutalis, in Viminali &c. Unde etiam videmus Jovem tot nominum ſuorum à montibus cepiſſe: Viminei, à Viminali, Atabyrii, ab Atabyri, editiſſimo Rhodi inſulæ monte, Apeſantis vel Apeſantii, ab Apeſunte; item Athoi, Æneſii, Ætnæi, Ancheſmii, Caſii, Maleæi, Parenthii, Scylii, Tomarii, Sinopitæ &c. Et ex hâc præterea quâ montes proſequebantur,

religione, cavos quoque montes arboribus tectos, domicilia Heroum credebant, quod *Ovidius* indicat lib. XII. Metamorph. de Nuptiis Pirithoi loquens:

Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus,
Nubigenasque feros, poſitis ex ordine menſis
Arboribus tecto diſcumbere juſſerat antro.

Quin Daci & Cappadoces *Strabone* & *Maximo Tyrio* teſtibus, montes pro ipſis Numinibus habuere. Et de Carmelo monte *Tacitus* lib. II. Hiſtor.: *Eſt Judæam inter Syriamque Carmelus, ita vocant montem Deumque, nec ſimulacrum Deo aut templum: ſic tradidere majores: aram tantum & reverentiam. Suetonius* de eodem cap. V. Veſpaſ. & longe his antiquior *Scylax Caryandenſis*: Κάρμηλος ὄρος, ἱερὸν Διός; Significat montem & Deum eſſe, & Dei ſedem ac fanum. Nullum enim in eo templum, ut Tacitus indicat, ſed ipſe mons Carmelus quaſi Templum erat Numinis: imò & corpus ejus. Nam Carmelus Deus conſtabat Genio loci & vaſto montis corpore. Cenſente *Voſſio* lib. II. Idolatr.

Iolatr. Gentil. cap. LXII.

§ VI. Porrò, ut umbra & obſcuritas Lucorum tanto horridior redderetur, *Antra* quoque & *Speluncas* in iis amabant, *Religioſam enim moram tales ſpeluncæ frondibus inumbratæ, viatoribus objicere poterant*, inquit *Apulejus*. Tale antrum erat celeberrimum illud ſub colle Palatino, arbuſto denſo contectum, in quo à Priſcis Arcadibus Pan, Deus, colebatur, quod poſteà Lupercal nominabatur, de quo *Dionyſius* lib. I. *Arcades* inquit, *in Colle Palatino firmati, quùm ædificia alia more patrio exornaſſent, templa quoque conſtruxere, ac primum quidem Pani Lycæo, admonente eos Carmenta, loco congruo invento, quem Romani Lupercal vocant, Graeci Lycæum dicunt. Erat enim antiquitus antrum magnum ſub colle, arbuſto denſo contectum, & fontes ſub petris profundi, adhærensque rupibus ſaltus, crebris arboribus, & quidem magnis opacus, ubi arâ Deo conſtructâ, ſacrificia perficiebant, quæ Romani poſteà menſe Februario peragebant.* Hodie illud Templum eſt S. Theodori, in Velabro, ſub Palatino, referente *Fabricio* in Roma: *Templum vetus & ſphæricum, cum rotundâ*

O 2 *fene-*

feneſtrâ, *quod in medio tecti lumen præbet*: *& cum impluvio*, *quod in ſolo imbres excipit*. Imprimis autem hic non omittendum duco Antrum illud in *Corycio* nemore in Parnaſſo, multis ſcriptoribus laudatiſſimum. De hoc ita *Strabo* lib. IX. ἱεροπρεπὴς δ' ἐστὶ πᾶς ὁ παρνασσὸς, ἔχων ἄντρα τε καὶ ἄλλα χωρία, τιμώμενά τε καὶ ἁγιστευόμενα, ὧν ἐστὶ γνωριμώταλον καὶ κάλλιστον τὸ Κωρύκιον Νυμφῶν ἄντρον, ὁμώνυμον τῷ Κιλικίῳ. *Stephanus*: Κωρύκειον ἄντρον Νυμφῶν ἀξιάγαστον θαῦμα ἐν παρνασσῷ. His jungatur *Pauſanias*, qui de hoc antro talia profert: Τούτῳ δὲ τῷ ἄντρῳ γενέσθαι τὸ ὄνομα ἀπὸ νύμφης κωρυκίας, ἐδήλωσα ὀλίγῳ τι ἔμπροσθεν. σπήλαιον δὲ ὧν εἶδον, θέας ἄξιον μάλιστα ἐφαίνετό εἶναί μοι. i. e. *Huic antro nomen inditum à Corycià Nymphâ, paulò ſuperiùs docui. Omnium verò, quæ unquam viderim, antrorum, quod ſpectetur digniſſimum, hoc mihi viſum eſt*. Paucis poſteà interjectis hoc antrum ita deſcribit: Καὶ ἔστιν ἐπὶ πλεῖστον ὁδεῦσαι δι' αὐτοῦ καὶ ἄνευ λαμπτῆρος. ὅτε ὄροφος εἰς αὔταρκες ἀπὸ τοῦ ἐδάφους ἀνέστηκε, καὶ ὕδωρ τὸ μὲν ἀνερχόμενον ἐκ πηγῶν, πλέον, δὲ ἔτι ἀπὸ τοῦ ὀρόφου στάζει, ὥστε καὶ δῆλα ἐν τῷ ἐδάφει σταλαγμῶν τὰ ἴχνη διὰ παντός ἐστι τοῦ

ἄντρου

ἄντρου. i. e. *Qui introierit, ſine ulla face longiſſimè progredi poſſit. Ab imo ſolò ad ſuperiorem partem, quæ pro tecto eſt, ſatis multum intereſt ſpatii: multi (hinc illinc) è vivis fontibus fluitant rivi: ſed humoris multò plus ex ipſâ quaſi antri teſtudine deſtillat. Cernuntur verò paſſim in ipſo ſolo guttarum veſtigia.* Ex ejusdem Pauſaniæ Trophoniani Luci deſcriptione, quam in Bœoticis ſuis habet, obſervo & illud; antra talia, ſi natura illa non produxit, arte elaborata nonnunquam fuiſſe, quale antrum arte elaboratum ipſum illud Trophonianum erat, quod ita deſcribit: *Eſt verò oraculum ſupra Lucum in monte, crepido in orbem candido ſaxo circumducta. Crepidinis ambitus eſt inſtar areæ minimæ, altitudine minori quàm cubitum duûm. Erecti ſunt ſuper crepidine obeliſci, tàm ipſi, quàm zonæ, quibus continentur, ænei. Inter eos media ſunt oſtia*, τοῦ περιβόλου δὲ ἐντὸς χάσμα γῆς ἐστιν οὐκ αὐτόματον, ἀλλὰ σὺν τέχνῃ καὶ ἁρμονίᾳ πρὸς τὸ ἀκριβέστατον ᾠκοδομημένον. i. e. *Intra ambitum ſpecus eſt non natura, ſed arte & certo proportionis modulo quàm ſolertisſimè exciſus &c.* plenius deinde hoc antrum deſcribit; ſed ne longior ſim

 in

in allegando Pauſaniâ, lectorem ad ipſum auctorem remitto, & ad alia me converto.

§ VII. Denique etiam ad locum, ex quo Lucus fieri debebat, requirebantur *Fontes* & *Amnes* duas potiſſimùm, ut arbitror, ob rationes, vel ut in iis ſacra vaſa abluerentur, vel etiam propter divinitatem, quam fontibus ineſſe ſibi perſuadebant; prius indicat lacus occultus in Luco Hertæ, olim apud Rugienſes, in quo vehiculum, veſtes, & ipſius Hertæ Deæ ſimulacrum abluebantur, de qua Deâ ejusque Luco & lacu legi meretur *Tacitus* in libello ſuo de Morib. Germ. *Eſt*, inquit, *in Inſulâ Oceani*, (Rugiâ) *caſtum nemus dicatum, in eo, vehiculum veſte contectum, attingere uni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali Deam intelligit, vectamque bubus fœminis, multa cum veneratione proſequitur. Læti tunc dies, feſta loca, quæcunque adventu hoſpitioque dignantur. Non bella ineunt, non arma ſumunt; clauſum omne ferrum, pax & quies tunc tantùm nata: donec idem ſacerdos ſatiatam converſatione mortalium Deam templo reddat. Mox vehiculum & veſtes, ſi credere velis, numen ipſum*

ſecreto

ſecreto lacu abluit, Servi miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, ſanctaque ignorantia, quid ſit illud, quod tantùm perituri vident. Poſterius confirmat, quòd ſingulis fluminibus, ſtagnis, fontibus lacubusque divinitas & veneratio fuit tributa, eis ſimulacra, ſtatuæ, aræ, vota & ſacrificia facta & inſtituta. Quin fluviorum fontes contubernio Jovis dabant, ita *Valer. Flaccus* lib. I. verſ. LXIX.

> *Qualiter ad ſummi ſolium Jovis, omnia circum*
> *Prona parata Deo, ventique, imbreſque, nivesque,*
> *Fulguraque & tonitrus, & adhuc in fontibus amnes.*

Et Amnes Deorum concilio immiſcet *Statius* lib. I. Thebaid. his verbis:

> - - *Mox turba vagorum*
> *Semideûm, & ſummis cognati nubibus Amnes,*
> *Et compreſſa metu ſervantes murmura venti*
> *Aurea tecta replent; mixta convexa Deorum*
> *Majeſtate tremunt; radiant majore ſereno*
> *Culmina, & arcano florentes lumine poſtes.*

 Nil

Nil igitur mirum, ſi & hanc Divinitatis notam ad lucos attraxerit ſuperſtitioſa antiquitas, utpote in quibus nil profanum, ſed omnia ſacra & divina eſſe debebant, inde *Virgil.* lib. VII. Æn.

- - Lucoſque ſub alta
Conſulit Albuneâ, nemorum quæ
maxima ſacro
Fonte ſonat.

Et *Strabo* de Daphnenſi Luco: ἡ δάφνη, κατοικία μετρία, μέγα δὲ καὶ συνηρεφὲς ἄλσος, διαῤῥεόμενον πηγαίοις ὕδασι. i. e. *Daphne mediocris eſt vicus, cum Luco ingenti opacoque, fontanis irriguo aquis. Horatius* quoque lib. III. od. IV.

Auditis? an me ludit amabilis
Inſania audire, & videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos & aquæ ſubeunt, & auræ.

Memorabilis verò eſt fons ille in luco Jovis Hammonis, cujus meminit *Diodorus Siculus* Hiſt. l. XVII. cap. L. qui cum horis diei miris ſubinde vicibus ſe variabat, nam ſub lucis ortum tepidam emittebat, die deinde progrediente, pro horarum ſucceden-

dentium ratione, frigeſcebat. Sub æſtum verò meridianum, frigedo ejus ſumma erat, quæ rurſus paulatim remittebat, usque ad veſperam. Tunc appetente nocte, rurſus incaleſcebat ad mediam uſque noctem, ubi æſtuabat: inde calor ſenſim deficiebat, donec una cum exortâ luce priſtinam teporis vicem recuperaverat.

§ VIII. Et ita demum locus aptus erat ad conſecrandum & Deo alicui dedicandum. Eleganter *Minutius Felix* de Idolis, ad Marcum Fratrem: *Quando igitur hic naſcitur?* (ſc. Deus) *Ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur, nondum Deus eſt, ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur, nec adhuc Deus eſt, Ecce ornatur, conſecratur, oratur: tùm poſtremò Deus eſt, cùm homo voluit & dedicavit.* Pari ratione res ſeſe habet cum Lucis noſtris; quamvis enim locus commodus electus fuerit, in quo vel natura, vel ars produxerit arbores aptas & idoneas ad dedicandum alicui Deo, qui etiam antris ſuis, vallibus, collibus, ſpeluncis, fontibus item & lacubus inſtructus fuerit, nondum tamen nomen ſacri Nemoris, aut Luci ſacri

merebatur. *Conſecratio* ſive *Dedicatio* prius requirebatur, antequam illi ſanctitas & religio accederet. Id quod alias etiam in omnibus rebus ſacris ſtudioſè obſervabatur, v. g. Aris, Statuis, Simulacris, Templis, Terminis &c. In iſtis autem conſecratoinibus, quanquam à diverſis gentibus diverſi etiam ſubinde ritus adhibebantur, nihilominus tamen generaliter quaſi ab omnibus ad Conſecrationes adhibebantur: *Unctiones*, *Coronationes*, *Preces*, *Sacrificia*, & denique (imprimis in Statuis & Idolis) *Adorationes*, quibus aliæ ſubinde Gentes alias quoque cærimonias & ritus addebant. Nos nunc cærimonias, quas in conſecrandis Lucis adhibebant, ordine perluſtrabimus:

§ IX: Electo, ſeu Invento, aut etiam parato loco ad lucum conſecrandum apto, antequam reliquæ cærimoniæ incipiebant, procul dubio (1) *Preces* & *Sacrificia* priùs adhibebant, quibus numen illud, cui lucus dedicandus eſſet, invocabant, certas enim precum formulas in omnibus dedicationibus & conſecrationibus præmiſſas fuiſſe, tàm certum eſt,

eſt, quàm quod certiſſimum, & teſtantur id formulæ illæ, quanquam perpaucæ, quas lapides & Scriptorum monumenta nobis conſervarunt, & hodienum, ſed parcâ manu, exhibent. Formula verò, quam in dededicatione lucorum adhibebant iniquo fato periit, ita ut iisdem querelis uti cogamur, quas celeberrimus *Emundus Figrelius*, in aureo ſuo de Statuis illuſtrium Rom. tractatu, cap. XXIX. ingeminat, cujus verba, quoniam apprimè huc quadrant, quamvis prolixiora, operæ precium duxi heic apponere. Ita autem celeberrimus Vir, *Formulas*, inquit, *plerasque in ejusmodi ritibus adhiberi ſolitas, non ſine ingenti poſteritatis damno neglexerant ſuis operibus inſerere antiqui Scriptores. Quod nequaquam condonandum eſſet, niſi aut excuſare ſe poſſent eo, quòd, cùm præcipua ſuorum temporum acta literis tradere aggreſſi eſſent, ineptum, & ab hiſtoriæ dignitate alienum ipſis viſum fuerit, nimis vulgaria & trita proferre. Quæ ſanè ſcribendi ratio bona parte rituum veterum & variâ reliquæ antiquitatis ſcientiâ nos carere cogit, quibus non perinde ut illis, temporum illorum mores, ritus ac inſtituta uſurpare*

oculis

oculis licet. Niſi vel hoc prætendere ſuæ culpæ poſſint, quòd ſacrorum arcana vulganda non erant, quomodo ſe Tullius Orator pro domo ſua, ad Pontif. excuſat, in re planè ſimili. Aut quod hæc talia non niſi Pontificibus cognita eſſent, quod Cicero oratione laudatâ apertè ſignificat, cum dixit: Nihil loquor de pontificio jure, nihil de ipſius verbis dedicationis, nihil de religione, cærimoniis. Non diſſimulo me neſcire ea, quæ, etiamſi ſcirem diſſimularem, ne aliis moleſtus, vobis etiam curioſus videar. *Aut denique quòd fuerint iſtius generis formulæ plerumque rudes & inconditæ, utpote ab ultima antiquitate profectæ, quæ barbarum aliquid ſonabant; nec decere propterea æquabilem dictionis elegantiam*, quam quisque præferre annitebatur, inconcinno horridoque carminum aut narrationum interjectu deformare. Quo fato Saliorum item carmina periere.* Hæc ille, quæ ideò apponere volui, ut B. L. cauſas tanti diſpendii vel ex conjecturis aſſequi poſſit.

Precibus itaque conceptis, eligebant (2) ex omnibus luci arboribus unam, vel etiam plures ex maximis & antiquiſſimis, & tales quidem, quæ

quæ illi Deo, cui lucus dedicandus eſſet, propriæ erant, ſub quibus & ſimulacrum Dei collocabatur, & ad quas aræ etiam ponebantur. Illas arbores apud Latinos & Græcos (3) *Vngebant*, certa unguenta & olea ad radices trunci effundentes. Indicat hoc *Apulejus* Floridor. lib. I. quando dicit: *Neque enim juſtius religioſam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut ſpelunca frondibus, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel etiam colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus libamine humigatus, vel lapis ungvine delibutus.* Ex Græcis prodeat *Theocritus*, qui Idyll. XIIX. in Helenes Epithalamio hunc ritum tangit:

Πρᾶται δ' ἀργυρέας ἐξ ὄλπιδος ὑγρὸν ἄλειφαρ
λαζόμεναι, σταξεῦμες ὑπὸ σκιερὰν πλατάνιστον.

Primæ autem tibi ex argenteâ pyxide humidum unguentum
Capientes, ſtillabimus ſub umbroſam platanum.

De Luco Maſſilienſi apud Gallos *Lucanus*:

- - Barbara ritu
Sacra Deûm, ſtructæ diris altaribus aræ,
Om-

Omniſque humanis luſtrata cruoribus
arbos.

Vnctionem excipiebat (4) *Coronatio* & *Ornatio*. Coronas enim ex variis herbis, floribus ac frondibus nexas, arboribus ſuſpendebant. Ita modò allegatus *Theocritus* l. c.

Πρᾶται τοι ςέφανον λωτῶ χαμαὶ αὐ-
ξομένοιο
Πλέξασαι σκιερὸν καταθήσομεν ἐς πλα-
τάνιςον.
*Primæ tibi coronam ex loto humi creſ-
cente*
*Nectentes, umbroſam ſuſpendemus ad
ad Platanum.*

Et *Apulejus* Quercus cornibus oneratas, & fagus pellibus coronatas, in loco jam adducto, recenſet, quibus adde *Arnobium* lib. V. adverſ. Gentes: ubi de Pini Cybeles violis ac coronis: *Quid comti violaceis coronis & redimiti arboris ramuli? Nonne illud indicant, uti mater primogenitis floribus adornaverit pinum, miſerabilis indicem teſtimoniumque fortunæ.* (5) *Sacrum* quoque *Ignem* & *Lucernas votivas* in arboribus illis ſuſpendebant, quibus lucus colluſtrabatur. Crebro enim fumificas arbor vittata lucernas ſervabat.

vabat. *Prudent.* II. adverſ: Symmach. v. ML. (6) *Vittis*, pictuatisque tæniis veternoſas illas arbores ornare, & lanarum velleribus ſtipitem circumvolvere ſolebant. *Arnob.* lib. V. Adv. Gentes. *Quid lanarum*, inquit, *vellera, quibus arbores colligatis & circumvolvitis ſtipitem?* & lib. I. *Venerabar nuper ſimulacra, veternoſis in arboribus tæniis.* *Ovid.* lib. IIX. Metam.

Stabat in his ingens annoſo robore quercus,
Una nemus: Vittæ mediam, memoresque tabellæ,
Sertaque cingebant voti argumenta potentis.

(7) Coronatis ita atque ornatis velatisque arboribus, *Titulos* atque *Tabellas votivas* ſuſpendebant, quod tum ex loco jam ex Ovidio adducto, tùm ex aliis locis jam adducendis manifeſtum fit. Ita rurſus *Theocritus* l.c.

Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται (ὡς παριών τις
Ἀναγνοίη) Δωριςὶ, Σέβου μ' ἑλένας Φυτὸν εἰμί.

Literæ autem in cortice ſcribuntur, (ut præteriens aliquis Perle-

Perlegat) *Doricè*, *Venerare me*:
Helenæ planta ſum.

Huic jungatur *Apulejus* lib. VI. Metam. *Dona pretioſa*, *& Laciniæ auro literatæ*, *ramis arborum ſuffixæ*, *quæ cum gratiâ facti*, *nomen Deæ*, *cui fuerant dicata ea dona*, *teſtabantur.* Talium Titulorum in Conſecratâ Ilice, quæ in Vaticano erat, meminit *Plinius* lib. XVI. cap. XLIV. *Vetuſtior*, inquit, *Vrbe fuit Ilex in Vaticano*: *in quâ titulus æreus literis Hetruſcis*, *religione jam tum dignam ſignificabat.* His votivis tabellis (8) addebantur nonnunquam *Diræ* & *Imprecationes* contra eos, qui tâlia ſacra violarent. Qualem imprecationem ab Herode factam exhibet nobis Inſcriptio illa, quam inter alias cum doctiſſimis ſuis notis edidit Celeberrimus *Claudius Salmaſius.* In hâc enim poſtquam Herodes Sepulcrum ſuum cum hortulo & Luco Diis dedicaverat, omnibusque, ne quid violarent, aut peregrinum cadaver inferrent ſeverè prohibuerat, ſubnectit tandem:

Εἰ δὲ τῷ ἄκλυστα ταῦτα, καὶ ἐκ ἐπιπεύσεται αὐτῶν,
Ἀλλ' ἀποτιμήσει, μὴ οἱ γνήτιστα γένηται

Ἀλλά μιν ἀπερφαλος Νέμεσις καὶ ῥόμβος Ἀλάςωρ
Τίσονται, ςυγερήν τε κυλινδήσει κακοτητα
Οὐδὲ γάρ ἴφθιμον Τελόπεω μένος Αἰολίδαο
Ὤναθ᾽ ὅτε νειὸν Δημήτερος ἐξαλάπαξεν.
Τῷ ἤτοι ποινὴν καὶ ἐπονυμίην ἀλέασθαι
Χώρε, μή τοι ἕπηται ἐπὶ Τελόπειος ἐρινύς.

Quos verſus reddit idem ille Salmaſius hunc in modum:

Hæc ſi audita neget ſibi quis, neque ſcire laboret,
Inſuper aut habeat; non impunitus abibit.
Hunc cita ſed Nemeſis, atque irrequietus Alaſtor
Triſtibus urgebunt tali pro crimine pœnis.
Nec Triopam quondam, cui ſanguinis Æolus auctor,
Juvit Sacratum Cereri temeraſſe novale.
Quisquis eris, pœnamque loci, nomenque memento,
Ut fugias, nec te Triopea ſequatur Erynnis.

Et hæc obſervabantur circa Arbores apud Latinos & Græcos. Morem, quo veteres Germani tales arbores ſacraverunt, recenſet *Schedius* de D. G. Syngr. II. cap. XXIV. qui talis erat: Eligebant Druydæ ſuo & totius populi conſenſu pulcherrimam totius luci arborem, & hujus exſertos ramos ab utroque latere iterum firmo & principali ſtipiti ſuperiûs jungebant; ita, ut duo illa brachia unirentur ſtirpi. Superiùs, ubi unio horum erat, inſcribebant cortici vocem THAU, uti & inferiùs, ubi brachia exibant ſimiliter; dextro ramo inſcribebant vocem HESUS, medio ſtirpi τὸ THARAMIS, ſiniſtro ramo τὸ BELENUS. (9) Porrò in plerisque lucis *Aræ* aut *Altaria* ponebantur, imprimis in lucis Diis ſuperis dicatis, in aliis enim, v. g. in lucis terreſtribus Diis conſecratis, dubito, an aræ in illis exſtructæ fuerint; nam aliàs conſtat, in ſacrificando ſuperis tantùm Diis aras exſtructas, terreſtribus verò in terrâ planâ ſacra facta fuiſſe, & inferis, effoſsâ terrâ, ut plurimùm, nam aliquando etiam inferis Diis aras erectas fuiſſe legimus, apud *Senec.* in Medea. Act. III. Sc. II. *Vo-*

Vocetur Hecate! ſacra luctifica adpara:
Struantur aræ; flamma jam tectis ſonat.

Quamobrem non penitus negaverim, inferis Diis, in lucis ullas aras poſitas fuiſſe; hâc tamen cum differentiâ: quòd Diis ſuperis ſemper ſublimiores aras erexerint, quàm inferis, quæ idcirco *Altaria* potiùs dicebantur quàm *Aræ*, Altare enim quaſi altam aram ſonat. (10) Exſtructis ita atque conſecratis Aris, aliquando etiam *Statuæ* & *Simulacra* addebantur, de quibus (citante *Stuckio*) videri poterit *Bened. Curtius* lib. IV. Hortor. cap. I. Imprimis verò Deorum ſimulacra, coram quibus omnis religio exercebatur; Supplicationes, Genuflexiones, Adorationes, Salutationes, Adlocutiones, Attactus, Lacrymæ, Preces, Oſcula, illiſque munerum honores offerebantur, Sacrificia, Dona, Unguenta, Thura, Odores, Dapes, Cerei, Coronæ &c. Non tamen etiam inficias eo Hominum & Defunctorum, imprimis verò Imperatorum, ſtatuas in lucis poſitas fuiſſe: notum enim mortuorum quoque ſtatuas conſecratas, & divinis honoribus cultas fuiſſe, unde etiam illæ ſtatuæ, quò conſpectior Di-

 vini-

vinitas eſſet, fiebant ad effigiem habitumque & magnitudinem Numinum, quâ de re vid. *Figrel.* de Statuis illuſtrium Roman. cap. XXXII. p. m. 270. ſeqq. De Germanis majoribus noſtris, quanquam *Tacitus* neget illos ſimulacra Deorum & Statuas habuiſſe, conſtat tamen ſecutis temporibus eos multas tales ſtatuas in lucis ſuis coluiſſe: quale ſimulacrum fuiſſe fertur Idoli illius, quod in Luco ad Albim fluvium propè Hamburgum colebant, quod erat ſolio ſubnixum, lævâ manu ſceptrum, dexterâ gladium gerens. A dextrâ oris parte exibat fulmen, læva tonitru cum flammis: capiti inſidebat aquila; pedibus calcatur Draco, circumcirca duodecim Dii conſidebant: Neptunus, Pluto, Vulcanus, Mars, Mercurius, Apollo, Juno, Ceres, Veſta, Pallas, Diana, Venus. Tale quoque Idolum erat Vandalorum Aldenbùrgenſium, nomine *Prone* inſignitum, quod erat columnæ impoſitum ſtans, alterâ manu vomẽrem, roſei coloris albis diſcriminatum punctis, alrera verò haſtam cum vexillo tenebat: tempora coronis redimita erant, àures prominentes, pedes or-

nati,

nati, & ſub altero tintinnabulum pendebat.

§ IX. Ita verò perfectus & ſacer erat Lucus, aptuſque ad religionem in illo exercendam. Quemadmodum autem nihil tam ſacrum & venerandum eſſe poteſt, quod improba manus violare non valeat; ita etiam Luci illi, quamquam ab omnibus ferè gentibus ſancti & inviolabiles habebantur, facili tamen negotio violari poterant. De quâ violatione, antequam ad reliqua pergamus, pauca in medium adferenda veniunt. Lucum conſecratum profanum reddere quis poterat, ſecundum *R. Maimonid.* cap. IIX. § XX. de Idololatr. decerpendo ex eo folium, aut præſcindendo ramum, conficiendoque inde ſcipionem aut virgam. Ubi notanda ſunt ea, quæ *Dion. Voſſius* in Notis ſuis ad hæc verba *Maimonidis* habet: *Quæ hic* (inquit) *dicit auctor, conſiſtere nequeunt, niſi intelligas lucum, cujus privatus aliquis dominus ſit. Nam nullus dixerit, lucum publicâ auctoritate conſecratum, fieri profanum, quia ab uno aliquo violetur. Quod tantundem eſſet, ac ſi dicas, legem aliquam, aut ſtatutum magiſtratus irritum fieri, quia hic vel ille*

 id

id transgreditur. Maximè autem violabantur Luciferro, ſi nempè ſuccidebantur, qualem violationem magnoperè exaggeratam vide apud *Ovidium* lib. IIX. Metam. fab. XIII. Unde etiam Cæſaris milites celebrem illum circa Maſſiliam Lucum ſuccidere priûs non audebant, quàm ipſe Cæſar reliquis exemplo præiviſſet, quod pulcrè deſcribit *Lucanus* L. III. Pharſal. his verbis.

Hanc jubet immiſſo ſilvam procumbere
ferro,
Sed fortes tremuere manus, motique
verenda
Majeſtate loci: ſi robora ſacra ferirent,
In ſua credebant redituras membra ſecureis.
Implicitas magno Cæſar torpore cohortes
Ut vidit, primus raptam vibrare bipennem
Auſus, & aëriam ferro proſcindere
quercum.
Effatur merſo violata in robora ferro.
Jam ne quis veſtrûm dubitet ſubvertere ſilvam,
Credite me feciſſe nefas. Tunc paruit
omnis

Impe-

Imperiis non ſublato ſecura pavore
Turba: ſed expenſâ ſuperorum & Cæſaris irâ
Procumbunt orni, nodoſa impellitur Ilex. &c.

Nec mirum Cæſaris milites detrectaſſe ducis ſui mandatum, cùm graviſſimæ pœnæ imminerent illis, qui tales lucos violaſſent, divinæ & humanæ: Nam ſi Ethnicorum narrationibus credimus, ultores ſuos & vindices Deos habuerunt tales violatores, à quibus miraculosè ſunt puniti. Ita de Eriſichthone Theſſalo narrant, quòd, cum ſacrum lucum Cereris ferro temeraſſet, irata Ceres perpetuam famem illi immiſerit, feceritque ne unquam poſſet cibo ſaturari, quippè cùm vel per diem aſſiduè præſentibus cibis veſceretur, vel etiam per noctem in ſomniis ſibi videretur præſentibus ſuaviſſimis veſci. Vid. *Ovid.* lib. IIX. Metam. f. XV. De Lithuanis refert *Schedius* ex Cromer. quòd lucos & eximias quaſdam arbores in ſilvis ſacroſanctas habuerint, quas violare ferro nefas erat, nec impunè erat tale quiddam auſis, nam violentiâ Dæmonum vel interibant

ſubitò, vel membro aliquo capiebantur. Sed & humanis legibus coërcebantur, & graviſſimis pœnis afficiebantur lucorum temerarii violatores; talis quippe hominis caput expiandum erat, unde capitalis pœna illi imminebat. Impune tamen nonnunquam licebat ſuccidere tales lucos ſine violationis & conſequentium inde pœnarum periculo, non tamen, niſi piaculo prius facto, & precibus præmiſſis, quam ſucciſionem *Collucationem* ſeu *Conlucationem* appellabant. Rem nobis aperit *Cato* de R. R. cap. CXXXIX. *Lucum conlucare Romano more ſic oportet: Porco piaculo facito. Sic verba concipito: Si Deus, ſi Dea es, quorum illud ſacrum eſt, uti tibi jus ſiet porco piaculo facere, illiusce ſacri cöercendi ergò. Harumce rerum ergo, ſive ego, ſive quis juſſu meo fecerit, uti id rectè factum ſiet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, ut ſies volens propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberisque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando eſto.* Hæc *Catonis* verba, ut & ipſum Collucationis vocabulum, non de Conſecratione, ſed potius de ſucciſione, intelligenda

genda eſſe, contra nonnullorum opinionem, multæ ſunt rationes, quæ id nobis perſuadent; quas tamen brevitatis causâ heic omitto.

§ X. His ita huc uſque explicatis, videbimus nunc nonnullos ex Patronis & Tutelaribus noſtrorum lucorum, ubi pariter ſe offeret occaſio de locis, ubi iſti luci conſtituti fuerint, differendi. *Dionyſius Halicarnaſſ.* lib. I. ὄρη μὲν καὶ νάπας πανὶ, λειμῶνας δὲ καὶ τεθηλότα χωρία Νύμφαις, ἀκτὰς δὲ καὶ νήσους πελαγίοις δαίμοσι, τῶν δὲ ἄλλων, ὡς ἑκάστῳ τὶ θεῷ καὶ δαίμονι οἰκεῖον. i. e. *montes quidem & Saltus Pani*, (ſcilicet tribuebant) *Prata, & loca virentia Nymphis, & inſulas marinis numinibus; & cætera loca unicuique Deo, ſicut illius naturæ convenit.* Ex quibus verbis apparet Gentiles olim ſingulis locis certos ſuos Deos Deasve præfeciſſe. Nos nunc illos Deos, quos Lucis præeſſe credebant, perluſtrabimus. Ii vel generales fuerunt, omnibus omninò lucis præpoſiti, vel ſpeciales, quibus hic vel ille Lucus tantum ſacer erat. Generales erant nonnulli Semidei v. g. Panes, Fauni, Sylvani, Satyri, Nymphæ &c. Lares item viales &

Manes Defunctorum. Ex his agmen ducat (1) *Pan*, ſ*v*. *Faunus*, Paſtorum alias & Ruſticorum Deus, ex receptiſſimâ ſententiâ Mercurii & Penelopes filius: quod etiam *Herodotus* in Euterpe ſtatuit: πανὶ δὲ τῷ ἐκ πηνελόπης. ἐκ ταύτης γὰρ καὶ ἑρμέω λέγεται γενέσθαι ὑπὸ ἑλλήνων ὁ πάν. Eundem autem Pana & Faunum fuiſſe, indicat primô vetus Papinii Scholiaſtes ad illa verba lib. IX. Thebaid. occurrentia:

Gaudebat Fauno, nymphaque Iſmenide natus.

ubi *Lutatius*: *Fauno*, i. e. *Pane*, *Deo paſtorum & Ruſticorum*: cui jungatur *Sext. Aurel. Victor.* de Orig. Gentis Rom. *Hanc*, inquit, *Faunum*, *plerique eundem Silvanum à Silvis*, *Inuium Deum*, *quidam etiam Pana vel Pan eſſe dixerunt.* Deinde argumentum quoque ex eo deduci poteſt, quod *Dionyſius* tradit: Panicos terrores, à Romanis ad Faunos ut auctores referri. Pana enim in Fauno Romani colebant, & Faunus Græcis antiquis ignotus erat, ſoliſque Italis cognitus. Formam hujus Semidei egregiè depingit *Silius* lib. XIII. v. CCCXXVI. ſeqq. Lucis præfectus erat ideò, quòd

quòd teſte *Lactantio* de falsâ religione, *primus Deorum cultum metumque injecerit in Latio degentibus*. Idem quoque dicitur Lucos primus ſacraſſe, templa conſtituiſſe, & ſacrificiorum jus ordinaſſe. Peculiare quoque hujus Dei oraculum, totius Italiæ celebratiſſimum erat in nemore Laurentiorum, quem lucum poſteâ everterunt Trojani. Ingens præterea Faunorum numerus credebatur, qui ſilvas pererrabant, & ſuis terriculamentis hominibus terrorem incutiebant; quin, ut reliqua ſilveſtria numina, arboribus cognati & morti obnoxii credebantur, ipſumque Faunorum Patrem non ultra CXX. annos vixiſſe, evincit *Arnobius* lib. II. Adv. Gentes, & *Servius* ad I. Æneid. *Nymphæ non omnia norunt, nam & moriuntur ſecundum Ariſtotelem, ut Fauni Paneſque.* De Panos morte videri poterit *Plutarchus* in Dialogo de Oraculorum defectu, ut & *Anton. Van Dalen.* diſſertat. I. de Oraculis. Panes & Faunos excipiunt (z) *Satyri*, paſſim à Pöetis inter ſilveſtria numina relati. Dicebantur ita, ſecundum Theocriti Enarratorem, à ſalacitate, Græcis σάθη. Unde etiam

perpe-

perpetui Nympharum ſectatores & inſidiatores credebantur, taleſque celebrantur paſſim ab *Ovidio*, *Luciano*, *Nonno* & aliis. Elegans imprimis locus eſt *Auſonii* in Moſella, ex quo inſidias illorum perſpicere queas; ita autem inibi canit.

Hic ergo agreſtes Satyros & Glauca tuentes
Najades extremis credam concurrere ripis,
Capripedes agitat cùm læta protervia Panes,
Inſultantque vadis, trepidaſque ſub amne ſorores
Terrent, indocili pulſantes verbere fluctum.
Sæpè etiam mediis furata è collibus uvas
Inter Oreiadas, Panope fluvialis, amicas;
Fugit laſcivos, paganica numina Faunos.

Eleganter etiam ad hanc rem alludit *Nemeſianus*, quando vindemiales Satyrorum luſus deſcribit his verbis:

Tum Satyri, laſciva cohors, ſibi pocula quisque
Obvia corripiunt, quod fors dedit, hoc capit uſus.

Canta-

Cantaron hic retinet, cornu bibit alter adunco,
Concavat ille manus, palmaſque in pocula vertit;
Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit
Muſta labris, alius vocalia cymbala mergit.
Omnia ludus habet, cantusque choroſque licentes.
Et venerem jam vina movent, raptantur amantes
Concubitu Satyri fugientes jungere Nymphas,
Jamjamque elapſas hic veſte & crine retentat.

Horum Satyrorum ſeniores & ætate grandiores *Seleni* dicti ſunt, à *συλλαίνειν* quod eſt *conviciari*, *πάντες μὲν Σάτυροὶ φιλοκέρτομοι*: ita Nicandri enarrator: *ȣ̃τοι δὲ, ȣ̀ς ἡμεῖς Σατύρȣς λέγομὲν, οἱ ἀρχαῖοι Σιληνȣ̀ς ἐκάλȣν, ἀπὸ τȣ̃ συλλαίνειν, ὅ ἐςι λοιδορεῖν.* Hi Sileni Bacchi individui comites erant, ex quibus unus præcipuè cæteris antiquior memoratur Bacchi educator & præceptor, ſemper ebrius, quem etiam ebrium dormientem in antro ſuo cum egregiâ ſua ſupellectile depingit *Maro* Eclog. VI. *Sile-*

Silenum pueri ſomno videre jacentem
Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Iaccho;
Serta procul tantùm capiti delapſa jacebant
Et gravis attritâ pendebat cantharus anſâ.

Hunc reliqui Satyri ſemper comitabantur, quod *Ovid.* l. II. de Arte innuit:

Ebrius ecce ſenex pando delapſus aſello
Clamarunt Satyri: Surge age, ſurge pater.

Sequitur (3) *Sylvanus*, ὑλικὸς Θεὸς ſv. ὁ τῆς ὕλης κύειος appellatus, de quo vid. *Roſin.* Antiqu. lib. II. cap. XX. Huic Deo ſacra fiebant antiquiſſimis temporibus apud Latinos & Pelaſgos, quod *Virgil.* lib. IIX. indicat:

Sylvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos
Arvorum pecoriſque Deo, Lucemque Diemque,
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.

Imprimis autem colebatur olim apud Romanos *Mars Sylvanus*, cui in ſilvis

vis ſacrificabant, de quo ſacrificio *Cato* de R. R. cap. CLXXXIII. *Votum pro bubus, ut valeant, ſic facito: Marti Sylvano, in ſylvâ interdius, in capita ſingula boum votum facito, farris adoret libras III. & lardi P. IIII. & pulpæ P. IIII. vini ſextarios tres &c.* Denique & hoc notandum, quod πᾶς θεὸς ὑλαῖος Grammaticis *Sylvanus* dicatur. Inter communes Silvarum præſides, quos *Cœlius Rhodiginus* lib. XII. c. I. Antiq. Lect. *Lucucos* appellat, non infimum quoque locum occupant (4) *Nymphæ*, quæ apud Vett. variæ erant; *Cœleſtes*, quas *Muſas* vocarunt, quæ novem Sphæris præſiderent; *Terreſtres*, quarum quædam ſilvas pererrant, ut *Dryades*, aliæ arborum præſides erant, ut *Hamadryades*, quædam montibus præerant, ut *Oreades*, aliæ paſcuis ac floribus ut *Napæa*, quædam fluviis, ut *Najades*; quædam maribus, ut *Nereides*, quædam ſtagnis, ut *Limneades*, nonnullæ denique fontibus, ut *Ephidriades*. Ex his Nymphis in noſtrum cenſum potiſſimùm veniunt *Draydes*, à δρυὸς nomine ſic dictæ, quô quercus, imò omne arborum & lignorum genus denotabatur. Atque eædem parti-

particulâ ἅμα, h. e. ſimul præfixa; *Hamadryades* vocatæ, quia ſecundum *Plutarchum* ἶσον δένδρου τέκμαρ αἰῶνος λαχοῦσαι, quod etiam indicat *auctor Etymologici Magni*: Ἀμαδρυάδας Νύμφας Μνησίμαχος φησὶ διὰ τὸ ἅμα ταῖς δρυσὶ γεννᾶσθαι. ἢ ἐπεὶ δοκοῦσιν ἅμα ταῖς δρυσὶ φθείρεσθαι, νύμφαι ἀμαδρυάδες λέγονται. Credebantur enim cum arboribus & naſci & interire. Unde *Callimachus*, *Meæ Deæ*, *dicite Muſæ*, *ſi verè genitæ ſunt tunc*, *ubi quercus*, *Nymphæ*, *Nymphæ quidem lætantur*, *quum quercus imber irrigat. Nymphæ verò plangunt*, *quum quercûs cecidere folia.* Confer Hymnum in Venerem *Homero* vulgò adſcriptum. Quamobrem etiam arborum velut animæ habebantur Nymphæ, ut & ſuccus arborum *ſanguis Nympharum* credebatur. Sic apud *Ovidium* lib. IIX. Metam. fab. XIII. ubi annoſiſſima quercus cæditur:

Cujus, ut in trunco fecit manus impia vulnus,
Haud aliter fluxit diſcuſſo cortice ſanguis,
Quam ſolet ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abrupta cruor è cervice profundi,

Edi-

Editus & medio ſonus eſt de robore talis:
Nympha ſub hoc ego ſum, Cereri gratiſſima, ligno.
Quæ Tibi factorum pœnas inſtare tuorum
Vaticinor moriens, noſtri ſolatia leti.

Nihilominus tamen ſupervivere quandoque arbores, interire verò Nymphas leges apud *Statium* VI. Thebaid. locò jam ſuperiùs adducto. Quoniam igitur tota harum Nympharum vita in arboribus poſita erat, inſigni impietate accuſabantur illi, qui vetuſtam ejusmodi arborem exſcindere audebant, quin præſentiſſimas Numinis iras atque inevitabiles delictorum pœnas in ſe derivabant. Sic *Apollonius* lib. VI. Argon. ſcribit: Parœbii Parentem, cùm inſignem quercum eſſet exciſurus, Nympham vidiſſe, quæ ipſum ſupplex rogavit, ut ſibi parceret, cùm vitæ ſuæ tempus in arboris ætate contineretur, cui, cùm ille non paruiſſet, iratum numen in ipſum, & totam ſobolem deſæviit.

§ XI. Ab his ad *Lares Viales* progredior, qui itidem in lucis habitare credebantur, nam apud *Virgil.* l. VI. Æneid ipſi de ſe dicunt.

Nulli certa domus, Lucis habitamus
opacis.

Erant autem lares viales, à quibus proficiſcentes iter ſecundum poſcebant, & in Græciâ quidem in ſpecie colebatur *Mercurius* dictus εἰνόδιος: de quo *Didymus* ad Odyſſ. π. ὅθεν καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἄχρι τοῦ νῦν εἰς τιμὴν ἑρμοῦ κατὰ τὰς ὁδοὺς διὰ τὸ τὸν θεὸν εἶναι τοῦτον καθηγήμονα καὶ τρόπον τῶν ἐκδικούντων, σωροὺς ποιεῖν λίθων, καὶ διάγοντας περιβάλλειν λίθους καὶ τούτους καλεῖν ἑρμαίους λόφους. i. e. *Inde etiamnum in uſu eſt homines Mercurii honorem, eò, quòd viarum ſit præſes, & ad morem Deorum eum abſolventium, lapidum acervos viis publicis congerere: hos autem prætereuntes crebro jactu augere, & acervos mercuriales nuncupare.* *Hecate* item Ἐινοδία dicta, inter lares ejuſmodi viales apud Græcos habebatur. Apud Romanos verò præcipuus erat *Hercules Sancus*, cujus ſacrificium *propter viam* vocatum, ipſeque aliàs *Sanctus*, *San-*

Sangus, *Semo pater* & *Dius Fidius* dicebatur. Nota aliàs varia Larium diviſio, alii erant *Familiares*, qui rei familiaris curam gerebant, θεοὶ κατοικίδιοι, ἥρωες κατοικίδιοι, & πατρῷοι θεοὶ Græcis dicti. alii *Urbani*, ſive Urbis cuſtodes. *Martial*. lib. III. Epigr. XXXI. *Urbanique tenent prædia culta Lares*. Hi, ſecundum *Turnebum*. lib. XXIX. Adverſ. c. XXXIII. *Hoſtilii* quoque dicebantur, quod ab urbe, quam protegebant, hoſtes ſubmoverent. Alii *Permarini*, θεοὶ διαπόντιοι nuncupati, quibus per mare peregrinantes immolabant. Alii *Compitalitii* ſive *Viales*, viarum præſides, in quorum honorem Compitalia feſta celebrabantur, in quibus pilas & effigies viriles ac muliebres ex lana in compitis ſuſpendebant laribus, ita, ut tot pilæ, quot capita ſervorum, tot effigies, quot eſſent liberi iis ponerentur; cum voto: ut vivis parcerent, & eſſent his pilis & ſimulacris contenti. Quemadmodum hæc Feſta deſcribit Max. Reverend. Dn. D. *Saubertus*, Patronus meus maximus Tract. de Sacrific. c. III. Omnes autem Lares Viales erant animæ defunctorum, &

Q 2 *Dii*

Dii animales appellabantur, quod indicat *Servius* ex Labeone ad III. Æneid. quando inquit: *Labeo in libris, qui appellabantur de Diis, quibus origo animalis eſt, ait eſſe quædam ſacra, quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellantur animales, quòd de animis fiant. Hi autem ſunt Dii Penates & Viales.* Factum inde, ut non tantùm Diis, verûm etiam ipſis hominibus defunctis Luci ponerentur, quoniam animas defunctorum cum reliquis laribus vialibus in Lucis habitare credebant. Quamobrem etiam plerumque ad ſepulcra Lucos plantabant, quam in rem *La Cerda* ad VI. Virgil. Æneid. v. DCLXXIII. *Mortuorum ſepulcra erant ſub arbòribus, lucisque circumſepta.* Huic adde *Vallam*, qui lib. V. hunc in modùm ſcribit: *Lucus nequaquam cæduus eſt; quin potiùs manu conſitus, religioſusque, atque vel alicui Deo, vel alicujus hominis cineribus conſecratus, ideóque aut circa delubra, aut circa ſepulcra eſt poſitus.* Ita & ad ſepulcrum Antullæ cujusdam Luci mentionem injicit *Martialis* lib I. Epigr. CXVII. Quin defunctorum animas in arboribus quoque Lucorum vitam ducere, & violatis

iſtis

iſtis arboribus defunctos quoque violari, crediſiſſe antiquos, colligo ex iis, quæ *Virgilius* de Polydori Luco, quem Æneas, inſcius tamen, deſtruere volebat lib. III. Æneid. affert, quem locum ob prolixitatem non appono, ſed Benev. Lectori evolvendum relinquo. Hinc etiam, quoniam apud Romanos, opulentiores præſertim, in ſuis villis ac prædiis ſepeliebantur, factum eſſe arbitror, ut extremæ impietatis argueretur is, qui Lucum conſecratum in villa non haberet, talem enim, tanquam Deorum contemtorem, ſupra omnes Mezentios contumaciâ evectum, publico voto damnabant atque proſcribebant. Et ſanè hoc argumento ſubnixus *Apulejus*, Æmylianum accuſatorem impium, & rerum divinarum deriſorem, infami elogio judicibus proſtituit, quando inter alia hæc quoque affert in Apologià ſua: *Nullum in villâ ejus delubrum ſitum, nullus locus aut* Lucus conſecratus. *Et quid ego de luco & delubro loquar? Negant vidiſſe ſe, qui fuere, unum ſaltem in finibus ejus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum. Igitur agnomenta ei duo indita: Charon, ut*

 jam

jam dixi, ob oris & animi diritatem, ſed alterum, quod libentiùs audit, ob Deorum contemtum, Mezentius. Sed & ex hâc veterum conſuetudine, lucos circa Templa & Sepulcra plantandi, haud inconcinnè conjectari fortè liceat, ritus illius veſtigia hodienum apud varias gentes durare, dum circa cœmeteria, aut etiam circa Templa, Tilias aut alias arbores plantant: quod etiam in Germaniâ noſtra in multis pagis hodienum cernitur, vid. *Kornmann.* de Mirac. Mortuorum part. IX. c. VII. Et hæc de communibus omnium Lucorum Patronis & Diis apud Latinos præſertim & Græcos in præſens dixiſſe ſufficiant. Qui plura de his & aliis deſiderat, adeat Mythologos; tempus enim, & inſtituti ratio non patitur ut pluribus heîc de illis agamus. id tantùm adhuc obſervamus: Lucucos hoſce nocturno imprimis tempore in lucis oberrare, mortalibuſque ſeſe conſpicuos exhibere crediddiſſe olim ſuperſtitioſam antiquitatem. Colligimus id ex illo *Quinctiliani* loco Declamat. XI. *Quotieſcunque domus fuerat grato ſopore proſtrata, aderat ille, qualis humanis ſe offerunt oculis propitii dii,*

dii, quale lætiſſimum numen eſt cum ſe patitur videre. Sicut omnis religio templorum, omnis religio lucorum, cum tacuere mortalia & profani procul, errare ſedibus totis, ſolitudine frui, & de ſuis dicitur exire ſimulacris: ita juvenis meus noctibus totis agebat filiam, & paterna domo ac penatibus ſuis fruebatur placidus & mitis, & matri propitius, ut Numen & Deus delabi Syderibus, & venire de liquido puroque aëre videbatur. Quemadmodum hunc malè aliàs affectum locum reſtituit atque diſtinguit Philologorum noſtri temporis facilè princeps ſplendiſſimumque Trajectenſium ad Rhenum Lumen Jo. Georg. Grævius in Lectionibus ſuis Heſiodeis cap. XVI. p m. LXXXII. Et de omnibus Diis id aſſerit *Statius* lib. I. Sylv. I.

- - Huc ſub nocte ſilenti
Cùm ſuperis terrena placent, tua turba relicto
Labitur cælo.

Confer. *Caſp. Barthii.* Adverſar lib. XL. cap. III. lib. LVI. cap. VII. ejusdem commentar. ad Bellum Gildonicum Claudian. item ad Thebaid.

baid. Statii Lib. V. v. LXIV. *Gerh. Joh. Voſſii* Theolog. Gentil. lib. II. c. I. & alios.

§ XIII. Jam verò ſingulis ferè Diis Conſentibus & majorum Gentium peculiares Lucos aſſignaverunt. Sic Jovi in diverſis locis multi luci ſacri erant. Jovi Ammoni in Africâ circa templum lucus conſecratus erat. vid. *Diodor. Siculus* Hiſtor. l. XVII. c. L. integro. *Q. Curtius* lib. IV. c. VII. *Silius* l. II. Jovis Militaris Luci in Caria mentionem facit *Herodotus* lib. V. Jovis Luci in Græcia meminit *Virgil.* l. III. Georg. Jovis item in Aſia luci, l. III. Æneid. Marti in Ida lucus conſecratus erat, de quo *Virgil.* lib. III. Æneid. de Ditis luco, *Frontinus* Strateg. lib. I. c. XI. de Palladis luco *Pindarus* Olymp. V. Dianæ Luci mentionem ſæpius facit *Dictys Cretenſis* l. I. de Bello Trojano. Martis Lucum ſoli & pluviæ inacceſſum deſcribit *Nonnus*, extremo libri XXI. *Dionyſ.* De Daphnenſi luco Apollini & Dianæ ſacro, *Sextus Rufus*, in Breviar. cap. XXVI. p. m. XX. & *Dempſterus* ad Roſin. Antiqu. lib. I. cap. XXIII.

Alia

Alia loca Auctorum, in quibus diverſi diverſorum numinum luci deſcribuntur, allegata, induſtrius lector videre poterit ap. *Cluverium* Germ. Antiq. l. I. cap. XXXIV. imprimis verò (*Stuckio* citante) apud Benedict. *Curtium Symphorianum* lib. IV. Hortorum. ubi de Lucis Jovi ſacris cap. IX. de Lucis Junoni ſacris cap. X. de lucis Apollini dicatis cap. XI. de Luco Daphnes. cap. XII. de Lucis Minervæ, Iſidi, Latonæ, Cybelæ, Oſyridi & Æſculapio dicatis, c. XIII. de Lucis Dianæ ſacris c. XIV. de Luco Aricino, omnium maximo, Dianæ devoto, c. XV. de Luco Camœnarum ſeu Muſarum, c. XVI. de Lucis Vulcano, Veneri, Cupidini, Marti, Bellonæ, Libero Patri, Pani & Sylvano dicatis, c. XVII. de Lucis Neptuno dicatis c. XIIX. de Lucis Cereri, Proſerpinæ, Plutoni, Veſtæ, Caſtori & Polluci dicatis, c. XIX. de Lucis Feroniæ, Alburneæ, Maricæ, Lavernæ, Bellonæ, Furinæ, Suadelæ ſacris cap. XX. &c.

§ XIV. Sed & omnibus templis additæ erant porticus è ligno lucis

 conſi-

conſitæ. Vid. *Georg. Fabric.* in Roma c. XIII. *Roſin.* l. II. Antiqu. c. II. & nullum ferè veteribus templum erat ſine luco, ut majorem religionem loci horror incuteret, benè notat *Minellius* ad. lib. I. Æneid. v. 445. Quin in ipſis templis circa aras arbores plantatas fuiſſe, eleganter obſervat ſupra laudatus *Dn. D. Saubertus* c. XVI. de Sacrif. Originem verò hujus ritus, quòd luci circa templa plantati fuerint, conjicio inde fluxiſſe, quòd primitus omnia ſacra non in templis, ſed in lucis facta fuerint: unde porrò, poſtquam templa vel à *Jano*, ut Macrobio placet, vel à *Phoroneo Ægyptio*, aut *Merope*, ut *Arnobius* vult, vel à *Jove*, vel à *Meliſſeo*, *Cretenſium Rege*; quod *Lactantius* ſcribit, vel ab *Uſone*, quod Phœnices dicunt, vel à *Dyonyſio*, vel à *Cecrope* inventa fuerunt, Lucos ſecum ad illa propter ſanctitatem & horrorem attraxerunt.

§ XV. Denique quemadmodum omnibus Diis lucos ponebant veteres, ita viciſſim omnes lucos, quamquam nullis certis Diis ſacratos, nulliſque idolis inſtructos, ſanctâ tamen

tamen reverentiâ colebant, alicujuſque Dei domicilia putabant; quod innuit *Seneca* Epiſt. XLI. *Si tibi*, inquit, *occurrit vetuſtis arboribus, & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens, illa proceritas ſylvæ & ſecretum loci, & admiratio umbræ in aperto tam denſæ atque continuæ, fidem tibi Numinis facit.* Idem obſervat *Servius* ad III. Æneid. quando dicit: *Lucus ſanè nunquam ſine religione ponitur.* & ad 1. Æneid. ad illa verba: *Lucus in urbe fuit media* &c. obſervat, quòd ubicunque Virgilius Lucum ponit, conſecrationem etiam ponat. Sed nunc manum de tabulâ. Reſtaret quidem, ut de Sacrificiis, Feſtis & ſolemnibus conventibus, itemque de aliis ſacris in his lucis conſecratis olim adminiſtratis nunc ageremus, ſed quoniam illa tam prolixa ſunt, ut peculiarem ſibi tractationem poſtulent, commodius ea in aliud tempus reſervamus, ubi non ſolùm ea, quæ huic diſcurſui incluſimus, uberius tractabuntur, ſed & multæ aliæ obſervationes amœniores literas amantibus exhibebuntur. Tu intereà

B.

B. Lect. paucas haſce pagellas tanquam excerpta quædam ex noſtris collectaneis accipe, noſtrisque conatibus fave.

FINIS.

X I.

D E

SCRIBIS VETERUM ROMANORUM

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSO-
PHICÆ CONSENSU

PVBLICE DISPVTABVNT

PRÆSES

M. ANDREAS CHRISTIANUS
ESCHENBACH P. L. C.

E T

RESPONDENS

JOHANNES CHRISTOPHORUS SPIES;
MOEGELDORFFIO-NORICUS.

VII. EID. SEPTEMBR.

ANNO CIↃ IↃↃ LXXXVII.

Digitized by Google

ESCHENBACHIUS
DE
SCRIBIS VETERUM
ROMANORUM.

§ I.

Vocabulum *Scriba* à ſcribendo deſcendere, nemo, quod ſciam, ambigit: undenam autem ipſum verbum *Scribo* originem ſuam habeat, diverſas apud Grammaticos invenio ſententias. Celeberr. *Voſſius* cum *Nunneſio* à Græco γράφειν hoc vocabulum deducit. γ. in c. converſo, & ſ. capiti appoſito, quomodo, inquit, à γλύφω, ſculpo, à γρύτη, ſcruta. Vel, dicit, eſt Scribo à σκάριφος, ſtilus, ſcriptura: quid? quod & ab Hebraico ספר deduci poſſe arbitratur, quod verbum recenſere, vel ſcribere, ſignificare dicit. *Goropius Becanus*, lib. II. Hieroglyphicõn hanc vocem accerſit à Belgis, quibus ſcribere eſt *ſchrijven*: affine noſtro Schreiben/ Quæ derivatio fortè non adeò ridicula eſt, ut nonnulli arbitrantur, maximè ſi inter hodiernos Philologos viros undiquaque doctiſſimos audire velimus, qui non tantùm Latinam, ſed etiam Græcam Linguam maximam vocabulorum ſuorum partem Germanis Celtis & Scythis debere, partim proba-

probabilibus ſatis rationibus, partim etiam propriâ tam Græcorum quam Latinorum confeſſione, clare ſatis oſtendunt. Inter quos Celeberrimos viros ſuo merito commendandus *Daniel Georgius Morhof*. Kilonienſis Academiæ illuſtre decus, Im Unterricht von der Teutſchen Sprache und Poeſi Cap. II. III. & IV. Neque etiam probare poſſum ridiculam nonnullorum opinionem, qui in noſtrâ vernacula lingua vocabula invenientes, cum Latinis convenientia, ſubitò generoſos Germanos furti reos arbitrantur, quaſi verò Germani ante etiam quàm Latina Lingua illis innotuit, non habuerint propria, quin, ſi accuratiùs inſpicias, eadem, quæ nunc vocabula, quibus animi ſui ſenſa explicare potuerint; et ideò illa à confluxis ex Græcis & Barbaris Latinis mendicare demum debuerint? Nos, quemadmodum ex linguis, quæ hodiè ſuperſunt, nullam agnoſcimus reliquarum matrem, ita etiam nihil certi determinare audemus in tanta difficultate, quænam lingua ex his duabus ſuas voces alteri debeat, admirantes potiùs miram omnium ferè linguarum inter ſe convenientiam.

§ II.

§. II. Cùm igitur à Scribendo deſcendat Scriba, generaliſſima & ſimpliciſſima notione cum *Gloſſatore Juris Græci Baſilicorum* à Carolo Labbeo publicato, Scribam dicemus γραφέα, qui ſcribendo ſe ſuſtinet, & ab eo ſuo munere potiſſimoque labore, (ſecundum *Iſidorum Origin.* lib. VI. c. XIV.) hoc nomine indicatur. Et ita hâc voce uſus eſt *Julius Firmicus* Matheſeωv. lib. III. c. VI. *Malitioſos*, inquit, *facit*, *malevolos*, *peſſimosque in omnibus actibus*; *ſed aut advocatos*, *aut Juriſperitos*, *ſeu ſcribas vel exceptores*, *aut hortorum præpoſitos*, *vel aquarum diſtributores*. Ubi certè ſcriba nil aliud notat, quam talem hominem, qui quodcunque etiam literis ſeu notis exſcriptum lectioni traducit, & quomodocunque rem quampiam chartis mandat, concipit aut excipit. Hi, obſervante *Barthio*, ex Gellii Noct. Attic. Lib VI. c. IX. *Scriptum facere* dicebantur. verba Gellii ſunt: *Cn. Flavius*, *patre Libertino natus*, *ſcriptum faciebat*, *isque in eo tempore Ædili curuli apparebat*, *quo tempore Ædiles ſubrogantur*, *eumque pro tribu Ædilem curulem renunciaverunt*.

 At

At Ædilis, qui Comitia habebat, negabat recipere, neque ſibi placere, qui ſcriptum faceret, *eum Ædilem fieri. Cn. Flavius Annii filius, dicitur tabulas poſuiſſe, ſcriptu ſeſe abdicaſſe; ii que Ædilis curulis factus eſt. Scriptores* item generaliter appellabantur, quod *Donatus* docet in Adelphorum prologum: *Indifferenter*, inquit, *omnes, qui aliquid ſcripſiſſent, Scriptores à veteribus dicebantur.*

§ III. Hi Scribæ antiquitûs alii erant *Publici*, qui Magiſtratibus potiſſimùm adparebant, *Privati* alii, qui cuivis privatim, qui illorum operâ indigebat, ſerviebant. Et hi pro diverſitate officiorum, quæ obibant, diverſa etiam ſortiebantur nomina. *Librarii*, Scribæ à Libris, qui nempe libellos & libros quosvis patronis ſuis deſcribebant, unde etiam in Gloſſis βιβλιογράφοι, Librarii interpretantur, & *D. Hieronymus* Epiſt. ad Niceam omnes Scriptores à libris arborum librarios vocatos fuiſſe, docet. Quamobrem non audimus *Iſidori* diſtinctionem planè non neceſſariam, quam libro VI. Origin. habet, quando dicit: *Librarii, iidem & Anti-*

Antiquarii vocantur; *ſed Librarii qui nova & vetera ſcribunt. Antiquarii, qui tantummodò vetera.* Nam (1.) ex nomine librariorum facile patet, eorum uſum & nomen latiſſimè patere, eorumque totam artem circa chartas & libros occupatam fuiſſe, quippe quos deſcribebant & vendebant. Quin *Horatii Interpres* in Arte, librarios cum Scriptoribus conjungit; Scriptor, Librarius, . Bibliopola. (2) *Antiquarii* autem non ſolùm ii dicebantur, qui tantummodò vetera ſcribebant, ſed in univerſum omnes γράφοντες εἰς κάλλος, ita enim *Gloſſæ* vett. quas Wowerus. cap.V. Polymath. adducit: Antiquarius ἀρχαιογράφος, καλλιγράφος. Hi Librarii, dicebantur quoque *Librarii Scribæ.* De quo Inſcriptiones: T. CECIENUS. FELIX. AUGUSTALIS. SCRIBA. LIBRARIUS. Alia: Q. LUCRETI. QUINTIANI. SCRIBÆ. LIBRARII.

Alia rurſus:

L. VIBIUS. AUG. SER. PAMPHILUS. SCRIBA. LIB. ET. A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS.

Hi quoque Librarii ſcriptores diſtinguebantur in *Græcos* & *Latinos*, utroque, aut altero tantùm nomine cenſiti, obſervante Barthio. Græci talis Scribæ mentionem injicit Inſcriptio vetus:

AGRIÆ. TRIPHOSÆ. VESTIFICÆ. LIVIUS. THEONA. AB. EPISTOLIS. GRÆCIS. SCRIBA.

§ IV. Privati hi Scribæ *Notariorum* quoque nomen accipiebant, quando nimirum verba dictantis vel etiam loquentis celeritate manus, & varia compendiosè ſcribendi ratione aſſequebantur & chartis mandabant, de quibus *Manilius* libro IV. Aſtronomic.

Hic & Scriptor erit velox, cui litera verbum eſt,
Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis.

Græcis tales dicebantur *γράφοντες εἰς τάχος διὰ σημείων*, qui *Novell.* XV. *ταχυγράφοι*, *&* *Plutarcho in Catone σημειογράφοι* audiunt. Quales intelligit

ligit *Hieronymus ad Julianum*, quando ſcribit: Appoſito notario cogebat loqui, quæ velociter edita vox conſequeretur manus, & linguæ celeritatem prenderent ſigna verborum. *Euſebius* quoque hos indicat Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. VI. c. XXI. Ταχυγράφοι δὲ γὰρ αὐτῷ (Origeni) πλείους ἢ ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν παρῆσαν τῷ ὑπαγορεύοντι. Χρόνοις τεταγμένοις ἀλλήλους ἀμείβοντες. βιβλιογράφοι τε οὐχ ἥττους ἅμα καὶ κόραις ἐπὶ καλλιγραφεῖν ἠσκημέναις. Ex quo etiam loco illud patet, βιβλιογράφους, ſeu librarios ea, quæ Notarii notis conſignabant, in literas redegiſſe. Quod expreſſius adhuc indicat *Suidæ* locus, in ΩΡΙΓΕΝΗΣ. ὑπηγόρευε τοῖς ταχυγράφοις, καὶ οἱ βιβλιογράφοι σὺν γυναιξὶν ἔγραφον ἐπὶ τὸ καλλιγραφεῖν ἐξησκημέναις. i. e. *Dictavit notariis, & librarii ac mulieres edoctæ eleganter ſcribere deſcripſerunt.* Pulcherrimè autem idem hoc innuit *Paulus JCtus* Cap. XL. de Teſtamento Militis: *L. Titius miles Notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictavit, & antequam literis perſcriberetur vitâ defunctus eſt.* Ipſas autem has Notas compendiariæ ſcriptionis, ſi curioſus lector penitius

 tius

tius cognoſcere cupit, adeat Mich. Meiſneri Syntagma Philologicum de Adnotamentis Criticorum, ſive de notis Sententiarum, Ejusdemque Apoſpaſma Philologicum de Notarum Signis. Curiæ Variſcor. for. 8. A. cIↄ Iↄc XXII. M. Valerii Probi Grammat. de Notis Rom. interpret. libellum. item Magnonis, Petri Diaconi, & Papiæ de Notis literarum libros. Prettenium de Notis & Signis Antiqq. f. 12. Cizæ. 1660. Trithemium lib. VI. Polypraph. Joh. Baptiſt. Portæ lib. VI. de occultis Literarum notis. Joh. Mabillon, de re diplomatica ſub fin. Lib. 1. & Lib. V. p. 456. 457. Lutet. Pariſ. fol. Regal. 1681. Adjectæ quoque ſunt Inſcriptionibus Gruterianis, Tironis, Liberti Ciceronis & L. Ann. Senecæ Notæ ſeu characteres, quibus utebantur Romani Vett. in Scriptura Compendiaria.

§ V. In hunc quoque cenſum veniunt, quos JCti *Actores Servos* vocant, qui nempe reditus dominorum à colonis exigebant, peculio præerant & rationes conſcribebant. Theophilo in Inſtitutionum paraphraſi talis vocatur

tur *διοικητὴς πάσης ὀσίας.* h. e. ut Plautus loquitur in Aſinariâ: cui omnium rerum herus ſummam credidit. Ita dictus, quod ei omnium rerum *actus* incumbat. horum mentio l. 1. §. ult. ff. *de ſervo corrupto:* deteriorem facit Servum, ſi actori ſuaſit, ut rationes dominicas intercideret, vel adulteraret, vel etiam ut rationem ſibi commiſſam conturbaret. Iidem & *Diſpenſatores*, ab antiquo æris pendendi modo dicebantur, teſte *Reineſio* Epiſt. ad Hofmann. & Rupert. XXXV. ubi etiam ex hâc ſententia aliquot Inſcriptiones veteres illuſtrat. Sed & eos Actores Servos appellatos fuiſſe dicit, qui Servis aliis præponebantur, ac proinde *Columellam* l. 1. c. 1. per Actorem, ordinarium ſervum, qui reliquos moderaretur indicare ait, per familiam verò vicarios mediaſtinosque cum omni fæce. Hac notione quoque utitur *Petronius* in deſcribenda Trimalcionis familia. Actorum verò ſervorum meminit etiam fabularum Mileſiacarum conditor lib. II. his verbis: *& converſa philodeſpotum requirit actorem, & ei præcipit bono cuſtodi redderet ſine morâ præmium.* Græci hos ſervos dicebant

πράκτορες. ita enim Heſychius: *πράκτορες, ἀπαιτηταί.*

§ VI. Officium ſtalium ſcribarum non adeò ſplendidum erat, uti etiam conditio minus honorata. Et ad officium quidem quod attinet, vel dictantis verba compendiariis notis excipiebant, vel excepta in literas redigebant, vel libellos tantùm patronis ſuis vel libros etiam in Bibliothecas poſteà vel privatas vel publicas Auguſtam etiam domum referendos, deſcribebant, talesque ſtante adhuc Republicâ Proceribus fuiſſe, *Varro* de Re Ruſtica libro III. cap. II. teſtatur. *Ibi vidi*, inquit, *greges magnos anſerum, gallinarum, columbarum, gruum, pavonum; nec non glirium, piſcium, aprorum, & cæteræ venationis, ex quibus rebus Scriba librarius, libertus ejus, qui apparuit Varroni, & me, abſente patrono, hoſpitio accipiebat, in annos ſingulos plus quinquaginta millia è villâ capere dicebat.* Invenies etiam, qui ſolis Epiſtolis ſcribendis apparuerunt, quod colligi poteſt ex Inſcriptione IV. ſuperius § III. adductâ. Rationes quoque villaticas eos curaſſe, patet ex iis quæ §. proximè præceden-

cedente V. de Servis Actoribus diximus. Denique etiam Magnates comitabantur cum pugillaribus, ut ſi quid fortè notandum incideret, literis conſignare illicò poſſent. Teſtis eſt *Sidonius* Libr. V. Epiſt. XVII. *Nec plus moratus, mox ſuo ſcribâ, qui pupillarem juxtà tenebat, ad me vocato, ſubditum ſic Epigramma compoſui.*

§ VII. Condititio autem eorum admodum vilis & contemta erat, unde etiam nonnemo ex Satyricorum numero viles vocat ſcribas:

- - Cum multa rei tulerint incommoda, tandem
Grande lucrum referunt! quale hoc? Lucrentur ut aſſem,
Tota reſignatis fundunt patrimonia fiſcis.
Quid quod multa ferunt Servis indigna? Suique
Obliti generis, nunc vilis ad oſtia ſcribæ
Manè ſedent, illumque forum comitantur euntem.

Julius etiam *Firmicus* Matheſeων lib. III. c. VI. verbis jam ſuperius adductis, vilibus eos hominibus accen-

ſet. Sed & *Corn. Nepos* in Eumene hoc indicat, quando ita ſcribit: *Itaque eum habuit ad manum, ſcribæ loco, quod multò apud Græcos honorificentius eſt quàm apud Romanos. Nam apud nos reverà ſicuti ſunt, mercenarii ſcribæ exiſtimantur.* Nec mirum contemptos fuiſſe hos homines, multi enim ex illis mancipia & ſervi erant. Inſcriptio vetus ſuperiùs adducta:

L. VIBIUS. AUG. SER. PAMPHILUS. SCRIBA. LIB. ET. A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS.

Cicerò quoque lib. V. Epiſt. ad Familiares XX. *Ita accepi librum à meo ſervo ſcribâ, ut eundem acceperim à fratre tuo.* Sufficiant hæc de privatis Scribis, quis enim omnia hìc exponat? ad publicos nunc accedimus.

§. VIII. Publici Scribæ fuerunt, qui apparuerunt ſingulis magiſtratibus eo nomine, ut rationes publicas in tabulas referrent, & leges, actaque omnia deſcriberent. Hi plerunque inter Apparitores Magiſtratuum numerantur, ita *Cicero* lib. 3. de legibus

bus: *Animadverto quoſque in Magiſtratibus ignoratione juris ſui tantum ſapere, quantum apparitores velint*, hoc autem in loco Ciceronem de Sribis loqui oſtendit *Sigonius* ex Plutarcho, lib. II. de Antiquo jure Civ. Rom. cap. VIII. Hi Publici Scribæ, non minus etiam *Librarii* vocantur *à Feſto*, *Librarii*, inquit, *qui rationes publicas ſcribunt in tabulas*. *Tabelliones* etiam ab *Iſidoro* lib. IX. c. IV. Originum: *Tabellio vocatus eò quòd ſit portator tabellarum. Idem exceptor, idem & ſcriba Publicus, qui ea tantùm quæ geſtis publicantur, ſcribit*. Sed audiamus de his *Excellentuſſimum DN. D. Schubartum* Patronum meum maximum, Tractat. de Comitibus Palatinis p. 254. hâc de re egregiè diſſerentem: *Tabularios*, inquit, *vocabant Romani*, *qui per ſingulas civitates rationes atque chartas rei tributariæ curabant, nomina debitorum prodebant, breves conficiebant ac* λογαϱικὰ *exactoribus danda. Tale hominum genus noſtris etiam moribus non inuſitatum eſt. Scribarum nomine publicorum veniebant, quibus acta publica & pericula magiſtratuum commiſſa. Ævo Caſſiodori adhuc ſuo munere fungebantur, qui formulam hujus elegantem in variis habet*

(locus

(locus eſt Lib. XII. Epiſt. XXI. inferiùs adducendus) *ubi tamen inſcriptio, de ſcribarum ſeu tabellionum officio, recentioris manus eſt, veraque & antiqua hæc ſubſtituenda*, Scribæ Ravennati. *Tabelliones erant, qui tabellas, literas, cautiones atque obligationes conficiebant, contractuum & teſtamentorum inſtrumenta conſcribebant, forenſibus negociis ſe accommodabant.* Suidas & Gloſſæ Nomicæ *deſcribunt*: Ταβελλίων ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς καθήμενος, δόξαν τε πολλὴν ἐπὶ τῇ ἀληθείᾳ καὶ ἀρετῇ ἔχων, ἅπαντα ἐπιτελεῖ τὰ τῶν γραμματεῖα, ἕκαστον αὐτῶν ἐπισφραγίζων αὐτὸς οἰκείοις γράμμασιν.

§ IX. Nomina porro Scribæ Publici varia olim ſortiebantur a Magiſtratibus, à quibus vel lecti erant, vel quibus adparebant, quod teſtatur *Reineſius* Epiſt. XXXI. ad Rupertum p. m. CLXVIII. Conf. Sigonium l. c. Pontifices enim, Duces, Imperatores, Conſules, Proconſules, Ædiles, Quæſtores, & plerique cæteri Magiſtratus certos ſuos ſibi Scribas adſciſcebant, qui negocia eorum curabant ſcriptis, & Rationibus præerant conſignandis, quæ magiſtratu finito Reipublicæ offerebantur. Unde

de poſteà, *Scribæ Pontificum*, *Ducales*, *Imperatorii*, *Conſulum*, *Proconſulum*, *Ædilium*, *Quæſtorum* &c. quin & *Juris peritorum* & *Advocatorum* appellabantur, quæ nomina accuratè collegit *C. Barthius*. Adverſ. lib. LX. qui liber Commentarium continet in Civitatem Dei Auguſtini. Non tamen inter illos apparet Scriba *Prætorius*, fortè quia Auctores Indicis Inſcriptionum à Grutero collectarum negarunt hujus generis ſcribam inveniri. Sed accuratiſſimus Reineſius loco paulo antè citato in Lapide Ladeſtano Liburniæ reperiſſe ſe teſtatur inſcriptionem, in quâ Prætoriani Scribæ mentio occurrat.

C. MODIUS. SCR. PR. VERONA. ANN. XX

addit poſteà: *Et cùm Ædilium*, *Quæſtorum*, *Tribunorum fuerint Scribæ*, *vel quod lecti ab hiſce Magiſtratibus*, *vel quod iis adparerent appellati*; *cur Prætorum nulli fuiſſent? Fuerunt fortaſſis huic magiſtratui magis neceſſarii*, *& plures quàm illis.*

§ X. Facilè, ſpero, ex hactenus dictis apparet, ingentem Scribarum nume-

merum fuiſſe in Civitate. Factum inde, ut in multas *Decurias* ſint tranſlati, Quæſtoriorum nempè, Ædilitiorum, Prætoriorum, prout à Quæſtoribus, Ædilibus, aut Prætoribus fuiſſent lecti, & pro ratione illarum decuriarum, in quam quiſque lectus erat, percipiebat emolumenta, cujus rei teſtis eſſe poterit fragmentum tabulæ æneæ Rom. cujus verba habentur apud Gruterum p. D. C. XXVIII. in quâ Quæſtor Urbanus qui ærarium provinciam obtinet, jubetur Scribis mercedem ſolvere. ſed ecce verba:

Q.URB. QUEI. AERARIUM. PROVINCIAM. OPTINET. EAM. MERCEDEM. DEFERTO. QUÆSTORQUE. QUEI. ÆRARIUM. PROVINCIAM. OPTINEBIT. EAM. PECUNIAM. EI. SCRIBÆ. SCRIBEISQUE. HEREDIVE. EIUS. SOLVITO. IDQUE. EI. SINE. FRAUDE. SUA. FACERE. LICETO. QUOD SINE. MALO. PEQULATU. FIAT. OL-

LEIS-

LEISQUE. HOMINIBUS. EAM. PECUNIAM. CAPERE. LICETO

Cùm autem hi Scribæ ſæpius cum Patronis ſuis in provincias ire cogerentur, (nam in comitatu Præſidum in provincias euntium, omes illi adjutores, miniſtri, comiteſque erant, quos cum uſus, ratioque provinciæ, tum dignitas ipſa magiſtratuum ac reipublicæ poſtulavit, v. g. Legati, Tribuni Militum, Centuriones, Præfecti, Decuriones, aliique militarium operum, rationumque adjutores atque miniſtri: præterea verò Scribæ, accenſi, præcones, lictores, interpretes, tabellarii, aruſpices, cubicularii, medici, & contubernales &c.) inde ſæpius decuriæ iſtæ à Scribis vendebantur, ab aliis verò emebantur, quâ de re rurſus *Reineſius* Epiſtola citatâ. Talis emtionis meminit *Cicero* in Varum: *Ad eos*, inquit, *me Scribas revoca, ſi placet; noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum bonis, ac de ſcenicorum corollariis, cùm decuriam emerunt, ex primo ordine exploſorum in ſecundum ordi-*

ordinem civitatis ſe veniſſe dicunt. Eos Scribas tecum diſceptatores hujus criminis habebo, qui iſtos Scribas eſſe moleſtè ferunt. Tametſi cum in eo ordine videamus eſſe multos non idoneos, qui ordo induſtriæ propoſitus eſt, & dignitati, mirabimur turpes aliquot in eo eſſe, quo cuivis licet precio pervenire. Jus autem Scribas in decurias legendi præcipuè penes Prætores, Quæſtores, ac Ædiles fuiſſe indicat Sigonius, & quidem ex Ciceronis Cluentiana, ubi hæc occurrunt: " Nuper hominem tenuem ſcribam ædilicium, D. Matrinium, cùm defendiſſem apud M. Junium, Q. Publicium Prætores & M. Plætorium, C. Flaminium ædiles curules, perſuaſi, ut ſcribam jurati legerent eum, quem iidem iſti Cenſores ærarium reliquiſſent." Affinia his habet Livius. Lib. XL. Q. Petillius Prætor Urbanus eos libros à L. Petillio ſcriba ſumſit. & erat familiaris uſus, quòd ſcribam eum, quæſtor Q. Petillius in decuriam legerat.

§ XI. Officia Scribarum Publicorum præcipuè hæc erant: (1) Apparere Magiſtratibus, quod præter illa

la, quæ jam adduximus, confirmat etiam locus Plutarchi in Catone, qui in Latinam linguam tranſlatus, ſic ſonat: *Cato cùm quæſturam iniſſet, miniſtros & ſcribas coërcuit, qui publicas tabulas legeſque tractantes, cùm adoleſcentes nacti eſſent, quibus magiſtratibus apparerent, quòd ii propter inſcientiam magiſtris egerent, poteſtate non cedebant, ſed ipſi erant magiſtratus. Eos verò Cato apparitorum loco, ut erant, tractavit: cùm alios fraudis, alios inſcitiæ inſimularet.* (2) Omnia ea, quæ magiſtratus è ſcripto volebat publicata, publicè populo prælegere & præconi ſubjicere edicenda. De quo *Philippus Beroaldus* in libr. IX. Apuleji. (3) Quæ publicabantur è geſtis, & in ea referebantur, conſignabant, excipiebant & tabulis inſerebant, unde *Iſidorus*. l. c. Tabelliones eos dictos ſcribit, quòd ea, quæ geſtis publicabantur, ſcribebant. (4) Pericula Magiſtratuum illis commiſſa erant, quod Cicero l. c. teſtatur: *Eſt verò honeſtus ordo, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magiſtratuum committuntur.* Quid autem per Pericula Magiſtratuum hîc intelligatur, explicat Barthius: Quod

 his

his verbis, inquit, Cicero dicit pericula magiſtratuum ſcribis commiſſa, docet, quæ inſtrumenta, contractus, conventiones, pacta, aut ultimæ voluntates, aliave talia, publicæ fidei credita forent, apud Scribas fuiſſe depoſita. (5) Leges quodammodo in manibus habebant & ex iis magiſtratibus jus ſuggerebant, quod ex *Ciceronis* loco Lib. III. de legibus colligi poteſt: *Animadverto quoque in magiſtratibus ignoratione juris ſui tantum ſapere, quantum Apparitores velint*, quod manifeſtius indicat Plutarchus in Catone: *Cato*, inquit, *cùm quæſturam iniſſet, miniſtros, & ſcribas coërcuit, qui publicas tabulas, legeſque tractantes, cùm adoleſcentes nacti eſſent, quibus magiſtratibus apparerent, quòd ii propter inſcientiam magiſtris egerent, poteſtate non cedebant, ſed ipſi erant magiſtratus. Eos verò Cato apparitorum loco, ut erant, tractavit.* Elegantiſſimus denique eſt Caſſiodori Locus, quo Scribas hos Publicos condecorat lib. XII. Variarum, *Scribarum*, inquit, *officium ſecuritas ſolet eſſe cunctorum: quoniam jus omnium ejus ſollicitudine cuſtoditur: alios enim depopulantur incendia, alios nudat furtiva ſurreptio, nonnullis negligentiâ*

gentiâ perit quod diligens auctor acquirit: Sed de fide publicâ robuſtiſſimè reparatur, quicquid à privatis amittitur. Armarium ejus Fortuna cunctorum eſt, & meritò refugium omnium dicitur, ubi univerſorum ſecuritas invenitur.

§ XII. Hæc & alia officia, ardua licet ſatis, quamvis obierint, nihilominus tamen primis illis temporibus, ſtante adhuc republica, non in magna auctoritate erat Scribarum ordo, Tribunorum enim ærarii ordini, quibus, ut *Varro* ait, attributa erat pecunia, ut militi redderent, poſtponebatur, & quemadmodum Tribuni ærarii ita etiam Scribæ è plebe fuerunt, quin libertos quoque ſcribarum munus obiiſſe (quamvis rariùs id acciderit) patet ex eô, quòd Cicero M. Tullio liberto ſuô ſcribâ uſus eſt. Unde etiam Nepos in Eumene ſcribarum munus multò apud Græcos honorificentius fuiſſe quàm apud Romanos ſcribit, verba ejus hæc ſunt: *Itaque eum habuit ad manum, ſcribæ loco, quod multò apud Græcos honorificentius eſt quàm apud Romanos. Nam apud nos revera ſicut ſunt, mercenarii ſcribæ exiſtimantur.* Omnium

autem viliſſimus erat *Navalis* Scriba quod Feſtus indicat: *Navalis* ait, *ſcriba, qui in nave apparebat, inter aliud genus ſcribarum minimæ dignitatis habebatur, quod periculis quoque ejus miniſterium eſt objectum.* Quæ verba Barthius ita interpretatur: Cum omnes ſcribæ non ſint magnæ exiſtimationis antiquorum moribus, nimirum diſtincti eâ ab officiis quique ſuis, minimi tamen illi meritò habentur, qui miniſterium illud ſuum etiam cum mortis periculo faceſſunt, operam ſcilicet ſuam locantes in naves; claſſibus putà peregrè belli aut negotiationis gratiâ euntibus. Qui etiam ex Jacobi Cujacii Commentariolo ad Pomponium de Origine Juris, oſtendere conatur neminem ex ſcribarum ordine in Senatum legi potuiſſe.

§ XIII. Neque tamen inter contemtos aut abjectos homines reputabantur, nam & ordo illorum *honeſtus* erat, quod *Cicero V.* in Verrem teſtatur, *Eſt verò*, inquit, *honeſtus ordo, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magiſtratuum committuntur*; Et honorificè de iis loquitur

in

in Oratione pro domo ſuâ quando dicit: *Scribæ, qui nobiſcum in rationibus, monumentisque publicis verſantur, non obſcurum de meis in rempubl. beneficiis ſuum judicium decretumque eſſe voluerunt. Barthius* etiam Adverſar. lib. L. in Inſcriptionibus ſe legiſſe teſtatur, ſcribarum titulis additam vocem HON. quæ honeſtam talium hominum opinionem indicaret. Adducit etiam in hanc rem ex Wolffgangi Lazii Commentar. Reip. Romanæ. lib. V. cap. XVII. hoc monumentum: D. M M. ATINIO. AEL. F. PAL. PATERNO. SCRIBÆ. ÆDILI. CURULI. HON. USUS. AB. IMP. EQUO. PUBLICO. HONOR. PRÆT. CON. II. BRACHAR. AUGUSTAN. TRIB. MIL. LEG. X. Ex *Ingenuis* quoque illorum Ordinem partem conſtitiſſe, confirmat *Carol.* Sigonius. Lib. II. de Antiquo Jure Civ. Rom. Cap. XV. *Scribas*, inquit, *ex hoc numero exemimus; non quod non apparitorum numero fuerint, ſed quod eorum ordinem ex ingenuis potius, quam ex libertinis conſtitiſſe animadvertimus. Si quidem & antiquus ille ſcriba Pontificum Cn. Flavius non libertinus fuit, ſed libertini filius*

us, & Cicerejus Scriba Scipionis, Prætor legi non potuiſſet, niſi ingenuus fuiſſet. Neque etiam ſtante rep. Magiſtratus ulli libertinorum ordini patuerunt. Neque etiam *aditum* omnem *ad honores* illis intercluſum fuiſſe, ex dictis apparet; de hoc enim Cicerejo, Scipionis Africani ſcribâ *Valerius* teſtatur, eum, cum in campum Africani filium candidatum prætoriis Comitiis deduxiſſet, ſeque omnibus centuriis Scipioni anteferri vidiſſet, è templo deſcendiſſe, abjectâque candidâ togâ competitoris ſui ſuffragatorem agere cœpiſſe, ut ſcilicet Præturam meliùs Africani memoriæ concederet, quàm ſibi vendicaret. Quin, ſi magnis Viris fidem habemus, ab his aliisque talibus indivulſis ſummatum magiſtratuum Comitibus. ἐξ ὅπερ ἡ Ῥωμαίων δυναστεία μετέπεσεν εἰς μοναρχίαν, prognati tandem ſunt, cùm præmiorum loco certis poſtea terris donarentur, & ab iis titulos caperent, quos hodiè Honoris titulo *Comites* appellamus.

§. XIV. Sed, ne ultra terminos huic diſſertationi præfixos, excurramus, hic calamum figimus, longè enim

enim diverſam & honoratiorem ſortem Scribarum ſub Imperatoribus, maximè verò Græcis, fuiſſe nemini ignotum eſſe poterit, qui varias Imperii Notitias aliaque hujus farinæ ſcripta diligens evolverit. Quos verò honores obtineant, quibusque in dignitatibus hodiè jure ſuo verſentur Scribæ, imprimis Publici ob inſignia in omnes reſpublicas merita, quamque longè meliùs illorum grata in ſuos officia agnoſcant hodierni rerum publicarum moderatores quàm ſuperbi olim Quirites, quibus omne ferè literarum opus ſervile erat, notius eſt, quàm ut hîc demonſtrari debeat. Nobis igitur hac vice de Scribis Veterum Romanorum hæc dixiſſe ſufficiat.

X I I.

PRÆCIPUAS VETERUM CHRITICORUM ΣΗΜΕΙΩΣΕΙΣ

AVSPICIIS DIVINIS

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTET

PRÆSES

M. ANDREAS CHRISTIANUS ESCHENBACH,

P. L. C.

NORIBERGENSIS

RESPONDENTE

AUGUSTO FELBAUM

UTHINO HOLSATO

ANNO CIↃ IↃC LXXXVII.

XIV. KL. IVL.

ESSCHENBACHII

ΣΗΜΕΙΩΣΕΙΣ

VETERUM

CRITICORUM.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

CAP. I.

§. 1.

Illam Grammaticæ partem, cui poſt τεχνικὴν ſive μεθοδικὴν & ἐξηγητικὴν tertium & ultimum locum aſſignant eruditi, κριτικὴν, primas & nobiliſſimas jure ſuo partes occupare, nemo facilè erit, qui id in dubium vocabit: cùm enim duæ illæ alteræ partes *Lectione* & *Enarratione* potiſſimùm contentæ ſint, quarum *illa*, ſecundum Varronem apud *Diomeden* Lib. II. eſt artificialis interpretatio, vel varia cujuſque ſcripti enunciatio; ſerviens dignitati perſonarum, exprimenſque animi habitum cujuſque: *hæc*, Enarratio eſt obſcurorum ſenſuum quæſtionumve explanatio vel exquiſitio, per quam unius cujuſque rei qualitatem poëticis gloſſis exſolvimus: Hæc noſtra, *Critica*, tantum utilitate & dignitate illis præſtat, ut hâc ſublatâ & Technicus hæreat in legendo, & ἐξηγητὴς nihil ſæpè præterquam chimæras explica-

re

re tentet. Præter enim duas iſtas partes, lectionem & enarrationem, Criticus alias duas aſſumit, propriaſque ſibi quaſi reddit, *Judicium* & *Emendationem*; quarum partium ope velut cenſor quidam de Auctoribus judicat, ſua cuique opera vindicat, vera & germana à ſuppoſititiis diſcernit, omniumque ſcriptorum quaſi quendam cenſum agit: ex variantibus lectionibus optimas & maximè congruentes ſeligit, ſpurias & adulterinas rejicit, textum purgat, &, quantum in eo eſt, Auctores nobis eorumque verba & ſenſus genuino nitori ſuo reſtituit. Unde *Sextus Philoſophus* haud incongruè κριτικὴν ἰδιαίτερον τὸ μέρος τῆς γραμματικῆς, dicit, κατὰ τὸ τοὺς ποιητὰς καὶ συγγραφεῖς ἐπισκοποῦσι, καθὸ τὰ ἀσαφῶς λεγόμενα ἐξηγοῦνται. τάτε ὑγιῆ καὶ τὰ μὴ τοιαῦτα κρίνουσι, τάτε γνήσια ἀπὸ τῶν νόθων διορίζουσιν. i. e. *Præcipuam & propriam Grammaticæ partem, qua conſiderant Poëtas alioſque ſcriptores, quatenus explicant obſcure ab iis dicta, & quæ bona & ſana apud ipſos ſint, quæ non, judicant, & vera ac germana ab adulterinis diſtinguunt.*

§ II. Ex quibus facile apparet, non quoſvis ex trivio homines aut vervecum in patria natos ad hæc ſacra aptos & idoneos eſſe, ſed requiri in iis, qui memorabile nomen inter Criticos obtinere cupiunt, præter ingenii bonitatem, indefeſſam quoque & aſſiduam omnis generis ſcriptorum evolutionem, omnium ſcientiarum & diſciplinarum haud levem cognitionem, & πᾶν τὸ ἐπιςητὸν accuratè judicandi facultatem, uno verbo: Omnem eruditionem, velut ſupra laudatus Sextus dicebat, teſte *Voſſio* de Arte Grammatica lib. I. c. VI. proinde acutè *Heinſius* in Ariſtarcho: *Quemadmodum*, inquit, *populus una eſt civitas, ex multis militibus unus ſit exercitus, ita ex diſciplinis omnibus conjunctim una eruditio.* Quâ, ſi quiſquam alius, Criticus certè excellere debet, id quod veriſſimè indicat ipſe accuratiſſimus Criticus *Paulus Merula* in præfat. ad Lectorem Ennii ſui, quando dicit: *Vix eſt, ut Critici in aliis etiam non excelleant. Sunt ſummi ſæpè Juriſconſulti, ſunt præſtantiſſimi plurimùm Hiſtorici, ſunt inſignes aliquando Philoſophi, ab Theologiæ ſecretis minimè abhorrent. Medicorum præ-*

præcepta nequàquam ab iis ignorantur. Pervolitant & pervolutant omnia.

§ III. Nec, opinor, operoſâ probatione indigebunt verba noſtra, ſi excellentiſſima illa ingenia, quæ & olim & hodienum ad ſublime Philologiæ, i. e. ſolidæ eruditionis faſtigium, divinitas indolis evexit, reſpiciamus, quorum ſanè nullum extitit, quod non & in his ſacris egregiè operam navaverit, & quaſi terminum laudum ſuarum in illis quæſiverit. Et, quamvis bellicoſi olim Quirites ſervulis ferè ſuis hæc & univerſæ Philologiæ ſtudia excolenda reliquerint, ſervilibuſque capitibus tantùm digna exiſtimarint, ad eam tamen dignitatem lapſu temporum evecta ſunt, ut M. Cicero, referente *Tranquillo*, M. Antonii Gniphonis Grammatici Scholam, etiam cùm præturâ fungeretur, frequentaverit. Certè M. Terentii Varronis, at quant viri! præcipuum fuit ſtudium Criticum, ut M. Tullius, amicus ipſius, de eo teſtatur. Sed ut nunc nihil dicam de antiquis illis, tàm Græcis quàm Latinis Criticis, qui ſibi immortale decus his ſtudiis peperere, Apollodoro ſcili-

ſcilicet, qui, teſte *Clemente Alexandrino* Stromat. I. πρῶτος τοῦ κριτικοῦ ἐσηγήσατο τὸν ὄνομα καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη, Eratoſthene, Ariſtotele, Ariſtarcho & aliis, quos magno numero collegit Varro ſui ſeculi (ut eum appellat *Reineſius* lib. III. Var. Lect. c. I.) *Johannes à Wower* in incomparabili ſuo opere de Polymathia: neque etiam eos attingam, qui hodienum inter eruditos tanquam inter ſtellas Luna minores radiant; illos tantùm aſpiciamus, quos avorum noſtrorum memoriâ orbis adoravit, & videbimus, nulli eorum ſolidæ & perfectæ eruditionis quicquam defuiſſe, ex quibus nominare hic licebit: Angelum Politianum, Philippum Beroaldum, Eraſmum Roterodamum, Joach. Camerarium, Beatum Rhenanum, Johannem Rivium, Georgium Fabricium, J. C. Scaligerum, M. Antonium Muretum, Petrum Nonium, Joh. Brodæum, Hieronym. Magium, Hieron. Mercurialem, P. Leopardum, Adrianum Turnebum, Petrum Victorium, Antonium Auguſtinum Tarraconenſem Epiſcopum, Jacob. Cujacium, Barnabam Briſſonium, Franciſcum Hotoman-

tomannum, Guilielmum Canterum, Theodorum Canterum, Hadrian. Junium, Jacobum Rævardum, Franc. Nanſium, Victorem Giſelinum, Dionyſ. Lambinum, Joh. Auratum, Aldum, Paulum & Aldum Aldi Nep. Manutios Ludovicum Carrionem, Petrum & Franciſcum Pithœos, Petrum & Nicolaum Fabros. Joſeph. Scaligerum, Hubertum Gip anium, Lucam Fruterium, Juſt. Lipſium, Theodor. Pulmannum, Carol. Sigonium, Steph. Pighium, Marcum Velſerum, Simeonem Boſium, Guilielmum Fornerium, Franciſcum Juretum, Joh. Paſſeratium, Jacob. Bongarſium, Jacob. Durantium, Petrum Daniel, Jacob. Lectium, Godeſcalcum Stewechium, Petrum Calvium, Franciſc. Modium, Marc. Anton. Del-Rio. Janum Gruterum, Cunradum Rittershuſium, Marquard. Freherum, Scipionem Gentilem, Lævinum Torrentium, Jacob. Scheckium, Paulum Merulam, Franciſcum Junium, Jacob. Pamelium, Petrum Ciacconium, Andream Schottum, Janum Druſium, Iſaacum Caſaubonum, Jacob. Cruqui-

um

um. Jan. Mellerum Palmerium, Jan. Guilielmium, Janum Douzam, P. Jan. Douzam, F. Frideric. Silburgium, Joſiam Mercerum, Bonaventuram Vulcanium, Titum à Poppma, Valentem Acidalium, Joh. à Wower, Hieronymum Columnam, Herculem Cioxanum, Fulvium Urſinum, David. Hœſchelium &c.

§ IV. Sed, ut ad antiquos illos redeamus: dolendum ſanè eſt, tot egregia & immortalitate omnino digna antiquorum Criticorum monumenta ſævam barbariei rabiem, fatalemque interitûs terminum effugere non potuiſſe; unde factum eſt, ut hodiè nihil, vel certè parum ex illis ſuperſit, adeò ut nunc ad exiguas veterum Criticorum reliquias intelligendas, novo Criticorum recentiorum judicio opus ſit, quin, niſi alii præſtantes ingenio viri fuiſſent, ipſum etiam modum, quo in judicando atque emendando procedebant antiqui, penitùs ignoraremus. Exemplo nobis modò ſint (ut de reliquis nihil dicamus) Notæ iſtæ & Σημειώσεις veterum Criticorum, quibus indicabant quid de hoc vel illo loco alicujus auctoris ſentirent;

rent: quotusquiſque quæſo noſtrûm illorum occultum intellectum & reconditum ſenſum intelligeret, niſi illum Epiphanius, Hieronymus, Iſidorus & pauci alii, & hi obiter tantùm, in ſuis ſcriptis quaſi è longinquo oſtenderent, & nil niſi conjecturas noſtras in chimæris iſtis eruendis exercerent? Quamobrem haud pauci ex eruditis hanc materiam non ſine ſucceſſu & magnâ cum laude tractandam aggreſſi ſunt. Quorum etiam exemplo animatus, haud omninò vanum ratus ſum, Præcipuas veterum Criticorum Σημειώσεις diſſertationis alicujus Academicæ materiam eligere, & quæ ego de iis in variis eruditorum monumentis obſervavi, placidæ & amicæ συμφιλολογούντων diſquiſitioni ſubmittere, nunquam me pertinacitèr & ad faſtidium uſque oppoſiturus meliora monentibus.

CAP. II.

§ I.

Vocem *Nota*, à ſupino *notum* derivat Voſſius. *Nam*, inquit, *eò rem*

no-

notamus, ut è nota ſua cognoſcamus. Unde etiam Notæ ſpeciatim olim dictæ compendia τῶν ταχυγράφων, qui indè *Notarii* dicebantur. Cùm enim varia apud antiquos ſcribendi ratio fuerit; Alia quæ verbis integris rem exprimebat; Alia quæ per literas ſingulas: Tertia tandem erat, quâ certis Notis & Characteribus, à communi ſcribendi modo alienis, animi ſui ſenſa alter alteri exprimebat, unde etiam illa ſcribendi ratio διὰ σημείων appellabatur, de quibus *Plutarchus* in Catone: σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα. *Signa ſive notæ parvis & exiguis figuris plurium literarum vim habentes.* Et hæc διὰ σημείων ſcribendi ratio, duplici potiſſimùm fini uſurpata, ad *obſcuritatem*, ſcilicet in iis, quæ alios celare volumus, & εἰς τάχος. De illo *Cicero* ad Atticum: *Quæ ad te de legatis ſcripſi, parum intellexiſti, quia διὰ σημείων ſcripſeram.* Et *Suetonius* in J. Cæſare: *Exſtant Epiſtolæ ejus ad Familiares domeſticis de rebus, In quibus, ſi qua occultius quædam perferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt ſtructo literarum ordine, ut nullum verbum effici poſſet. Quæ ſi quis inveſti-*

ſtigare & perſequi vellet, quartam elementorum literam D. pro A. & perinde reliquas commutet. Idem in Auguſto: *Quoties per notam ſcribit: B. pro A. C. pro B. ac deinde eâdem ratione ſequentes literas ponit.* Vid. *Dio.* lib. XL. & XLI. *Iſidorus* Orig. lib. I. c. XXIV. *Gellius* lib. XVII. c. IX. ubi Probi Grammatici commentarios laudat, de occultâ literarum ſignificatione Epiſtol. C. Cæſaris ſcriptarum, & Lacedæmoniorum σκυτάλην, Aſdrubalis & Hiſtiæi furtivam rationem ſcribendi explicat. De hoc verò *Galenus* περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων: διὰ σημείων ἐις τάχος ἠσκημένῳ γράφειν. *Baſilius* Epiſt. ad Diodorum: ἐις τάχος γράφοντες. Et ipſi Notarii antiquitus erant οἱ γράφοντες ἐις τάχος διὰ σημείων. Unde *Hieronymus* ad Julianum: *apposito Notario cogebat loqui, quæ velociter edita vox conſequeretur manus, & linguæ celeritatem prenderent ſigna verborum.* Confer *Auſonium* Epigrammat. CXXXVIII. ad Notarium velociſſimè excipientem. *Auguſtin* de Doctrinâ Chriſt. lib. II. c. XXVI. *Ex eo genere ſunt etiam Notæ, quas, qui didicerunt, propriè jam Notarii appellantur.* Sic in *Tranquilli* vitâ Auguſti

c. LXIV.

c.LXIV. ubi legitur: *Nepotes & literas & notare, aliaque rudimenta per ſe plerumque docuit:* ex ipſo Suetonii contextu ævi ſui miraculum *J. Lipſius* Cent. I. Epiſt. XXVII. ad Belgas, ita emendat: *Nepotes & literas & notare aliaque rudimenta per ſe plerumque docuit.* Non tamen illi opinioni aſſentior, quæ *Notariam*, cujus mentio fit apud *Auguſtinum* Epiſt. CXL. & *Apuleium* Mileſior. VI. per brevem aut compendiariam ſcriptionem interpretatur; ſed potius Notoriam cum celeberrimo Wowero interpretor, quâ crimina ſive rei deferuntur, quæ Græcis Μήνυσις dicitur. vid *Senecam* Epiſt. XXXIX. conf. L. VII. *C. de accuſ* & L. V. D. *ad S Ctum.* Noſtri autem, de quibus agimus Notarii dicebantur etiam *Exceptores*, ideò quòd plerumque verba ex aliorum ore ſtilo excipiebant, Vetus lapis:

L. AVRELIO
MARCIANO. AUG
LIB. EXCEPTORI

 His

His ταχυγράφοις opponebantur οἱ γράφοντες εἰς κάλλος. *Euſebius* Hiſtor. Eccleſ. lib. VI. c. XXIII. de Origene loquens: Ταχυγράφοι γὰρ αὐτῷ πλείους ἢ ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν παρῆσαν ὑπαγορεύοντι χρόνοις τεταγμένοις ἀλλήλους ἀμείβοντες. βιβλιογράφοι τε οὐχ ἧττους ἅμα καὶ κόραις ἐπὶ τὸ καλλιγραφεῖν ἠσκημέναις. Ita hæc verba habentur in editione Henr. Valeſii, in aliis enim nonnullis exemplaribus aliter paulò concipiuntur. i. e. *Plures quam ſeptem notarii ſtatis temporibus vices ſuas alternantes dictanti aderant. Nec pauciores librarii cum puellis ad eleganter ſcribendum exercitatis.* Ex quo loco illud etiam apparet τοὺς γράφοντας εἰς κάλλος, βιβλιογράφους etiam appellatos fuiſſe, quos Latini *Librarios*, nonnunquam etiam *Antiquarios*, vocabant. Notarii ergò munus erat ut exciperet εἰς τάχος, Librarii verò, ut redigeret εἰς κάλλος. εἰς τάχος itaque plerumque ſcribebant διὰ σημείων vel Notis, ut verba dictantis, manus ſcribentis promtè aſſequeretur, & ταχυγράφος ſec. *Manilium* lib. IV.

Scriptor erit velox, cui litera verbum eſt,

Que-

Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.

Et ſecundum *Martialem:*

Currant verba licet, manus eſt velocior illis,
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus

Has præterea Notas, & quæcunque alia ſcribendi compendia Imp. Juſtinianum *Sigla* appellaſſe, contra Cujacium cenſet *Voſſius*. Juſtiniani verba in Epiſt. de Digeſtorum confirmatione hæc ſunt: *Eandem pœnam falſitatis conſtituimus, & adverſus eos, qui imposterum leges noſtras per Siglorum obſcuritates auſi fuerint conſcribere. Omnia enim, id eſt & nomina Prudentium, & titulos, & librorum numeros, per conſequentiam literarum volumus, non per ſigla manifeſtari, ita ut qui talem librum ſibi paraverit, in quo ſigla poſita ſunt, ſciat inutilis ſe eſſe codicis dominum &c.* Ad hæc verba Voſſius: *Puto ſiglorum voce complexum Juſtinianum quæcunque ſcribendi compendia: ſive literis ſingularibus, ſive aliis figuris exprimerentur. Nec ſigla dici cenſeo*

ſeo quaſi ſingula, ſed quaſi ſigilla, hoc eſt parva ſigna. Nam & Græcè vocantur σημεῖα *unde* σημειογράφοι. Σημεῖα *autem quid aliud ſunt, quam ſive ſigna ſive notæ? Quare idem erunt notæ ac ſigla, ſiglarii & notarii.* Harum autem notarum inventio variis adſcribitur. *Dio.* lib. L V. *Mæcenatem* earum inventorem ait: laudat enim eum ὅτι πρῶτος σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε. *Iſidorus* lib. I. cap. XXI. ab *Ennio* & *libertis Mæcenatis Tulliique* inventas dicit, de Ennio: *Ennius primus mille & centum invenit vulgares notas* Ubi tamen notandum Lipſium malle Vulgares notas. *Perſannius* primus mille & centum invenit de reliquis ita: *Romæ primus Tullius Tiro, Ciceronis libertus commentus eſt notas: ſed tantùm præpoſitionum. Poſt eum Perſannius Philargyrus & Aquila Mæcenatis libertus alius alias addiderunt: deinde Seneca contracto omnium digeſtoque numero & aucto, opus effecit in quinque millia. Euſebius* etiam in Chronicis *Tironi Tullii* liberto harum notarum inventionem adſcribit. lib. LV. Act. ann. DCCXLVI. *Xenophon* ex Græcis primum notis ſcripſiſſe perhibetur à *Diogene Laërtio* in

ejus

ejus vitâ. Verba hæc ſunt: καὶ πρῶτος ὑποσημειωσάμενος τα λεγόμενα ἐις ἀνθρώπους ἤγαγεν

§ II. Celebres etiam apud Antiquos erant *notæ Cenſoriæ*, de quibus *Livius* lib. XXXIX. *Patrum memoriâ*, inquit *inſtitutum erat, ut Cenſores motis è ſenatu adſcriberent notas. Unde Catonis & aliorum orationes feruntur editæ in eos, quos aut Senatorio loco moverant, aut quibus equos ademerant.* Itaque *notam adſcribere* nihil aliud fuit, quàm cauſam infamem & ignominioſam in præteritum aliquem, (ſeu, qui in recenſendò ſenatu a Cenſore præteriebatur, ita enim *Feſtus* Præteritos interpretatur) edere. Iſtæ autem Notæ Cenſoriæ triplices potiſſimùm erant, vel enim eos, quos notabant *ærarios faciebant*, vel *tribu movebant*, vel *in Cæritum tabulas referebant.* Ex his gravior erat nota ærarium fieri, talis enim nullum aliud jus civitatis in Centuriâ, atque adeò in tribu retinebat, quàm ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet, ita, ut qui ærarius factus eſſet, is non ſolùm ſuffragio Urbano, ſed etiam ſtipendiis militaribus ſpoliatus eſſet. vid. *Livium* in princip.

 lib.

lib VII. Minor autem nota erat, referri in Tabb. Cæritum, nam nullâ aliâ pœnâ hi afficiebantur, quàm quòd ſuffragandi munere privabantur ut *Gellius* teſtatur lib. XVI. c. XIII. vid. *Horat.* lib. I. Epiſt. VI. *Crinitum* de Honeſtâ diſciplinâ lib. VII. c. VI. Tertia adhuc minor nota erat, tribu moveri; movebantur autem tribu, qui ex honeſtiore in minus honeſtam migrare jubebantur ob ignominiam & reatus alicujus pœnam, quod clarè docet *Livius* lib. XXV. Id autem præſertim fiebat, quum ex Ruſticâ tribu in Urbanam motus pertranſire quis cogebatur. vid. *Plinium* lib. XVIII. cap. III.

§ III. Ab his hactenus enumeratis differunt rurſus noſtræ *Criticorum Notæ*, de quibus nunc nobis ſermo erit. Erant autem iſtæ notæ ad marginem ſcriptorum codicum appictæ à Criticis, quibus indicabant, quid de hoc vel illo Auctoris loco, verbo, Phraſi, ſententiâ &c. judicarent. Ex quâ obſervationum & judiciorum diverſitate, excogitarunt quilibet ſua ſigna, quæ vel laudis vel culpæ indices eſſent: alia locum dubium, alia corruptum, alia falſum, alia emen-

emendatum, alia trajectum, alia inſultum, alia rejiculum, alia ab alio auctore acceptum ſignificarent. Græcis hæc ſigna dicebantur σημεῖα & σημειώσεις; ſed de priori voce jam ſuperius quædam attulimus. Poſterior varias quoque habet acceptiones; modò enim ſignificat *Adnotationem* Sic *Euſebius* lib. V. c. XX. adnotationem, quam Irenæus ſuâ manu appoſuerat ad finem libri ſui περὶ ὀγδοάδος, χαριεστάτην σημείωσιν vocat. Σημειώσεις quoque inſcribebantur libri *Origenis*, quos in Leviticum & Numeros ſcripſerat, ex quibus unicum hodiè fragmentum ſupereſt in cap. XXVI. Philocaliæ, ἐκ τῶν εἰς τὴν ἔξοδον σημειώσεων. Interdum hæc vox idem ſignificat quod σχόλιον, & pro varietate illius vocis varias rurſus ſignificationes induit: veteres Græci σχόλια vocabant breves quaſdam adnotationes, quæ ab ἐξηγητικοῖς diſtinguuntur; nam ἐξηγητικοὶ uberiores ſunt & fuſiores & univerſum ſcriptoris opus exponunt; Scholia verò ad ſingulorum verborum aut unius ſententiæ expoſitionem apponuntur: & in hunc ſenſum σημειώσεις dicebatur tertium opus Origenis in
S.

S. Scripturam, quam vocem *Hieronymus Excerpta* latinè dici poſſe ſcribit, *Rufinus* verò *Subnotationes* vertit. Scholia quoque interdum dicebantur *breves expoſitiones obſcuriorum vocum ac ſententiarum*. Ita *Cyrilli* Scholia de Incarnatione Unigeniti hodiè circumferuntur. Hujusmodi etiam fuere Scholiorum libri Centum ab *Amelio Philoſopho* compoſiti, quorum meminit *Porphyrius* in Plotini vita. Denique Scholion nonnunquam dicitur *locus ex aliquo ſcripto excerptus*. Sic ap. *Epiphanium* in Hæreſi Marcionitarum pag. 322. αὐλή μὲν τῆς προειρημένης ὑμῶν ὑποθέσεως ἡ σχολιοποιηθεῖσα σύντομος ὑπομνηματική ἐξ ἀντιγράφων τοῦ μαρκιῶνος σύνταξις πρὸς ἔπος. Sequitur poſteà σχόλιον ἀπὸ τοῦ εὐαγγελίου τοῦ παρὰ μαρκίωνι. Et in hoc ſignificatu σημειώσεως vocem accipi apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. lib. VI. c. XVI. contendit *Valeſius* in Annotationibus ad hunc Euſebii locum.

§ IV. Quoniam autem in tanto doctorum virorum numero hic hos, ille alios, ſæpè etiam multi unum eundemque auctorem ad manus ſumebant, & quilibet ſuum judicium in illo exercebat, allinitisque ad mar-

ginem

ginem ſignis & notis pro arbitrio ſuo uſurpatis, ſententiam ſuam exprimebat, facilè apparet, varietatem illarum notarum penè infinitam fuiſſe. Quæ etiam varietas notarum magnum laborem peperit ipſis jam antiquis, dum quid hic vel ille cum hac vel illâ notâ indicare vellet, perſcrutari allaborarunt, unde memorantur adhuc variorum commentarii de iſtis σημειώσεσι: *Philoxeni* περὶ σημείων τῶν ἐν ἰλιάδι; *Ariſtonici* περὶ σημείων ἐν τῇ θεογονίᾳ ἡσιόδȣ; *Nicanoris* περὶ ςιγμῶν. De notis, quæ in Hippocratis libris occurrunt, *Zenon Herophileus* & *Apollonius Biblas*, quem alii *Cyclada* dicunt, ingentia volumina ediderunt: Quin & alii propter frequentes notas mirè ſeſe in Hippocratis textu enucleando (inter quos etiam *Galenus*) torſerunt, quod ex Galeni Comment. II. in Hippocratis lib. III. ἐπιδημιῶν, ſive de morbis vulgaribus intelligi poteſt. De notis, quas ſacris libris adſcripſerat Origenes, *Epihanius*, *Iſidorus* & alii. De omnibus autem indifferenter ſcripſiſſe *Diogenem Cyzicenum* περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων, *Suidas* auctor eſt, qui etiam in Catalogo librorum

Sue-

Suetonii aſſerit illum περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων commmentarios reliquiſſe. Sed & *Hephæſtion* integrum caput περὶ σημείων ſcriptis ſuis inſeruit. Nos in præſenti diſſertatione ex illis, quæ de his Notis hinc inde obſervavimus præcipua tantùm in medium afferemus, omnia enim huic diſcurſui includere impoſſibile foret; & præterea etiam pleraque ipſam MSS codicum (Græcorum imprimis, ut pote in quibus plurima talia σημεῖα hodienum ſuperſunt) accuratiorem inſpectionem requirerent, qualem quidem hactenus fortuna mihi nondum conceſſit.

§ V. Celebratiſſima inter has notas omni ferè ævo, & ab utrisque ſcriptoribus, ſacris & profanis, crebrò adhibita fuit illa, quam *Obelum* vocant. *Auſonius* ludo VII. Sapientum:

Mæonio qualem cultum quæſivit Homero
Cenſor Ariſtarchus, normaque Zenodoti.
Pone Obelos igitur, ſpuriorum ſtigmata vatum,
Palmas non culpas eſſe putabo meas.

Ὀβε-

Ὀβελὸς autem, ὁ, ȣ, *veru* notat, & forma ejus ita plerumque exprimebatur — adhibebaturque potiſſimùm πρὸς τὴν ἀθέτησιν, ſeu abrogationem alicujus loci vel verbi in auctore quodam occurrentis. Ita enim *Iſidorus: Obelus, i. e. virgula jacens, apponitur in verbis aut ſententiis ſuperfluè iteratis, ſive ubi lectio aliqua falſitate notata eſt, ut quaſi ſagitta jugulet ſupervacua & falſa confodiat.* Et *Galenus* ὑπομνήμ. β. de Dioſcoride, εἰς τὸ περὶ φύσιος ἀνθρώπȣ. ταύτης ὅλης ῥήσεως ἑκάστȣ στίχȣ Διοσκȣρίδης προέγραψε σημεῖον, ὃ καλȣ͂σιν ὀβελόν· οἵῳ σημείῳ καὶ Ἀρίσταρχος ἐχρήσατο παρὰ τῷ ποιητῇ πρὸς τȣ̀ς ὑποπτευομένȣς ὑπ' αὐτȣ͂ στίχȣς. Unde etiam hæc nota ab aliis δορὺ appellata, teſte *Epiphanio* περὶ μέτρων. ὀβελὸς κατὰ τὴν Ἀττικὴν χρῆσιν ἄλλοις ᾗ καλεῖται δορύ, ὅ ἐστι λόγχη. ῥάβδος item dicebatur. *Heſychius:* ῥάβδοι, ὀβελοὶ οἱ περιτιθέμενοι τοῖς Ὁμήρȣ στίχοις. à quo latinis *Virgula*, ſive. *Virgula cenſoria. Hieronymus* adverſ. Rufinum: *Utriusque ſcripta cenſoriam lectoris virgulam ſentiant.* Ita etiam explicandus eſt locus ille *Horatii* in Arte:

Vir bonus & prudens verſus rependet inerteis. *Cul-*

Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum, &c.

Tali modo hoc ſigno uſus eſt *Ariſtarchus* in corrigendis atque digerendis Homeri carminibus, celebresque illius notæ fuere. *Senec.* Epiſtol. LXXXVIII. *Ariſtarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoſcam.* Et iterum *Horatius:*

Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit,
Fiet Ariſtarchus.

Imprimis autem in Homeri Textu emaculando & diſponendo, diligentiam ſuam Ariſtarchum adhibuiſſe, & aliàs notum eſt, & imprimis indicat illud, quod is primus Homeri libros vel diſperſos anteà, vel malè compoſitos, in meliorem ordinem redegerit, quod *Plutarchus* de eo in libro de Homero indicat: Iliadem & Oduſſeam Homeri ab Ariſtarcho Grammatico in numerum librorum diviſam ad ordinem & numerum Græcarum literarum. Idem etiam *Euſtathius* in Iliad. A. tradit. Ariſtarchum & Zenodotum confuſum anteà

antea Homeri opus digeſſiſſe in certos libros, eosque literis diſtinxiſſe. Undè non ſolum primus tàm Odyſſeæ, quàm Iliados liber α vocatur, ſecundus β. & ſic deinceps: verùm etiam ipſum opus γράμματα nominatur. Non tamen ignoro hunc laborem aliis etiam ab aliis adſcriptum fuiſſe, & *Piſiſtrato* quidem à *Cicerone*, *Hipparcho* Piſiſtrati filio à *Platone*, *Lycurgo* verò ab ipſo *Plutarcho* in vitâ ejus. In Platonis libris, ubi occurrebant tales obeli, indicabant ad improbationem πρὸς τὴν ἀθέτησιν illos præpoſitos fuiſſe, teſte *Diogene Laërtio* in vitâ Platonis. In ſcriptis ſacris eundem ferè uſum habuit hæc nota, quod indicat *Sixtus Senenſis* lib. III. Biblioth. Sanct. *Obelus*, inquit, *i. e. Veru, Lancea vel Haſta, vel jacens vel transverſa virgula pyramidalis, præponitur verbis ſive ſententiis divinorum codicum ſuperfluè iteratis, ſive in his locis, ubi lectio aſcititia videtur incertæ, obſcuræ vel ambiguæ auctoritatis: ut tali notâ veluti ſagittâ confodiantur ſuſpecta ac ſuperflua.* Sic Hieronymus dicit ſe in libro Danielis, Suſannæ & Belis hiſtorias, quia in Hebraicis voluminibus non habe-

rentur, antepoſito veru jugulante transfixiſſe, ceu narrationes præter Hebraicam veritatem ex Theodotionis editione deſumtas. *Origenes*, præter alium hujus notæ characterem, alium quoque finem illius apponendi habuit. Obelum enim ille non ſemper per lineam transverſam pyramidalem expreſſit, ſed quandoque χ literam obeli loco adhibuit, quod ex *Epihanio* colligitur, qui etiam de uſu ejus talia profert lib. VIII. *Appoſitus eſt autem* (obelus) *dictionibus Divinæ ſcripturæ, ap. LXXII. Interpretes poſitis, quæ apud Aquilam & Symmachum non habentur. Nam ſeptuaginta duo Interpretes has dictiones à ſe ipſis appoſuerunt, non fruſtrà, ſed potiùs in utilitatem. Quùm enim ad defectuoſas dictiones illas appoſuerint, lectionem ad claritatem deduxerunt* &c. & paucis interjectis: *Ubi igitur dictio reperitur apud LXXII. poſita, quæ in Hebraico non habetur, ea ex obeli notâ ipſi dictioni appoſitâ indicatur.* Et in fine hujus tractationis idem: *LXXII. Interpretes, quibus non erat opus ad interpretationem, ea omiſerunt, quæ ſanè poſteà in ſuis locis Origenes Aſteriſcis inſignivit. Similiter autem & appoſita non*

non detraxit, gnarus quòd ipſis magis eſſet opus, ſed cum obelis, prout ſingula reperit, reliquit, indicans ſolùm per obelum cognitionem lectionis ejus loci. Aliter tamen *D. Hieronymus* Præfat. in Pentateuchum: *Origenes*, inquit, *interpretationi antiquæ verſionem Theodotionis miſcuit, Aſteriſco & obelo opus omne diſtinguens, dum aut eluceſcere facit, quæ minus ante fuerant, aut ſuperflua quæque jugulat.*

§ VI. Huic Notæ Sixtus ſtatim ſubjungit *Metobelum*, quaſi poſt obelum ſeu poſt veru. Pingebatur autem linea pyramidalis inverſa cum appoſito puncto ⸔. quam notam Critici ſacri ſtatim poſt verba vel ſententias jugulatas ponebant, ut, quæ jugulatæ eſſent, à cæteris, quæ in textu ſequuntur, verbis diſtinguerentur. Exemplum adducit Sixtus: ut, cùm in Pſalmo XXI. juxta LXX. editionem legitur, *Deus Deus meus, reſpice in me, quare dereliquiſti?* apparet, quod duo illa verba, *Reſpice in me* inter obelum & Metobelum poſita, ſuperflua ſint. Sed & eandem cum obelo vim habuiſſe literam Græcam θ. non malè obſervat acutiſſimus Criticus *Wowerus*: verba ejus

in Polymath. c. XVII. hæc ſunt: *Ad ſimilem notam, nempè πρὸς τὴν ἀθέτησιν, θ. literâ utebantur. Quia, ut interpres Perſii ſcribit, judices literam θῆτα apponunt ad eorum nomina, quos ſupplicio afficiunt. Galenus Comment. II. in Hippocratis III. ἐπιδημ. literam θ θάνατον notare ſcribit.. Martialis* quoque hanc literam *Mortiferum Prætoris ſignum* appellat. Ita Sidonius Apollinaris:

Iſti qui valet exarationi
Diſtrictum, bonus, applicare theta.

Perſius quoque Sat. IV.

Et potis es vitio nigrum præfigere theta.

Meminit etiam hujus ſigni *Prudentius Junior*, Epiſcopus Tricaſſinus in præfatione Epitomes Joannis Scoti: *Verba quoque ejusdem Joannis, ut ab eo digeſta ſunt, pluribus locis inſerui præpoſito etiam nomine ipſius, cum præcedente illud notâ, quæ Græcè dicitur θῆτα, quam ſententiis Capitalibus damnandorum aliqui præſcribere ſolebant.* Hunc locum deſumſi ex *C. Barthii* Adverſ. lib. XXIX. c. XV. in quo loco B. L. plura tam de hujus literæ quam etiam de

de literæ T. myſticâ ſignificatione occaſione loci illius ænygmatici, qui occurrit ap. Prudentium in Præfatione Pſychomachiæ, legere poterit. Præterea ſcripta illa, quibus hæc περὶ τὴν ἀθέτησιν ſigna inuſta erant, dicebantur à Grammaticis *Deculpata*, quemadmodum apud Gellium libro XIX. c. X. *Verbum Deculpatum.* Nam Culpæ dicebantur annotamenta vitiorum in alienis ſcriptis, καὶ ἀθετήσεις. ita Gellius libr. XVII. cap. II. *Quum*, inquit, *librum veteris ſcriptoris legebamus, conabamur poſtea memoriæ vegetandæ gratiâ indipiſci animo, ac recenſere quæ in eo libro ſcripta eſſent Laudis aut Culpæ annotamentis.* Hûc Auſonii quoque verba ad Theodoſium Imperatorem, trahit Scaliger: *Inque tuis culpis tu tibi da veniam.* Acro quoque ad illa Horatii:

——— *Allinet atrum*
Transverſo calamo ſignum.

Notam, inquit, *culpæ ſignificat. Nam notare verſum malè formatum dicimus.* Alia quoque nota eſt, quam Sixtus vocat *Obelum Agnoſtigmenon*, (rectiùs ἄνω ἐςιγμένον) i. e. Obelus supernè punctum habens tali figurâ ∸ & pone-

nebatur in his, de quibus dubitabatur, utrum tolli debeant, vel apponi. Exemplum nobis idem Sixtus exhibet; v. g. Lucæ cap. III. ubi Generatio Cainam, interpoſita invenitur inter generationem Arphaxad & Sale, adeoque enumerantur quindecim generationes ab Adam uſque ad Heber, Obelo ſupernè punctuato ſignanda videtur: quia in decimo & in undecimo Capite Geneſeos, & in principio primi Paralipomenon, ab Adam ad Heber, tantùm quatuordecim generationes numerentur, nullaque prorſus fiat mentio de generatione Cainam. Huc fortaſſis quodammodo referenda erit illa nota, quam apponebant, ſi locum aliquem periculoſum & cautè intelligendum eſſe judicabant, in hoc enim caſu appingebant τὸ Φ. quod interpretabantur per Φροντιςέον. De hâc Notâ *Iſidorus* Lib. I. Orig. cap. XX. *Phi & Rho, id eſt frontis hæc ubi aliquid difficultatis eſt, ob ſollicitudinem ponitur.* Hanc notam appoſitam in MS. quodam Euſebiano ex bibliothecâ Mazarinâ, ad Hiſt. Eccleſ. cap. II. lib. I. inveniſſe ſe teſtatur *Henr. Valeſius* in Annotationibus

bus ad dictum Euſebii locum. Verba ejus ad illa Euſebii verba: τὸ πρῶτον καὶ μόνον τοῦ Θεοῦ γέννημα, hæc ſunt: *In codice Regio & in vett. ſchedis deſunt duo priora vocabula, quæ, quoniam Divinitatem Chriſti imminuere videbantur, expuncta ſunt à quibuſdam, qui eam locutionem ferre non poterant. Multa quoque in hoc capite partim mutata partim truncata ſunt ob eandem cauſam. Sed in vetuſtiſſimo codice Mazarino vera ac genuina ipſius Euſebii ſcriptura fideliter retenta eſt. Scholion tamen ad marginem adſcriptum eſt, quo monetur lector, ut ſibi diligenter caveat ab hoc proœmio: ſic igitur notat ad hæc verba:* τότε φῶς τὸ προκόσμιον φ. *Sequitur deinde* δι ὅλου *ſingulis literis ſuam ſeorſim lineam obtinentibus.*

§ VII. Ad jugulandum itidem adhibeatur ſignum illud quod *Ceraunion* vocabant, & appingebatur à nonnullis, quoties multi verſus improbabantur & tanquam fulmine proſternebantur, dictum à κεραυνὸς, fulmen; ut enim tædium appingendorum tot obelorum ſubterfugerent, unicum tale fulmen apponebant. Figura illius talis erat: ⊥. Non tamen apud omnes hanc vim habebat Ce-

raunion, *Epiphanius* quippe loco jam ſupra citato Interpretes ſacros hoc ſigno uſos fuiſſe teſtatur, quoties de novo Teſtemento locus alicujus Prophetæ intelligendus veniebat. At in *Platone* hoc ſignum occurrens, indicabat locum iſtum ad Philoſophiæ inſtitutionem adſumendum eſſe: πρὸς τὴν ἀγωγὴν τῆς φιλοσοφίας. Teſtibus *Diogene Laërt.* & *Sixto Senenſi.*

§ VIII. Ad *Aſteriſcum* progredimur, qui variis rurſus figuris exprimebatur: vel enim vulgariter, ut nos hodiè ſolemus, ſtellam effingebant hoc modo *, vel, ſecundum Epiphanium X littera, punctulis quatuor interciſa nota erat aſteriſci. Notæ hujus uſus diverſus traditur ab Auctoribus Iſidoro & Hephæſtione. In *Platone* Aſteriſcus ad convenientiam dogmatum uſurpabatur. πρὸς τὴν συμφωνίαν τῶν δογμάτων. vid. *Diog. Laërt.* In Homero, teſte Euſtathio in Odyſſ. IX. δηλοῖ τὸ σημεῖοιν ὁ ἀστερίσκος, ὡς ἄριστα ἐν τῷ τόπῳ κεῖται τὸ ἔπος, καὶ οἷον ἐκλάμπει. i. e. *Significat nota Aſteriſci verſum hunc hoc in loco peroptimè poni, ac velut effulgere.* Idem ad Iliad. E. Καὶ τιθέασιν ἐνταῦθα οἱ παλαιοὶ ἀστερίσκον, ὅς ἐστιν ἀστέρος σημεῖον χιαστὸν, ἔχων

ἔχον ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις στιγμὰς &c. καὶ τίθεται ἐπὶ τῶν ἄριστα ἐχόντων ἐπῶν, καὶ ἀστεροειδῶς οἱονεὶ λαμπούντων, ὡς ἐν καλῷ τόπῳ κειμένων. Apud *Sacros Criticos*, Aſteriſmus oſtendit dictiones & ſententias Divinæ ſcripturæ, quas priores interpretes omiſere: poſteriores verò ex Hebraicâ veritate reſtituerunt. *Origenes*, ſec. Epiphanium, in eundem fere finem hâc notâ uſus eſt. Ait enim: ὁ ἀστερίσκος οὗτος ἔνθα παράκειται, σημαίνει τὸ ἐμφερόμενον ῥῆμα ἐν τῷ ἐβραϊκῷ κεῖσθαι, καὶ ἐμφέρεσθαι παρὰ Ἀκύλᾳ, καὶ Συμμάχῳ, σπανίως δὲ καὶ παρὰ Θεοδοτίωνι. οἱ δὲ ἑβδομήκοντα δύο παρῆκαν, καὶ οὐχ ἡρμήνευσαν, ὡς δυσαλογουμένων τῶν τοιούτων λογίων, καὶ ἐκ περισσοῦ ἀναγινωσκομένων. quæ verba ex Claudii Dauſquii verſione latinè ſic ſonant: *Aſteriſcus hic ubi eſt, ſignificat vocem, quæ in Hebraicum textum illata eſt, conferri quoque ab Aquilâ & Symmacho, rariùs autem à Theodotione. Septuaginta verò duo prætermiſere non interpretata, quaſi ejusmodi voculæ bis ponantur, & ex abundanti legantur*. Addit etiam exemplum ex principio Geneſeos, quod brevitatis cauſa non appono, contentus breviore illo, quod *Sixtus*

V 5 affert:

affert: *In tranſlatione*, inquit, *Hieronymi, apud Oſeam Aſteruscus præfulgens ſententiæ illi:* * Ex Ægypto vocavi filium meum *notat eam fuiſſe à LXX. Interpretibus prætermiſſam, & demum fuiſſe ab Hieronymo loco ſuo repoſitam.* Cauſam verò ob quam Origenes hâc notâ in hunc finem uſus fuerit, quoniam illam Epiphanius reddit, heic non prætermittendam eſſe duximus. Ita autem Epiphanius: *Quo verò & diſcas, quapropter aſteriscos his ſermonibus appoſuit, lucculenter & hoc dicemus: Noſti hoc, o auditor, quòd in firmamento cæleſti aſteres & ſtellæ ſunt, etiamſi à nubibus aut ſole occultentur. Hoc conſilio etiam is, qui aſteriscos appoſuit, uſus eſt, ut tibi videatur, quòd dictiones, quibus appoſiti ſunt Aſteriſci, fixæ quidem ſunt in Hebraico contextu, velut ſtellæ in firmamento, occultæ verò ſunt à LXXII. interpretatione, velut ſtellæ à nubibus occultantur.* Locum hunc Epiphanii ultimum, ex Cornarii verſione deſumſimus. Semel etiam hæc nota in Sophoclis textu reperitur, & quidem in Antigono, ubi tamen ſecundum Scholiaſten Triclinium δηλεῖ ὡς τὸ ᾆσμα τετέλεσται· quem uſum Aſte-

riſco

riſco quoque tribuit Hephæſtio, citante Dauſquio Tractat. V. Orthographicæ. p. 167. edit. quæ prodiit Pariſiis ap. Fredericum Leonard. Anno M. DC. LXXVII. fol. Hephæſtionis, quæ ibi citantur verba hæc ſunt: *ἐπὶ μέντοι τῷ τέλει ὁ ἀστερίσκος τίθεται γνώρισμα τοῦ τετελειῶσθαι τὸ ᾆσμα.* i. e. *in fine Aſteriſcus ponitur, perfecti index cantici.* Ad hanc Aſteriſci notam propiùs accedit illa *Dioſcoridis*, quam ſuperne vocabulis affigebat, quoties textum propoſitum, quem alii interpretes unâ ſerie legendum eſſe conſtituerant, divideret, eòque ſeorſim à reliquis de ejus intellectu ſentiret; in tali enim caſu pingebat literam χ quam utrinque punctis notabat. Ex quâ notâ accuratiſſimus *Reineſius* interpretatur verba iſta *Galeni* III. Porrh. XLVI. malè exarata: *καὶ αὐτοῦ τὸ λ' ἄνωθεν ἐπιθεὶς, ἑκατέρωθεν ἐπιστίζει.* & ita conſtituit: *καὶ αὐτοῦ τὸ χί ἄνωθεν ἐπιθεὶς ἑκατέρωθεν ἐπιστίζει*, nuſquam enim τὸ λ, quod in textum Galeni malè irrepſit, ſigni vel notæ loco adhibitum fuiſſe dicit Epiſtol. XXV. ad Hofmann. & Rupert.

§ IX. Sacros imprimis Criticos, alia

tria

tria ſigna uſurpaſſe tradit Senenſis, quorum primum *Antigraphus*, ſecundum *Antiſigma*, tertium *Cryphia* dicitur. Sed profanos etiam ſcriptores illis uſos fuiſſe nullum eſt dubium; de ſecundo certè patet. Illud enim in *Platonis* ſcriptis conſpicuum & ad uſus duplices ſcripturæque tranſlationes adhibitum fuiſſe, manifeſtè teſtatur *Diogenes* in Platone. Nota hæc erat Ͻ cum puncto in ventre; aut, ut Caſaubonus vult Ͻ ad utrumque latus puncto notatum. In ſacris verò ponebatur ad eas divinæ ſcripturæ lineas ac verſus, quorum ordo permutandus eſt. *Antigraphus* pingebatur ſemicirculi forma dextram Spectantis C & punctum intra ſe tenentis, aut ſecundum *Iſidorum*, cum Tſade Judaico proximè figura congruens, puncto tantùm ſuperimpoſito differens ẓ ſignificabat autem in ſacris tranſlationibus eſſe ſenſum, vel inter ipſos tranſlatores diverſum, vel ab Hebraicâ veritate diſſentientem. ⌒ cum puncto in medio *Cryphia* dicebatur, nomenque ab ipsâ ſignificatione & pingentis intentione ſortiebatur. Pingebatur enim tantùm ad illa loca, ubi quæſtio dubia & obſcu-

ra

ra aperiri vel ſolvi non potuit. Eâdem quoque notâ Senenſis uſos fuiſſe dicit veteres expoſitores in commentariis ſuis, ubi difficultatem arduam indeciſam reliquerint.

§ X. Sed & τὸ χ inter præcipuas Criticorum nôtas locum invenit haud infimum: diverſiſſimæ tamen ſignificationis fuit apud antiquos, modò enim laudis ſignum erat, modò reprobationis. Apud veteres nonnullos Grammaticos τὸ χ, nota culpæ ſive χιασμȣ̃ erat, cùm enim aliquid reprehenderent, aut verbum inuſitato & novo more, aut impropriè poſitum notarent, hæc ferè appingebant: διὸ τὸ χ. quod in Græcis Scoliis paſſim occurrit. Alii verò τὸ χ explicabant per χρηστὸν ſive χρήσιμον, ideoque in bonam partem accipiebant, iis verò, quæ repudiabant aut improbabant, ἄχρηστον adſcribebant ſive aliam notam compendiariam, culpæ indicem. Huc fortaſſis digitum intendit *Caſſiodorus* 1. de Divinis Lect. ubi *Ticonius Donatiſta* inquit: *In eodem volumine quædam non reſpuenda ſubjunxit, quædam verò venenoſa dogmatis ſuis permiſcuit. Cui tantùm in bonis dictis chreſimon, in malis achreſton,*
quan-

quantum tranſiens valui reperire, ut arbitror competenter adfixi. Celeberrimus Caſaubonus in Notis ad Diogenem Laërtium p. m. 121. aliud quoque ſignum ad χρήσιμα vel χρηστὰ ſignanda, Græcos adhibuiſſe teſtatur, tale nempè quale olim Conſtantinus M. ejuſque filii in Labaris ſuis & alibi quoque uſurpabant, hâc formâ:

☧ Veteres enim Chriſtiani à tempore Conſtantini M. & Conſtantii filii initialibus duabus in Græco Chriſti Nomine exſtantibus literis X & P. quibus Salvatorem in Cruce ſignificabant, vel Solo X aut Crucis ſigno in perpetuam & piam ejus memoriam uſi fuere in Nummis non ſolùm, & Vexillorum militarium genere, quæ Labara vocantur, ſed etiam Cultu externo, Veſtitu & Apparatu quovis alio, in portis templorum puta, Viiſque publicis, in Clypeis item Baculis & Haſtilibus, Thoracalibus, Galeis, Pectorali Epiſcoporum, horumve Mitris ac Infulis vel Cæſarum Coronis, pomoque Imperiali &c. de quibus vide Joh. Danielem Major in Epiſtolâ de Nummis

Græce

Græcè inſcriptis. p. m. 21. ſeqq. In *Platonis* ſcriptis τὸ χ λαμβάνεται πρὸς τὰς λέξεις, καὶ τὰ σχήματα, καὶ ὅλως τὴν πλατωνικὴν συνήθειαν. Teſte Diogene Laërtio in vitâ Platonis edit. Frobenianæ Anno MDXXXIII. in quibus verbis Caſaubonus cum Petro Galeſio ſupplendum exiſtimat: πρὸς τὰς πεποιημένας λέξεις. In eodem uſu hanc literam fuiſſe Gregoriani olim characteris annotatoribus in ſcriptis Gregorii Nazianzeni evolvendis, tradunt. Supra etiam vidimus Origenem hanc literam pro *obelo* adhibuiſſe. Eadem quoque nota ſacris interpretibus demonſtrabat ſententias, quæ de donis & promiſſionibus terrenis & temporalibus, Judaico potiſſimum populo factis, interpretandæ ſint. Et tunc hanc notam appellabant *Xenion*, h. e. *donum advenis & hoſpitibus dari ſolitum*, quanquam τὸ Ξ Græcorum & χ Latinorum minimè figurâ conveniant. Epiphanii Interpres hanc notam exprimit per 3. *Duplex* verò χ, ſive διπλῆ, (ita χχ.) ad Dogmata opinionesque Platonis peculiares indicandas adhibebatur. A Patribus autem Gregor. Nazianzeno & Ba-

ſilio diplos hic character poſitus eſt in Origenis voluminibus, ad indicanda peculiaria ejus dogmata à communi Patrum definitione diſcrepantia. χ περιεστιγμένον, h. e. χ cum puncto ad utramque latus appicto in *Platone* λαμβάνεται πρὸς τὰς ἐκλογὰς καλλιγραφίας, Διπλῆ verò περιεστιγμένη appoſita erat πρὸς τὰς ἐνίων διορθώσεις. Hanc ultimam notam Cl. *Wowerus* eandem eſſe putat cum illâ, quam Iſidorus antiquos iis appoſuiſſe ſcribit, quæ Zenodotus Epheſius non rectè adjecerat, aut detraxerat aut permutaverat, ſed, ſi *Sixtum Senenſem.* inſpicimus, rem aliter ſe habere deprehendemus, quemadmodum enim διπλη duplex eſt, alia quæ per χχ pingitur, quaſi χι·διπλῆ, alia verò quæ ita exaratur >, vel ↄc quamque ſcriptores appoſuerunt in libris Eccleſiaſticorum virorum, ad ſeparanda vel demonſtranda teſtimonia ſanctarum ſcripturarum, ne cum verbis ac lectione commentariorum confundantur, quæque διπλῆ dicitur·quaſi διπλῆ γραμμὴ, linea-duplex; Ita etiam διπλῆ περιεστιγμένη alia eſt quæ per χχ exaratur, qualem intelligit *Diogenes*, alia verò, quæ illi

poſt

poſteriori dipli duo puncta imprimit & hanc poſteriorem intelligit *Iſidorus* ſine dubio. *Sixtus* enim *Senenſis*, poſt hanc modò deſcriptam figuram dicit eam *antiquos appoſuiſſe in his, quæ Enodothus*, (leg. Zenodothus) *Epheſius in carminibus Homericis non rectè adjecerat aut detraxerat.* Eccleſiaſticos verò illâ notâ in his uſos fuiſſe, quæ interpretes Hebraicæ veritati adjecerant vel ademerant, quod Wowerus in Iſidoro malè intellexit de alterâ illâ dipli, quam Diogenes in Platone occurrere dicit: Platonica enim διπλῆ hæc erat χχ, altera verò Iſidori hæc ⊳ cum duobus punctis in ventre. Hanc poſteriorem notam crebrò quoque invenies in Sophoclis textu, & quidem in eâ editione, quam H. Stephanus adornavit, cujus tamen planè alium ſenſum ab hactenus enumeratis indicat Triclinius vetus Scholiaſtes, περὶ μέτρων οἷς ἐχρήσατο Σοφοκλῆς, & quidem ubi agit περὶ τῶν ἐν τῷ Αἴαντι μαστιγοφόρῳ μέτρων, appoſitas enim dicit binas Diplas > < διὰ τὸ εἶναι τῶν ἀνταποδιδομένων, & adhuc clariùs ibidem p. m. 136. ἐν μὲν γὰρ ταῖς στροφαῖς, inquit, τῶν ἀλλοιοστρόφων τούτων

συστημάτων, τῶν κατὰ περικοπὴν ἐχόντων συστήματα ἀνομοιομερῆ, ἐπὶ τοῦ τελευταίου κώλου, κατὰ μὲν τὴν ἀρχὴν διπλῆ τίθεται ἔξω νενευκῦα, ἐπὶ δὲ τῷ τέλει παράγραφος (hoc ſignum ejus --) καὶ ἔσω νενευκῦα διπλῆ, δηλοῦσα, ὅτι τῶν ἀνταποδιδομένων εἰσὶν αἱ τοιαῦται στροφαί. ἐν δὲ ταῖς ἀντιστροφαῖς ἐπὶ τῷ τέλει τοῦ τελευταίου κώλου μόνη παράγραφος. ἐπὶ μέν τοι τῆς τελευταίας ἀντιστροφῆς ἐπὶ τοῦ τελευταίου κώλου, δύο μόναι τίθενται διπλαῖ, κατά τε τὴν ἀρχὴν τοῦ κώλου καὶ κατὰ τὸ τέλος. ἀμφότεραι δὲ ἔξω νενευκῦαι, δηλοῦσαι ὅτι τέλος ἔσχε τὸ ἀνταποδιδόμενον. Confer etiam Ariſtophanis Scholiaſt. in Plutum. Plura quoque invenies ap. laudatum Dauſquium l. c.

§. XI. De *Limniſco* nunc quædam dicenda ſunt. Eam notam Origenem divinis ſcriptis appoſuiſſe dicit *Epiphanius*, ut, quando rarò alicubi invenies in LXXII. Interpretibus diſſonantem dictionem, non tamen expreſſam, neque appoſitam ſimilibus ipſi dictionibus, cognoſcas quòd ab uno pari (interpretum) aut duobus hæc dictio converſa eſt, propter appoſita duo puncta. Et in fine hujus tractationis: *At verò per limniſcos ſimiliter indicavit eorum, quæ apud*

apud quoſdam ex LXXII. ſimul utraque inveniuntur, declarationem, cùm id raro contingat, ut paucæ dictiones non diſſimiles ſint, ſed ſimiles & eandem vim habeant. Sed neſcio quid hîc *Cornario* in mentem venerit, (ſi quidem hîc Cornario & non potiùs typographo culpa adſcribenda) quòd figuram hujus notæ expreſſerit per *tres lineolas jacentes* ita: --- cùm tamen ipſa hujus notæ deſcriptio, quæ ſtatim apud Epiphanium ſequitur, manifeſtè repugnet: dicit enim Epiphanius Limniſcum *eſſe lineam unam in medio duorum punctorum aut notarum poſitam ita, ut unus punctus ſupernè ſit, alter infernè* λίμνισκος σημεῖον ἐστὶ γραμμὴ μία, μεσολαβουμένη ὑπὸ κεντημάτων δύο ὄντων στιγμῶν, μιᾶς μὲν ἐπάνω οὔσης, τῆς δὲ ἄλλης ὑποκάτω. Itaque cum aliis conſtituo Limniſcum hâc figura ÷ qui itidem hanc notam deſcribunt *virgulam inter geminos punctos jacentem, alterum ſupernè, alterum infernè*, & apponi dicunt in his, quæ diverſi Sacræ Scripturæ interpretes eodem ſenſu, ſed diverſis ſermonibus tranſtulerunt. Originem appellationis hujus Notæ & Epiphanius & Sixtus à Medicis chirurgis deſum-

tam eſſe tradunt, & à linteolis quidem iſtis detritis in tenuem ac longam formam confectis, quæ duabus ſectionibus inciſi vulneris immitti ſolent: ita autem Epiphanius: *Hunc*, ſcilicet Limniscum, *apud medicos ex naturæ ratione inventum ac appellatum eſſe dicunt, ex corporis chirurgiâ, dum duæ ſimplices ſectiones diducuntur ſive ſecantur, ita ut inter duas ſectiones inciſi loci corpus diſparatum ac hians juxta utrasque ſimplices ſectiones obeli figuram exhibeat, dum linamentum inditur, h. e. linteolum detritum in tenuem ac longam formam diſſectum immittitur ex unâ ſectione, & pertranſit in alteram. Quare Limniſcus ab ipſis medicis bené appellatus eſt, eò quod linamentum, in loci humoribus immerſum, velut inundet ac reſtagnet.* Diogenes hanc notam in Platonis ſcriptis occurrentem, vocat ὀβολὸν περιεστιγμένον, & apponi dicit πρὸς τὰς εἰκαίως ἀθετήσεις. i. e. *ad ſuperflua quæque jugulanda.* Confer Ægidii Menagii obſervationes in Diogenem. Londini Anno MDC LXIV. typis excuſas.

§ XII. Sed & in *Hypolimniſci* figurâ exhibendâ decipitur *Ioh. Cornarius*, aut ſaltem editor ipſius Verſionis

Epi-

Epiphanii, eandem enim nobis quam Limniſci figuram exhibet, dicit ibi: *Sublimniſcus itaque tale eſt ſignum --- ſimplex.* Sed rurſus eum conſequentia *Epiphanii* verba redarguunt, ita enim in Epiphanio ſequitur: Ἁπλῆ δηλονότι γραμμὴ ὀβελȣ̃ τὸ σχῆμα ἔχȣσα, ὑποκειμένην ἢ ἔχȣσα ςιγμὴν, ἤγȣν κέντημα. Quis ex his verbis non videt hypolemniſcum ita eſſe exarandum ⸓? quam eandem notam quoad verba & quoad figuram exhibet Senenſis, ubi tamen obſervandum maluiſſe Senenſem hanc notam Sublimniſci nomine exprimere (novitatis fortè ſtudio) quàm receptum ubivis Hypolimniſci nomen retinere. Significationem verò hujus notæ Epiphanius dicit eſſe, quod, ubi inventus fuerit talis hypolemniſcus ad dictionem aliquam appoſitus, indicium ſit, ab uno pari Interpretum prolatum eſſe iſtum ſermonem, & id unum punctum indicare. Secundum *Senenſem* ſignificat ſententiam, cui apponitur, à duobus vel tribus Interpretibus eodem ſenſu, & iiſdem verbis fuiſſe tranſlatam.

§ XIII. Denique ad Elegantiam & Utilitatem alicujus loci indican-

dam, apponere ſolebant notam ωρ. id eſt ὡραῖον, de quâ notâ ſupra laudatus *Valeſius* l. c. his verbis: *Poteſt etiam alia afferri explicatio hujus notæ, ut ſcilicet hæ duæ literæ ſignificent ὡραῖον, i. e. locum elegantem & perpolitum. Certè hæc nota in ſcriptis exemplaribus apponi ſolet locis elegantioribus. Oſtendit mihi nuper R. P. Gabriel Coſſartius duos Codices Bibliothecæ Claromontanæ, alterum Gregorii Nazianzeni, alterum Joh. Chryſoſtomi orationes continentem. In utroque hæc nota ſæpius viſitur cultioribus locis appicta. Quin etiam in quadam* Oratione *Gregorii ad ſcriptum ὡρ. πάνυλο, ita ut vox πάνυ disjunctis literis, & ſingulas lineas obtinentibus perſcripta eſſet. Legi olim Epiſtolam P. Pithæi ad V. Loiſellum de ejusmodi notis, in quâ prima erat* ΩΡ. *ὡραῖον.* Cum hâc notâ convenit ille, quam *Ancyranon* vocabant, quæ talem ferè figuram habet ⊤: apponi itidem conſueverat hæc nota tàm ſacræ lectioni quàm expoſitorum commentariis, ubi aliqua res erat maximè præ cæteris obſervanda & notanda. Hodiè nonnunquam manus talibus locis appingitur cum protento indice, qui locum notandum oſtendat. Apud Latinos quo-

quoque notam talium Χρηςῶν fuiſſe duplex L. ita: LL. id eſt Laudabiles Loci, vel ita L. SENT. *Laudabilis Sententia* ex *Pauli Diaconi* libello de Notis literarum, itemque ex aliis notis ineditis ſuſpicatur *Joh. à Wower*. Et de eâdem hâc notâ egit quoque *Joſephus Scaliger* in Conjectaneis ſuis in M. Terentii Varronis de Linguâ Latinâ libros p. m. 210. ſed quid vetat verbis tanti viri rem exprimere? *Nota illa L.* inquit, *quæ toties hic inſerta eſt, nihil aliud eſt quàm ſtudioſi Lectoris admonitio, qui in uſum ſuum ſententias, quas vellet, ex hoc auctore annotabat. Vt enim Græci, ſi quid probabant in auctoribus,* Χρηςὸν *aut* Χρήσιμον *aut* χ *literam, quæ idem valet, apponebant, ut quoties opus eſſet haberent quod in uſus Chriarum & Sententiarum depromere poſſent: Sic quod inſigne duxit & dignum notatu lector horum librorum, ad id vel notam compendiariam L. laudabilis, h. e. Locus Laudabilis, appoſuit: aut L. quo id Laudabile ſignificari vellet, vel Laudabiliter. Sanè hoc ita eſſe, ut jam admonuimus, patet ex commentariolo notarum* Probi. *In eo enim legitur,* LL. locus laudabilis, *quod nimirum eſſet ex τῶν χρησιμεύουσις*

σις annotata in veterum libris, *&c.* Conſulat induſtrius Lector ulterius laudatum Scaligerum, & videbit, quantum ſæpe lucis afferat cognitio harum Notarum ad Auctores antiquos & intelligendos probè & corrigendos, quàm multi enim fœdiſſimi errores imperitorum librariorum culpâ in auctores ipſos irrepſerint, dum optimas alioqui has Criticorum Notas ipſi auctorum textui inſeruerunt, lectionemque adeò vitioſam & abſurdam reddiderunt, vel ex ſolis iſtis locis, quos Scaliger ibi ex Varrone adducit, patere poterit, quæ certè maculæ ſine harum notarum cognitione, nunquam feliciter tolli poterunt. Porrò & alia erat nota quam *Ancyram* vocabant hâc figurâ: ⅃, præfigebatur illa ſententiæ in eum finem, (*verba ſunt Senenſis*) ut oſtendatur in eâ ſententiâ mentionem fieri de novo Teſtamento & Euangelio. Cæterùm formâ quodammodo, non tamen ſignificatione, cum Ancyrano conveniunt duæ aliæ Notæ ſacris imprimis Interpretibus uſurpatæ, Υ *ypſilon* & ϒ *ypſilon hypogrammenon* quorum illud indicabat, locum illum, cui præfixum erat, de depoſitione prio-

ris populi agere, aut etiam, ſententiam proximè ſequentem exponendam eſſe de rejectione & depoſitione populi Judaici. Hoc verò ſecundum Epiphanium ſignificabat ſententiam, cui præponebatur, loqui de rejectione veteris legis ſecundum carnem.

§ XIV. Et hæc ſunt, quæ de veterum Criticorum Notis in medium afferre hâc vice conſultum duxi. Plurium quidem paſſim talium notarum mentionem fieri nemini ignotum erit; ſed quoniam illas in ipsâ Diſſertatione citati auctores luculenter ſatis declararunt, ita ut vel nihil, vel certè parum illis adjicere poſſis, ea omnia exſcribere religioni duxi, maluique TE B. L. ad ipſos Auctores ablegare. Intereà verò ut æquum Te harum pagellarum Cenſorem præbere, meiſque conatibus porrò favere velis, eſt quod obſervanter rogo. VALE.

F I N I S.

XIII.

DE

UNCTIONIBUS GENTILIUM

DEO IUVANTE

PRÆSIDE

M. ANDREA CHRISTIANO
ESCHENBACH. P. L. AMPLISS.
FACULTAT. PHILOSOPH.
ADIUNCTO.

DISSERTATIONEM PUBLICAM

SISTET

AUCTOR

REINERUS VERWEY

WOERDA BATAVUS.

PRID. EID. OCTOBR. ANNO CIↃ IↃC LXXXVII.

VIRIS

NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS, ATQUE EXCELLENTISSIMIS

D°. JOHANNI LEUSDEN

PHILOSOPHIÆ. DOCTORI. ET LINGUÆ SANCTÆ. IN. ACADEMIA. TRAJECTINA. AD RHENUM. PROFESSORI. P ORDIN. LONGE CELEBERRIMO

D°. GERARDO DE VRIES

PHILOSOPH. DOCTORI. ET. IN. EADEM ACADEMIA. PATRIA. ORDINARIO. PROFESSORI P. ITIDEM. CELEBERRIMO

PRÆCEPTORIBUS. ATQUE. PATRONIS. SUIS. OBSERVANTER. COLENDIS.

UT. ET

VIRO

PLURIMUM REVERENDO AMPLISSIMO ATQUE GRAVISSIMO

D°. JOHANNI BAERS

ECCLESIÆ. AUGUSTANÆ. CONFESSIONI. ADDICTÆ. APUD. ULTRAJECTENSES. PASTORI MERITISSIMO. PARITER. AC. VIGILANTISSIMO DOMINO. AVUNCULO. SUO. PATRIS. LOCO ÆTERNUM. VENERANDO

NEC NON

VIRO

EXIMIO. ATQUE. INTEGERRIMO

D°. THEODORO VERWEY

MERCATORI. AMSELODAMENSI. PRÆSTANTISSIMO. FRATRI. DILECTISSIMO

EXERCITIUM. HOC. ACADEMICUM SACRUM. ESSE. JUBET.

AUCTOR.

I. N. J. C.

AD LECTOREM.

Usque adeò diſplicuere mihi, Amice Lector, vaniſſima illorum ingenia, quæ nullis elegantiorum Muſarum ſacris initiata, & planè ἀμύητα, cruda adhuc & elumbia ſtudia. ventoſâ plerumque & enormi loquacitate in publicum protrudunt Unde, levibus quidem atque inanibus ſonis ludibria excitare optimè norunt; cùm verò in eruditorum conſeſſus venerint, ubi omnia ad ſeveriorem legem examinantur, putant ſe in alium terrarum orbem delatos Hæc ipſa tolerabilia forent, ſi tenebriones iſti ſuas ſibi res haberent, nunc & apud alios plerumque hæc ſtudia contemnunt, & tanquam grammaticas nugas, apertè inſectantur, non advertentes quantoperè ſe judicio eruditorum proſtituant. Nondum à Muſarum ſacris illuſtria ingenia arcebantur cum Alexander Iliadem Homeri emendatam ad vetera exemplaria & doctiorum Criticorum normam directam, in conditorio ναρθηκίῳ, *repoſitorio* τῶν τιμιωτάτων, *circumtuliſſet. Nondum hæc labes ingenia deleverat, cùm Divus Chryſoſtomus facundiæ ſuæ & vehementiæ in taxandis vitiis partem optimam ex quotidianâ*

dianâ lectione Ariſtophanis hauſiſſet, & cum dormitum iret, libros bujus auctoris pulvillo ſubdidiſſet. Sed nihil ego ſtolida talium hominum judicia moratus, meliore potiùs aliorum exemplo animatus,

queîs meliore luto finxit præcordia Titan,

otii quicquid à ſeverioribus ſtudiis babui, elegantioribus literis, & imprimis Antiquitatis ſtudiis conſecravi, & quantum babeo, adbuc conſecro, nihil litans rupturis potius quam laxamentis animorum, Aleæ, Baccho, Cereri, facilius me boc pacto ſapientum iſti præcepto satisfacturum ratus, quo volunt, etiam otii rationem reddendam eſſe, quem proinde in finem præſentem diſſertationem de Unctionibus veterum conſcribere, & publicæ luci exponere volui, quâ ſi vel nihil aliud quam tuam A. L. approbationem otii mei reportavero, tempus & otium me non omnino perdidiſſe gloriabor. Vale!

CAP. I.

CAP. I.

DE

VARIIS UNGUENTORUM GENERIBUS.

Etymologia vocis Ungere. Unguenti origo. Plautus, Perſius, Horatius illuſtrati. Diſcrimen inter ἀλείφειν *&* χρίειν. Μύρον. *Incognitum Græcis antiquioribus. Unguentorum uſus antiquiſſimus. Unctum, luculentum. Unctus, lautus. Unguentatus, mollis. Unguenta ſtrictè dicta. Diſcrimen inter olea & Unguenta. Oleum pro Unguento. Arabia imprimis Unguentorum patria. Arabes teneri & molles dicti. Arabius odor. Indorum miranda olea. Myrrhodinum oleum. Ægyptiorum Unguenta adverſus culices. Oleum Nardinum. Varium. Achæmenia Nardus. Coſtum Achæmenicum. Tyrius Nardus. Malobathrum Syrium. Unguenti Nardini confectio & præſtantia. Locus D. Marci illuſtratus. Oleorum differentia. Cyprinum. Unguentum Baccarinum. Crocinum. Gleucinum. Myrrhinum. Myrrha Orontea, Achaica.* Στακτή. Πλαστή.

στή. *Foliatum Amaracinum. Sampſucum. Gellius illuſtratus. Cinnamominum Unguentum. Cinnamomus, avis nomen. Oleum Balſaminum. Apulejus illuſtratus. Opobalſamum. Juſtinus notatus.* Ξυλοβάλσαμον. Καρποβάλσαμον. *Amomum. Cardamomum.* Ἀμωμὶς *herba. Ambroſia. Narciſſinum oleum. Irinum. Oenantinum. Roſaceum. Acanthinum.* Ὠμοτριβὲς. *Omphacinum. Megalinum. Telinum.* Τήλινον ἄλευρον. *Sambucinum. Unguentum Veneris. Balaninum. Oleum Regium. Jaſminum. Caſia odorifera. Notati qui Caſiam & Cinnamum confundunt. Ladanum. Suſimbrinum oleum* Διαπάσματα. *Italorum hodiernorum olea & Unguenta.*

Unde derivetur vox *Ungere*, certò non conſtat; in partes enim eunt Grammatici. Sunt qui autumant dici ſic quaſi *unum agere*, quia in unguento *miſceantur* atque *uniantur diverſa.* Aliis vero placet, hoc verbum origenem *ungui* debere, ut propriè idem ſit ac *ungue illinere.* Ab *ungo* autem venit *unguen*, vel *unguentum*: in quibus duobus vocabulis, quia U. poſt G. ponitur, ideo multi etiam *unguo* ſcribebant. Qui autem *ungo* malunt

malunt, eo nituntur, quod quando V. eſt in præſenti id etiam maneat in præterito: ut *volvo*, *volvi*; & hinc *Ungo* ſcribere jubent. Plura de his deſideranti ſuppeditabit Velius Longus, a quo hæc mutuati ſumus. Ab *uncto* etiam apud Plautum diminutivè dicitur *unctiusculum* pulmentum, id eſt, oleo conditum. Nam eo in Pulmentariis utebantur, ut refert Plinius l. XIX. c. IV. Hinc Perſius Sat. III.

Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.

Et *cœnare ſine uncto* apud eundem auctorem Sat. VI. idem eſt, ac *obſonio condimentis perfuſo*. Et Horatius de arte:

Si vero eſt unctum rectè qui ponere poſſit.

Pinguia ferè, opinor, Condimenta, ut oleum, & intinctum, quod Græci dicunt ἔμβαμμα, intelligit. *Nam intinctus in oleo aut aceto, vel utroque, ut in acetariis.* Quemadmodum indicat Voſſius.

Græcis *Ungere* dicitur ἀλείφειν, ubi tamen obſervandum, aliud eſſe ἀλείφειν, aliud χρίειν, ſi propriè loqui velimus. χρίειν enim, ut in Gloſſis

exponitur, eſt *linere.* Unde *quæ illinuntur*, vocantur φάρμακα ἐπιχεῖσαι, quomodo etiam χεῖσμα μήλινον vocat Dioſcorides, quod oleum è citoniis Plinius. Hæc autem de ſpiſſioribus. At ἀλείφειν liquidis convenit, quibus aliquid perfundimus; qualem etiam diſtinctionem admittit Athenæus. *Unguentum* vero iiſdem μύρον dicitur, quamvis in vetuſtioribus eorum ſcriptis hæc vox non inveniatur. Id ideo factum eſſe multi exiſtimant, quod antiquiſſimis illis temporibus μύρα græcis fuere incognita; ita enim de unguentis ſcribit Plinius l. XIII. cap. I. *Quis primus invenerit non traditur, Iliacis temporibus non erant, nec thure ſupplicabatur.* Nimirum qualia poſteriori tempore fuerunt in uſu. Oleo ſimplici duntaxat utebantur, cui miſcebant e fruticibus odorem, præſertim roſâ. Unde Roſaceum oleum laudat Homerus Iliad. lib. XXIII. Et Venus Hectorem ῥοδόεντι χρῖεν ἐλαίῳ, *Roſaceo oleo inunxit.*

De hac igitur ſimplici unctione accipienda ſunt pleraque Homeri, & vetuſtiorum Græcorum loca, quippe quorum unguenta, ut & ea, quæ ex unâ tantum plantâ conficiebantur,

pro-

propriè neque unguenta à Latinis, neque μύρα a Græcis dicta fuere. (ut ex ſeqq. ſatis clarè apparebit.) Ex eo itaque, quod Homerus nuſquam μύρου fecerit mentionem (quod etiam obſervat Euſtathius ad Iliad. ψ.) ſed ſimplicium tantum meminerit oleorum, rectè concludere videtur Plinius, Iliacis temporibus ignota Græcis fuiſſe unguenta, utpote quorum notitia & uſus poſt bella demum Perſica ad eos pevenerit. Athenæus vero ſi conſulatur l. XV. ubi prolixè egit de re unguentariâ, contendit Homerum noviſſe Χρῆσιν τῶν μύρων, licet ἐλαίου vocem uſurpaverit. Quicquid ſit, Homerus non introduxit τοὺς Ἥρωας μύροις ἀλειφομένους. Antiquiſſimum tamen apud Judæos, Ægyptios, Syros, & Perſas unguentorum uſum fuiſſe, ſatis nos docent ſacræ literæ. Joſephus lib. II. Antiquit. longè ante Iliaca tempora apud Judæos unguenta fuiſſe meminit, ſcribens: *Jacob*, qui teſte Euſebio, multis tempeſtatibus ante Trojanum bellum fuit, *miſiſſe in Ægyptum ad Joſephum filium ſuum, id temporis apud Pharaonem annonæ præfectum, inter cætera munera unguentum.* Idem auctor

in tertio ejusdem operis, cum agit de purgatione tabernaculi & Sacerdotum, quam Moſes inſtituit, qui vixit juxta nonnullos ante CCCL annos, quam Troja exciſa eſt, ita habet: *Purificavit autem & Tabernaculum & Sacerdotes hoc modo: ſumpſit ſiclos quingentos, & ibidem ireos Cinnamomi, & Calami* (quæ & ſuaviſſimi odoris erat ſpecies teſte Plinio) *priorum menſuram, & medietatem horum juſſit contuſam miſceri, oleique olivarum pondus menſuræ provinciæ, quæ dicitur Hin, duas chocas Atticas capiens; quibus permiſtis & coactis facta eſt arte unguentariorum unctio ſuaviſſima.* Ex quibus jam allatis Hebræos hujus rei authores fuiſſe credere haud abſurdum fortaſſe fuerit; quod tamen nos hâc vice in medio relinquimus. Verum apud Perſas etiam ante Darium unguentum extitiſſe teſtatur Herodotus lib. IX. ſcribens, Cambyſen (*proditores*) cum maximis donis miſiſſe ad Æthiopum Macrobiorum Regem, inter quæ unguenti alabaſtrum fuiſſe, Regem vero cum a legatis rationem confecturæ hujuſmodi unguenti didiciſſet, id penitus aſpernatum eſſe.

Fateri tamen omnino heic loci neceſſum

ceſſum eſſ, non unâ eâdemque ratione hoc nomen uſurpari a ſcriptoribus. Nam non adeò incongruè per *unctum* denotabant ſæpius *luculentum quid* ſive *nitidum*, nonnunquam etiam hominem *lautum* ſeu *divitem*. Ita Perſius. Sat. IV.

-- -- -- -- unctâ vixiſſe Patellâ.
Semper:

Et Horatius epiſt. l. I. deſcribens hominem, qui nitidum & lautum convivium parare poſſet, de ξηροφάγοις, quibus cynica cæna apponitur, ita loquitur:

Accedes ſiccus ad unctum.

Conf. idem auctor epiſt. XV.

Ubi quid melius contingit & unctius.

id eſt pinguius, delicatius, ſumptuoſius. Sic alio in loco pro apparatè condito cibo, & lauto convivio, opiparè inſtructo hæc vox invenitur. Quod ſuperius vidimus. Denique haud inuſitatum fuit adhibere nomen *unguentatum* pro *molli*; ita Senecam hircoſis unguentatos opponere legimus, cujus apud A. Gellium lib. XII. c. II. verba ſunt: *Quidam ſunt tam magni ſenſus Q. Enni, ut licet ſcripti*

 ſint

ſint inter hircoſos poſſint tamen inter unguentatos placere Eodem etiam verbo P. Africanus apud eundem Gellium l. VII. c. XII. molliſſimum hominem ſignificat: *Nam qui*, inquit, *quotidie unguentatus adverſum ſpeculum ornetur, cujus ſupercilia radantur, qui barba vulſa, feminibusque ſubvolſis ambulet, qui in conviviis adoleſcentulus cum amatore, cum chiridotâ tunicâ interior accubuerit, qui non modo vinoſus, ſed viroſus quoque ſit, eumne quiſpiam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere ſolent?* Nos hic per unguenta intelligimus ea, quæ è multis odoribus fuere compoſita, propriè que & ſtrictè ita olim dicta. Habemus in hoc conſentientem Dioſcoridem, qui tractans de oleis, inquit, quod illa, quæ ſine alterius rei additione fiunt, appellentur olea, reliqua vero omnia, quæ ex oleo, atque aliâ materiâ ſint compoſita, unguenta. Hinc igitur eorum odor ſuaviſſimus, de quo Catullus XIII.

Quod tu quum olfacies, deos rogabis
Totum ut te faciant, Fabulle, naſum.

Interim nequaquam negamus, Scriptores de unguentis agentes ſæpius *ole-*

um pro *unguento* nominaſſe. Cujus rei teſtis Horat. l. II. Sat. VII.

> *-- -- -- -- juſſerit ad ſe*
> *Mecænas ſerum ſub lumina prima venire*
> *Convivam; nemon, oleum feret ocyus?*

Faciunt huc etiam illa, quæ Propertius Lib. III. El. XV. habet:

> *Lævis odorato cervix manabit olivo.*

Cui jungatur Apulejus. Metam lib. IV. *nudati, & flammæ largiſſimæ vapore recreati, calidâque perfuſi, & oleo peruncti, menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt.* Porrò ita heic loci de oleis & unguentis agemus, ut varia eorum genera oſtendentes, ſimul multum ipſorum in ſacris & profanis actionibus uſum monſtremus, eâ tamen brevitate, quæ & talibus diſſertationibus convenit, & legentium oculos nimiâ prolixitate non offendit.

Contueamur autem, antequam ad rem ipſam accedamus, quamnam regionem vel terram potiſſimùm unguenta ſibi patriam agnoſcant; ubi ab omnibus ferè auctoribus præ cæteris *Arabiam* commemoratam ac laudatam invenies. Ita enim de

Arabicis odoribus canit Statius Sylv. lib. V.

> -- -- -- *Dites nec ſic ubi rara Sabæi*
> *Cinnama, odoratas nec Arabs decerp-*
> *ſit ariſtas.*

Cui quoque ſententiæ aſſentientem vides Tibullum lib. IV.

> *Poſſideatque metit quidquid benè olen-*
> *tibus arvis*
> *Cultor odoratæ dives Arabs ſegetis.*

Idem auctor alibi:

> -- -- -- *urantur odores*
> *Quos tener è terrâ divite mittit Arabs.*

Eodem modo alii Arabem *mollem* dixerunt, quo heîc Tibullus *tenerum*. Sic enim eorum mollitiem & varios odores indicat Manilius in IV.

> *Nec procul in molles Arabes, terram-*
> *que ferentem.*
> *Delicias, variæque novos radicis odo-*
> *res.*

Plautus vero in Pænulo *Arabium* odorem dixit: *Arabius myrrhinusque odor omnia complebat.* Et Ovid. in Epiſt. Sapphus ad Phaonem:

> *Non Arabo noſter rore capillus olet.*

Ubi tamen obſervandum, Veteres non tantum Arabum unguentis de-

diſſe

diſſe *roris* nomen, ſed & aliis: inde opinor, quia capillorum ornatrices unguenta ſtillabant, & quaſi *rorabant*, quod videre eſt ex illo Tibulli l. III.

Stillabat Tyrio myrrhea rore coma

Sed tranſeamus ad Græcos, & perpendamus num & illi Arabiæ unguenta originem debere dicant. Herodotum hoc feciſſe indicant ejus verba lib. III. Πρὸς δ' αὖ μεσαμβρίης ἐσχάτη Ἀραβίη τῶν οἰκεομένων χωρέων ἐστί. Ἐν δὲ ταύτῃ λιβανωτός τε ἐστι καὶ μούνη χωρέων πασέων φυόμενος, καὶ σμύρνη, καὶ κασσίη, καὶ κιννάμωμον, καὶ λήδανον. *Ad meridiem ultimâ e regionibus, quæ habitantur, Arabia eſt, in quâ ſolâ omnium naſcuntur thus, myrrha, Caſia, Cinnamonum, & Ledanum.* Et idem auctor alibi de Arabiâ: Ἀπόζει δὲ τῆς χώρης τῆς Ἀραβίης θεσπέσιον ὡς ἡδύ. i. e. *Redolet Arabica regio mirificè jucundo quodam odore*; quibus aſſentit Lucianus in libro, quem inſcripſit de Deâ Syriâ: Ἀπόζει δὲ αὐτοῦ ὀδμὴ ἀμβροσίη, οἵη λέγεται τῆς χώρης τῆς Ἀραβίης. Cujus eſt ſenſus: *Odorem autem divinum ſpirat, qualem Arabica regio fertur ſpirare.* Ex quibus hactenus adductis, ſatis, ſpero, apparet vetuſtus unguentorum mos eo-

rumque primaria origo. At inſtituti noſtri memores, unguenta ipſa conſiderabimus, & quid circa illa obſervatum olim fuerit, quantum quidem ex veterum & recentiorum ſcriptorum monumentis obſervare nobis licuit, videbimus.

Primò itaque occurrit unguentorum diverſum genus. Ea enim non unius fuiſſe generis nemo facilè inficias ire poterit; itaque non eſt, ut operosè hanc rem probare conemur. De multis ac variis Indorum oleis miranda refert Photius in Cteſ. Excerpt. Indicis: Ὅτι λίμνη ἐστὶν ἐν αὐτοῖς, σταδίων ὀκτακοσίων ἡ περίμετρος, ἐν ᾗ ἀνέμου μὴ πνέοντος ἐπάνω τῆς λίμνης ἔλαιον (ὡς τὸ ἡμέτερον) ἐφίσταται. καὶ πλοιαρίοις πλέοντες διὰ αὐτῆς, ἐκ μέσης αὐτῆς σκαφίοις τοῦ ἐλαίου ἀπαρύονται καὶ χρῶνται. Χρῶνται δὲ καὶ σησάμῳ. Καὶ τῷ καρυΐνῳ δὲ χρῶνται. Κρεῖσσον δὲ τὸ λιμναῖον. i. e. *Lacus eſt apud eos octingentorum ſtadiorum ambitum habens, cui quoties a nullo vento agitur, oleum (noſtro ſimile) ſupernatat. Quod quidem ex ejus medio Scaphis hauriunt, navigiolis per eum navigantes, atque eo utuntur; utuntur autem & oleo, & ſeſamo, & ex nucibus, ſed præſtantius eſt, quod e lacu illo hauritur.*

Ha-

Habuerunt & aliud oleum, quo ſeſe inungebant, quodque e lacte conficiebatur, de quo in iisdem excerpt. Οἱ δὲ ἄνδρες οὐ λούονται μὲν, τὰς δὲ χεῖρας ἀπονίζονται. Ἐλαίῳ δὲ χρίονται τρεὶς τοῦ μηνὸς, τῷ ἀπὸ τοῦ γάλακτος γινομένῳ, καὶ ἐκτρίβονται δέρμασι. *At viri ſe non lavant, ſed manus duntaxat abluunt. Sed ter in menſe oleo ſe ungunt, quod e lacte conficitur, & ſe pellibus abſtergunt.* De mirabili quodam oleo ex verme confecto idem talia profert: Ἀγρεύσαντες δὲ, τριάκοντα ἡμέρας κρεμῶσιν αὐτὸν, καὶ ἀγγεῖα ὑποτιθέασι. Καὶ ῥεῖ ἐξ αὐτοῦ ὅσον δέκα κοτύλας Ἀττικὰς τὸ πλῆθος. Ὅταν δὲ παρέλθωσιν καὶ τριάκοντα ἡμέραι, ἀπορρίπτουσι τὴν σκώληκα, καὶ τὸ ἔλαιον ἀσφαλισάμενοι ἄγουσι τῷ βασιλεῖ μόνῳ τῶν Ἰνδῶν. Τοῦτο τὸ ἔλαιον (ὥσπερ) ἐφ' ᾧ ἂν ἐπιχυθῇ ἀνάπτει, καὶ καταφλέγει ξύλα καὶ ζῷα. Καὶ ἄλλως οὐ σβέννυται εἰ μὴ πηλῷ πολλῷ τε καὶ παχεῖ. *Ubi ceperunt, per triginta dies ſuſpenſum, vaſis ſuppoſitis relinquunt; intra quod tempus ex eo diſtillant, quæ decem Cotylas Atticas implere poſſint. Elapſis triginta diebus ipſum vermem abjiciunt, oleum autem adhibitis cuſtodibus ad ſolum Indorum regem mittunt. Oleum hoc, id, cui ſuperfuſum fuerit, accendit, & ligna pariter animaliaque comburit,*

burit, ſoloque luto, eo quidem craſſo, extingui poteſt. Paucis poſtea interjectis fragrantiſſimum quoddam oleum, Myrorhodinum nomine, cujus odor ad quinque ſtadia pervenit, ita deſcribit: Ὅτι ἐστι δένδρα ἐν Ἰνδοῖς ὑψηλὰ ὥσπερ κέδρος ἢ κυπάρισσος, τὰ δὲ φύλλα ὥσπερ φοίνιξ, ὀλίγον πλατύτερα. Ὀνομάζεται δὲ Ἰνδιστὶ μὲν Κάρπιον, Ἕλλησι δὲ μυρορόδα. Ῥέουσι δὲ ἐξ αὐτῶν ἐλαίου σταγόνες, ἃς ἐρίῳ ἀναψῶντες ἀπὸ τοῦ δένδρου, ἀποπιέζουσιν εἰς ἀλαβάστρους λιθίνους. Ἔστι δὲ τὸ μὲν χρῶμα, ἀτρέμας ὑπέρυθρον καὶ ὑποπαχύ, ὄζει δὲ πάντων ἥδιστον. Ὄζειν δὲ φασὶν αὐτὸ καὶ ἐπὶ πέντε σταδίους. Quæ verba ex verſione ita legimus: *Habent Indi arbores Cedro aut Cupreſſo proceritate pares, quarum folia Palmæ foliis paulò latiora, alioqui ſunt ſimilia; Nomen illis eſt Indicum, Carpion. Græcum verò Myrorhoda. Ex illis olei guttæ diſtillant, quas lanâ arbori impreſſâ excipientes, in lapideos Alabaſtros, illam exprimendo, infundunt. Eſt autem id ſubrubrum, & craſſiuſculum, adeoque fragrans, ut ad quinque ſtadia ejus odor perveniat.* Sed hæc de Indis ſufficiant. De veterum Ægyptiorum unguentis, quibus adverſus culices ſunt uſi, talia ſcribit Herodotus in Euterpe: Ἀλείφαλι

φαλι δὲ χρέωνται Αἰγυπτίων οἱ περὶ τὰ ἕλεα οἰκ ονῖες, ἀπὸ τῶν σιλλικυπρίων τοῦ καρπου τὸ καλεῦσι μὲν Αἰγύπτιοι κίκι. Ποιεῦσι δὲ ὧδε. Παρὰ τὰ χείλεα τῶν τε ποταμῶν καὶ τῶν λιμνέων σπείρουσι τὰ σιλλικύπρια ταῦτα Τὰ γὰρ ἐν Ἕλλησι αὐτόματα ἄγρια φύεται, ταῦτα ἐν τῇ Αἰγύπτῳ σπειρόμενα, καρπὸν φέρει πολλὸν μεν, δυσώδεα δὲ. Τοῦτον ἐπεὰν συλλέξωνται, οἱ μὲν κόψαντες ἀπιποῦσι. Οἱ δὲ καὶ φρύξαντες ἀπέψουσι, καὶ τὸ ἀπορρέον αὐτοῦ συγκομίζονται. Ἐστι δὲ πῖον, καὶ οὐδὲν ἧσσον τοῦ ἐλαίου τῷ λύχνῳ προσηνές. Ὀδμὴν δὲ βαρέαν παρέχεται. Πρὸς δὲ τοὺς κώνωπας ἀφθόνους ἐόντας ταδέ σφι ἐστὶ μεμηχανημένα. e. i. *Ægyptii qui Paluſtria accolunt, unguento utuntur ex fructu Sillicypriorum, quod appellant Ægyptii Kiki, hunc in modum conficientes. Sillicypria hæc, quæ apud Græcos ultrò naſcuntur, ad oras fluminum ſtagnorumque ſerunt, multum quidem fructum ferentia, ſed graveolentem. Hunc ubi collegerunt, alii contuſum ad ignem, alii in ſartagine coquunt & quod ex eo defluit excipiunt, pingue quiddam, & non minus ad Lucernas idoneum, quam oleum, ſed graveolentiam exhibens. Sunt autem adverſus culices, quorum magna vis eſt, hæc ab iis excogitata.*

Sed ne in remotioribus diutius juſto

ſto detineamur, redeamus ad propiora & intueamur, quæ olea ac unguenta inter ipſos Græcos ac Romanos in uſu fuerint. Si eorum Scriptores perſcrutamur, nullum certè inveniemus *Nardino* vel præſtantius vel laudabilius: quod pro varietate loci, ubi naſcitur, varia quoque nomina induit. Horatius lib. II. Od XI. *Nardum Aſſyriam* dixit; ubi Aſſyria pro Syria ponitur, non quidem, quod in Syria ſemper Nardus naſcatur, ſed quod montis, in quo oritur, pars una ad Syrios, pars altera ad Indos flectatur; unde etiam iterum nomen mutat, ac *Nardus Indica* dicitur. Vid. Dioſcorid. lib. I. Eâdem ratione Nardus, quæ in Perſiâ oritur (vel fortaſſis eâdem in regione, quâ Syria, Perſiam tamen propiùs adjacente) *Achæmenia* ab Horatio vocatur, id eſt, Perſica, Achæmenes enim Perſarum rex fuit, à quo hoc nomen ortum traxit. Ita enim habet in Epod. Od. XIII.

Nunc & Achæmenia
Perfundi Nardo juvat.

Iterum verò depoſito nomine lib. III. Od. I. ab eodem rege vocatur *Coſtum*

Achæ-

Achæmenium Tibullus vero lib. III. El. VI. *Tyrium* Nardum pro *Syrio* dixit; vel quod in Tyriorum regione Nardus naſcebatur, vel potius quod Tyrus, ut quidam volunt, in Syriâ fuerit ſita: odores enim laudatiſſimi, & omnis copia narium (uti Horatius loquitur) e Syriâ. Hinc, ut ſupra dictum eſt, Aſſyriæ Nardi. Idem Horatius etiam alibi *Syræ merces* commeminit, quum unguentum intelligi vellet Malobathrum, quod ab eo lib. II. Od. VII. *Syrium* appellatur, quia (ut vult Douza, & Voſſius) *e Syriâ* mari mediterraneo in Græciam atque Italiam portabatur. Scaliger verò exercitat. CXLVI. §. II. autumat, ita dici non a natalibus, ſed officinæ loco; quemadmodum calamus Aromaticus à Græcis quidem κάλαμος Συριακός, à Romanis vero *Alexandrinus* dicebatur, quia ad illos *è Syriâ* ad hos *Alexandriâ* apportaretur. Vult autem Dioſcorides lib. I. cap. XI. & Scaliger in notis ad Propertium, Malobathrum in Indicis paludibus naſci. Hinc Voſſius arbitratur, *Indicam* eſſe appellationem, forte ex *Tamalabathra* quomodo *folium Indicum* ab Indis hodie vocatur. Alii

Alii autem volunt, *Malobathron* Indis dici *Bathron*, & creſcere in loco Indiæ hodie dicto *MALABAR*, indeque vocem formari *Malobathron*. Plura vide ſis apud Matthiolum ad Dioſcorid. Verum non hîc omittendam duco Nardi præſtantiam, quam vel hinc colligere licet, quòd ex variis oleis inter ſe commixit *Omphacino*, *Balſamino*, *ligno balſami*, *flore junci odorati*, *calamo odorifero aromatico*, *amaracô*, *coſto*, *amomo*, *nardo*, *caſſiâ odoratâ*, *fructibus balſami & myrrhâ* conſtiterit: qui vero illud pretioſiſſimum reddere volebant, adjungebant *Cinnamomum*. Conf. quæ habet G. Du Choul in tractatu de Balneis. Hinc igitur non miremur, quod Marcus Evangeliſta his verbis eam indicet: Νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς, cujus etiam pretium oſtendit, dum paulo poſt diſcipulos ita loquentes introducit: Ἠδύνατο γὰρ τοῦτο πραθῆναι ἐπάνω τριακοσίων δηναρίων: quo pretio Plinius etiam nardum æſtimat. Cauſam verò tanti pretii indicat ætatis ſuæ decus If. Caſaubonus exercitat. XIV. *quòd nempe illis temporibus unica fuerit urbs Laodicea. quæ unguentum hujusmodi cum laude effecerit.* *Nec multo ante*

Gal-

Galeni tempora in aliis etiam urbibus cæperit fieri, quod commendaretur. Imprimis verò admiratione dignum, quod interpres Syrus, qui ſæpiùs voces, quæ ſignificatione primâ Græcæ eſſent, ex uſu ejus temporis ſervavit, hanc tamen immutarit: & potiùs ſenſum, quam vocem expreſſerit. Nam *unguenti caput* dixit, quo ipſo eleganter certè præſtantiam ſignificavit hujus unguenti. Quemadmodum etiam Hebræis שמן ראש dicitur, quod caput eſt unguenti; & Germanis Haupt-Salbe. Theophylactus vero ἄδολον interpretatus eſt: ingeniosè profectò: Nardum enim puram ἀψευδῆ antiquis dictam fuiſſe, alibi jam oſtenderat, & ſanè περὶ τὸ δολοῦν τὴν νάρδον, quæ τῇ πιστικῇ ſive ἀληθεῖ opponitur lib. I. cap. VI. egit Dioſcorides. Eandem quoque præſtantiam reſpicit Horatius, quum cadum integrum vini optimi exiguo Nardi vaſculo elici poſſe ait. Lib. IV. od. XII.

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Sed pergamus ad reliqua & conſideremus, quæ præterea olea uſurpaverint delicatæ mentes. Quædam

olea illorum è *floribus* compoſita erant, ſicut *Rhodinum*, *Lirinum*, aut *Cyprinum*, quod poſterius conficiebatur ex flore cujuſdam arboris *Cyprus* dicta, florem album ac valdè odoriferum gerentis, ut teſtatur Dioſcorid. Hæc arbor in plurimis provenit locis, potiſſimum vero in inſulâ Cypro, unde, ut arbitror, ipſi nomen datum.

De unguento *Baccarino* apud Ariſtophanem fit mentio, cujus herba dicitur *Baccar*, florem ferens purpurei coloris. De quo oleo multa apud Comicos, & præcipuè Hipponacem, ita alicubi loquentem: Βακκάρει δὲ τὰς ῥῖνας ἤλειφεν. Æſchylus autem differentiam videtur poſuiſſe inter Baccarinum & alia unguenta, cum ait: Ἔγωγε τὰς βακκάρεις τε καὶ μύρα. *Peto baccarinum & unguenta.*

Habebant etiam *Crocinum* unguentum, quod ex aromatis fiebat & Croco in oleo macerato, ut ait Dioſc. lib. I. dicitur à Croco Crocinum, ut ab Amaraco Amaracinum.

Habuerunt quoque *Gleucinum* & *Myrrhinum*; prius Græci dixerunt γλεῦκος; quod Columell. l. XIII. c. L. componi vult è ſimplicibus odori-

odoriferis, & Plinius lib. XXIII. oleum illud inter artificialium ſpecies collocat. *Myrrhinum* verò compoſitum erat ex myrrhâ; illa autem præ cæteris melior, quam *Oronteam* dixere, non (ut vult Scaliger) quod *in Syriâ* naſceretur, ſed quia *Antiochiam*, eo tempore totius orientis celeberrimum emporium, Camelis deferretur. De hâc Propert. lib. I.

Aut quid Orontea crines perfundere
myrrhâ.

Legimus etiam de Achaicâ myrrhâ, ſive Græcâ, i. e. quæ in Ciliciâ & Amano monte, juxta Voſſii ſententiam, proveniebat, apud Columell. cujus verba ita ſonant.

Et lacrymas imitata tuas Cinyreia
virgo
Sed melior ſtacte ponatur Achaica
myrrha.

Hoc myrrhinum unguentum alio nomine ςακτὴ dicitur; quare quando Latini myrrhæ, hoc eſt, myrrhini unguenti meminere, *Stacten* intelligunt ut ex loco jam è Propertio adducto ſatis paret. Hoc vero unguentum è *ſolâ myrrhâ* factum eſt, ut ait Athe-

 næus.

næus. Quid autem Σϛακτή ſit, docet Theophraſtus libello περὶ ὀσμῶν; ubi tamen etam *ex cinnamomo* fieri ſcribit: Ἐκ κινναμώμου, inquit, καὶ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. Στακτὴ δὲ καλεῖται διὰ τὸ μικρὸν ϛάζειν. Idem quoque præter Theophraſtum affirmat Dioſcorid. l. I. cap. LXXV. Errat itaque Plinius l. XII. c. XV. ita de Myrrhâ arbore inquiens: *Sudant ſponte, priusquam incidantur, ſtacten dictam.* Ex quibus ſatis apparet, putaſſe Plinium Stacten fluere ex myrrhæ arbore, non autem ex myrrhâ jam cæsâ. Uſus etiam hâc voce Plautus in Curcul. Act. I. Sc. II.

Tu ſtacte, tu cinnamomum, tu roſa, tu crocinum, & caſia es. Et Lucret. lib. II.

Sicut amaracini blandum ſtactæque liquorem.

Aliud etiam quiddam ex myrrhâ confici, quod tamen oleum propriè dici non poteſt, quippe durius ſicciusque, πλαϛὴ dictum, indicat locus Theophraſti in Hiſt. Plant. lib. IX. c. IV. Τῆς σμύρνης ἡ μὲν ϛακτὴ, ἡ δὲ πλαϛὴ. Πλαϛὴ igitur erit, quæ in offulas & paſtillos fuit convoluta; id enim

Græ-

Græci dicunt πλάσσειν & ἀναπλάσσειν. Unde etiam ipſi nomen, teſtante Voſſio. Ad ſuffitum ergo magis idoneum videtur, quam ad unguendum.

Alia præterea unguenta fiebant ex *herbarum foliis*, veluti *foliatum*, quod nomen ſuum accepiſſe creditur, quòd conſtiterit ex foliis Nardi, coſti &c. teſte Plinio lib. XIII. c. I. cujus etiam meminit Martialis in Apophoretis. *Amaracinum*, quod erat ex Amaraco vulgo *Majoran* apud Belgas dicto. Syris verò & Ægyptiis *Sampſucum* dicebatur, de quo Plinius l. XXI. c. XI. *Amaracum*, inquit, *Diocles medicus & Sicula gens appellavere, quod Ægyptus & Syria Sampſucum.* Quod idem Dioſcorides affirmat, dum σάμψυχον à Cizycenis & Siculis *amaracum* vocari ait; videmus igitur Amaracum & Sampſucum idem fuiſſe, quod tamen Artemidorus Oneirocriticῶν l. I. c. LXXIX. hâc ſuâ diſtinctione debilitat: inquiens: σισυμβρίου δὲ, καὶ ἀμαράκου, καὶ λαπάθου, φρυγίου, καὶ ἑλενίου, καὶ ἀνεμώνης, καὶ σαμψύχου ςεφάνοις ἀναδεῖσθαι, πᾶσι πονηρόν, i. e. *ex Siſymbrio autem, & Amaraco, & Rumice, & Phrygio, &*

Helenio, & Sampſuco coronas circumdatas habere, omnibus malum eſt. Erit igitur Sampſucinum oleum juxta Plinium & Dioſc. idem, quod Amaracinum,. cujus meminit Lucretius, lib. VI.

> *Denique Amaracinum fugitat ſus, & timet omne*
> *Unguentum. Nam ſetigeris ſubus acre venenum eſt.*

Ex quo etiam loco lucem haurit Gellii illud: *Vetus adagium eſt, nihil cum fidibus graculo, nihil cum Amaracino ſui.* Optimum inveniebatur hoc unguentum in inſulâ Coo, & præcipuè hyberno tempore etiam utile erat, atque hinc illis, qui frigidas incolebant regiones.

Quædam porro unguenta componebant *è radicibus ac corticibus arborum*, ut ex Cinnamo, vel Cinnamomo *Cinnamominum*, cujus fruticem ita diſcribit Plinius lib. XII. c. XIX. *ipſe frutex duûm Cubitorum altitudine ampliſſimus palmique minimus, IV. digitorum craſſitudinis, ſtatim à terra ſex digitis ſurculoſus, arido ſimilis. Cum viret, non odoratus, folio origani, ſiccitate gaudens, ſteriliter imbre, caducæ naturæ. Gignitur*

tur in planis quidem, ſed denſiſſimis in vepribus, rubisque, difficilis collectu. Metitur non niſi permiſerit Deus. Sed & Regionem ubi creſcat Cinnamon eopſe capite indicat. *Cinnamomon, idemque Cinnamon naſcitur in Æthiopiâ Troglodytis connubio permixtâ.* Pro optimo verò Cinnamo habetur, quod appellatur *Moſylicum*, de quo conſulas Dioſcoridem & Oribaſium. Digniſſima autem notatu ſunt quæ de ejus collectione refert Herodotus lib. III. c. CXI. Ὅκου γὰρ, inquiens, καὶ ἥτις μιν γῆ ἡ τρέφουσά ἐστι, οὐκ ἔχουσι εἰπεῖν· πλὴν ὅτι λόγῳ εἰκότι χρεώμενοι. Ἐν τοῖσι δὲ χωρίοισι φασί τινες αὐτὸ φύεσθαι ἐν τοῖσι ὁ Διόνυσος ἐτράφη. Ὄρνιθας δὲ λέγουσι μεγάλας φορέειν ταῦτα τὰ κάρφεα τὰ ἡμεῖς ἀπὸ Φοινίκων μαθόντες, κιννάμωμον καλέομεν. Φορέειν δὲ τοὺς ὄρνιθας ἐς νεοσσιὰς πεπλασμένας πηλῷ πρὸς ἀποκρήμνοισι οὔρεσι ἔνθα πρόσβασιν ἀνθρώπῳ οὐδεμίαν εἶσθαι. Πρὸς ὦν δὴ ταῦτα τοὺς Ἀραβίους σοφίζεσθαι τάδε. Βοῶν τε καὶ ὄνων τῶν ἀπογινομένων καὶ τῶν ἄλλων ὑποζυγίων τὰ μέλεα διαταμόντας ὡς μέγιστα, κομίζειν ἐς ταῦτα τὰ χωρία. Καὶ σφεα θέντας ἀγχοῦ τῶν νεοσσιέων, ἀπαλλάσσεσθαι ἑκὰς αὐτέων. Τὰς δέ ὄρνιθας καταπετομένας, αὐτῶν τὰ μέλεα τῶν ὑποζυγίων

ἀναφορέειν ἐπὶ τὰς νεοσσιάς. Τὰς δὲ, ἐ δυναμένας ἴσχειν καταρρήγνυσθαι ἐπὶ τὴν γῆν. Τοὺς δὲ ἐπιόντας συλλέγειν οὕτω μὲν τὸ κινάμωμον. Quæ verba ita redduntur: *Quomodo, aut quâ in terrâ gignatur, illud nequeunt dicere, niſi quod probabili ratione utuntur; quod quidam volunt id gigni in iis regionibus, ubi Dionyſus educatus eſt: & ipſas Cinnamomi feſtucas afferri à grandibus quibuſdam alitibus ad nidos è luto conſtructos in præruptis montium, & homini inacceſſis. Contra quas hoc Arabes excogitarunt: boum aſinorumque defectorum & aliorum jumentorum membra minutatim conciſa in ea loca portant: & ubi juxta nidos poſuere, procul abſcedunt. Ad hæc fruſta delapſæ volucres, ad nidos ſuos carnem comportant. Cui ſuſtinendæ impares nidi ad terram diſciſſi labuntur. Tunc ad eos colligendos accedunt. Hac ratione Cinnamomum ab illis legitur.* Unguentum autem ex eo confectum fuit pretioſiſſimum & maximi ſumptus: non enim antiquitùs ita fiebat, ut hodie apud nos, ſed conficiebatur ex oleo Balſamino, è ligno balſami, & ſquinanto, (qui flos eſt junci odorati aromatici, ſecundum Dioſc.) Cinnamomo, & balſami fructu: his admixtum quatuor vicibus

cibus tantum myrrhæ, quantum primò cinnamomi, & tantundem mellis, quantum ſufficit ad omnia illa ſimul humectanda. Hodie vero tale unguentum conficere foret difficillimum, imò quaſi *ἀδύνατον*; quia verum Cinnamomum, & quale hic deſcribitur, plane hodiè eſt incognitum, prout dicunt, qui aromata ex Indiâ petentes adferunt. Unde pro Cinnamomo hodie ſumitur Cortex odoratus, nobis dictus *Caneel*. Prætereà avis cujusdam, quam Cinnamomum quoque appellarunt veteres meminit Philes in his Jambis:

Ὄρνις δ' ὁ Κιννάμωμος ὠνομασμένη
Τὸ κιννάμωμον εὗρεν ἀγνοούμενον.

Fuit fortaſſe illarum una, de quibus modo ſcripſit Herodotus, quod Cinnamomum in nidos deferant: id enim quodammodo alter illuſtrat Jambus. Sed ut ad unguentum noſtrum redeamus hujus Cinnamomi durabilitas obſervanda venit, quam ſummoperè laudarunt ſcriptores, eò quod diutiſſimè conſervet à putredine, & odorem ſuum longo tempore non amittat. Lucanus lib. X.

— — — multumque madenti
Infudere Comæ, quod nondum evanuit aura
Cinnamon, externa nec perdidit aëra terra.

Admiranda vero de ejus durabilitate hiſtoria, quod nempè tale Cinnamum longiſſimo tempore pòſt repertum fuerit in ſepulcro Mariæ Stiliconis filiæ, conjugis Honorii Imperatoris, quam tradit Andreas à Lacuna à Barthio laudatus, quibus convenit quod canit Papinius lib. VI. Thebaid.

Tertius aſſurgens Arabum ſtrue tollitur ordo
Eoas complexus opes, incanaque glebis
Thura, & ab antiquo durantia cinnama Belo.

Quantum verò ad cætera olea; haud minoris quoque fuiſſe æſtimationis *Balſaminum*, non eſt ut operosè demonſtremus: Satis enim id apparet ex Apuleji verbis, l. II. Mileſ. *Licet omni Gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo ſuccincta, cinnama fragrans, & balſama rorans calva proceſſerit, placere non poterit nec Vulcano ſuo.* Quibus è verbis

verbis illud obſervare non erit indignum, quod quomodo Servius ad II. Georg. & Iſidorus lib. XVII. c. VIII. Balſamum arborem vocari ajunt, & ſuccum ejus opobalſamum, hoc in loco tamen Apulejus Dioſcoridem ſit imitatus, cui balſamum eſt, tum liquor aromaticus, tum planta viti ſimilis, & fragrantiſſimum illum odorem fundens. Nequaquam tamen negamus, liquorem illum differentiæ causâ interdum vocari opobalſamum, id eſt, ſuccum ſeu liquorem arboris; Nam ὀπὸς ſuccus ſeu ſponte, ſeu ſcarificatione ex vulnere vitro, lapide, oſſeisve cultellis inciſo emanans. Teſtem in hâc re ſe nobis offert Plinius lib. XII. c. XXV. *Succus è plagâ manat, quem ὀποβάλσαμον vocant, ſuavitatis eximiæ, ſed tenui guttâ.* Dioſcorides quoque nunc ὀποβάλσαμον, nunc diviſim ὀπὸν τῦ βαλσάμυ vocat. Plinio autem eſt oleum balſaminum quod Simeon Sethus βαλσαμέλαιον appellat. Juſtinus verò opobalſamum pro ipsâ arbore, balſamum vero pro ſucco poſuit, ordine planè inverſo; de arbore ſcribit: *In eâ ſylvâ eſt, & ubertate & amœnitate inſignis; ſiquidem palmeto, & opo-*

balſamo diſtinguitur. Ac alibi: *Arbores opobalſami formam ſimilem piceæ arboribus habent.* De ſucco autem ait: *Hæ arbores certo anni tempore balſamum ſudant.* Impropiè ſanè! Nam vocem ipſam ὀποβάλσαμον indicio eſſe, ac eſſe ὀπὸν τοῦ βαλσάμου, quis eſt, qui non videat? ita uſus eſt hâc voce Juvenal. Sat. II.

-- -- *hirſuta ſpirant opobalſama collo.*

Et Martial. lib. XI. ep. XI.

Laſſa quod heſterni ſpirant opobalſama drauci.

Similiter lignum arboris ξυλοβάλσαμον appellant Servius & Iſidorus locis citatis, ejusque fructus καρποβάλσαμον dicitur apud Dioſcor. & Galenum.

Sed & de *Amomo* aliquid dicamus, quippe cujus præſtantia ex ipsâ voce claret; nam ἄμωμος & ἀμώμητος *irreprehenſus, reprehenſione major* Græcis dicitur. Amomum hoc erat uva ex Indicâ labruſcâ, vel potius (ſecundum Lubin.) frutex labruſcæ ſimilis in Syriâ & Armeniâ proveniens, cujus lignum ita in ſe convolveretur, ut uvam referret. Conferatur de eo Dioſcorid. l. I. c. XIV. Theophraſt.

raſt. Hiſt. Plant. lib. IX. c. VII. Hinc *Cardamomum* eſt, quod conſtat cardamo & Amomo. Cardamum autem propè accedit ad Amomum. Hinc Plinius lib. XII. c. XIII. cum ſuperiùs de amomo verba feciſſet, de Cardamomo ita ſubnectit: *Simile his & nomine, & frutice Cardamomum ſemine oblongo.* Etiam ab Amomo dicitur ἀμωμὶς herba adeò ſimilis amomo, ut, quemadmodum Dioſcorid. ait, hoc eo adulteretur.

Porrò utebantur unguento, *Ambroſia* dicto, quod pereleganter deſcribit Athenæus Deipnoſophiſt. l. IX. prout verba ejus emendavit Iſ. Caſaubonus: Ἡ δ᾽ Ἀμβροσία. ὕδωρ ἀκραιφνὲς, ἔλαιον, παγκαρπία. Ἅπερ ἔμβαλλε. *Eſt autem ambroſia aqua pura, oleum, & fructuum omne genus: hæc miſce ad Ambroſiam*: Sed hæc de unguento Ambroſiâ; alias enim Ambroſiam fuiſſe deorum cibum, notum eſt omnibus, de quo tamen nobis hic ſermo non eſt.

Narciſſinum oleum eſt, quod fit è flore Narciſſi, qui flos gravi ſuo odore torporem adfert, quod claris verbis innuit Plutarchus Sympoſ. l. III. probl. I. Καὶ τὸν Νάρκισσον (ὠνόμασαν

οἱ παλαιοὶ) ὡς ἀμβλύνοντα τὰ νεῦρα καὶ βαρύτητας ἐμποιοῦντα ναρκώδεις.

Irinum verò eſt ex Iridis radice; tempore Plinii in Pamphilia componebatur, indeque in Latium devehebatur; melius verò & fragrantius in Elide civitate Arcadiæ.

Sic *Oenanthinum*, quod eſt è flore vitis Sylveſtris. Carmani, ut Poſſidonius ſcribit, *Roſaceo* utebantur oleo, quia id credebant ebrietati reſiſtere. Apud eoſdem quoque mixtionem fieri olei *Acanthini*, quo Rex corpus ſuum fricari voluit, auctor eſt Theophraſtus etiam libro, quem de odoribus ſcripſit. Meminit olei cujusdam, Græcis ὠμοτριβὲς dicti, quod fieret ex olivis immaturis: Uti etiam oleo *omphacino* miſcebatur ὀμφάκιον, i. e. ſuccus uvæ immaturæ atque acerbæ, de quo videatur Plin. l. XII. c. XXVII.

De unguento *Megalino* mentionem facit Dioſcorides, id appellans μεγάλειον. Vid. lib. I. c. VI. quod Plinius Megalium appellat, ac vel à magnis viribus, vel ab eâ μεγαλείως ſignificatione, quâ notat ejus magnificentiam, ſive virium magnitudinem nomen accepiſſe indicat. Talia

lia enim ſcribit lib. XIII. c. I. *Telinum unguentum erat celeberrimum Menandri Poëtæ Comici ætate. Poſtea multo ſucceſſit propter Gloriam appellatum Megalium.* Athenæus vero in XV. ab inventore Megallo, homine Siculo ita dictum eſſe affirmat. Cui etiam conſentit Etymologus: Μεγάλειον, ἐςὶ μύρον ἀπὸ Μεγάλȣ Σικελιώτȣ πρώτȣ ἑυρόντος. Eadem etiam Suidæ ſententia eſt.

Telinum autem unguentum, quòd ſuperiùs laudavit Plinius, ſic à Telo maris Carpathii inſulâ appellatum fuiſſe putat Iſidorus l. IV. c. XII. qui tamen, cum hanc inſulam neſciret, Delum pro Telo dixit. Digna ſunt ejus verba ut audiantur: *unguenta, inquit, quædam dicuntur à locis, ut Telinum, cujus Julius Cæſar meminit, dicens: Corpus ſuavi telino ungimus. Hoc conficiebatur in inſulâ Delo, quæ eſt una è Cycladibus.* Verum hæc ſententia falſa videtur, ſi audiamus, quæ Dioſcorid. lib. I. c. LVIII. de Telino docet; ibi enim τηλίνȣ σκευασίαν explicaturus, ſumere jubet τήλεως λίτρας έ. Ελαίȣ λίτρας θ'. &c. Secundum Dioſcoridem igitur μύρον τήλινον dicitur, quia præcipua pars, ex quibus confi-

conficitur, eſt τῆλις; quod Latinis eſt *fœnum Græcum.* Sic ſimiliter τήλιναν ἄλευρον Græcis eſt *farina ex fœno græco* confecta. Sed hanc quoque ſententiam Plinius amplectitur lib. XIII. c. I. *Telinum fit ex oleo recenti, cypero, calamo, meliloto, fœno Græco, melle, melino, maro, amaraco.* Porrò de telino unguento, (ut Græcos mittam) è Latinis talia loquitur Tertullianus lib. de Pallio c. IV. *quod apud Omphalen balſamo, aut telino ſpero factum.*

Sambucinum oleum dicitur, quod confectum eſt ex ſambuco, Belgis *een vlierboom*, oleum vero apud nos *vlierolie* appellatur, de quo vid. Dioſcorid.

De *unguento Veneris* mentionem facit Homerus, quod ab ipſo κάλλος vocatur οδ. Σ. dictum quoque fuit κῦδος Ἀφροδίτης: ex quibus verò fuerit compoſitum, non conſtat. Aliqui affirmant eſſe Anchuſam; plures tamen Brenthium, aut Baccharin, quæ ſunt genera τῶν παχέων μύρων. Vid. Heſychius, qui hunc in modum Βρενθινὰ ῥιζάρια· τινὰ οἷς ἐρυθραίνονται αἱ γυναῖκες τὰς παρειὰς, οἱ δὲ αἴσχουσαν, οὐκ εὖ. Οἱ δὲ φῦκος παρεμφορὲς κύδει Ἀφροδίτης.

Adda-

Addamus hiſce unguentis *Balaninum*, quod ita nominarunt veteres ἀπὸ τῶν βαλάνων, quas Latini glandes dixerunt, earum ſcillicet arborum fructum, quas glandiferas inde appellamus, qualis quercus, robur &c. Hanc Phœnicibus quoque Balanum dictam fuiſſe legitur apud Plinium l. XIII. c. IV. *In aliquâ parte Phœnices, Ciliciæque populari etiam nomine à nobis appellantur Balani.* Ex glande itaque conficiebatur hoc unguentum, ſed glande unguentariâ; βάλανος enim μυρεψικὴ intelligenda eſt, quam uno verbo μυροβάλανον vocat Plinius l. XIII. c. XXI. ubi ſignificat, nomen huîc Balano, ſive Glandi, ab unguento eſſe impoſitum, quia liquor ejus magis proprius & uſitatior eſſet in pretioſorum ac odoriferorum unguentorum compoſitionibus. Verba ejus hic apponam: *Myrobalanum*, inquit, *Troglodytis, & Thebaidi, & Arabiæ, quæ Judæam ab Ægypto diſterminat, commune eſt, naſcens unguento, ut ipſo nomine apparet.* Ea porrò glans à diverſis regionibus ubi naſcitur & Æthiopica, & Arabica, & Syriaca nominatur. Quondam è regione Barbaricâ fuit allata;

allata; (quæ ſecundum eruditorum judicium Æthiopia fuit, aut pars ejus Troglodytis, quod Plinii ſententia paulo ſuperiùs adducta confirmare videtur) & utebantur liquore de carne ejus fructus extracto unguentarii, ut ſcribit Galenus. Optima autem ejus proprietas eſt, quod, licet longiſſimo tempore conſervetur, nunquam tamen exſiccetur, unde etiam factum, quod humectaverint Myropolæ compoſitiones ſuas odoriferas hoc oleo Balanino; erant enim ſecuri illas conſervari poſſe, nil timentes temporum injurias. De hoc Myrobalano ſic ἀστεΐζει Martial. in Apophor. LV.

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus
Hoc ex unguento conſtat, & ex Balano.

Præter hæc omnia, oleum *Regium*, Græcis βασίλειον dictum, magno quoque in precio erat, quo utebantur Parthorum reges, ejusque compoſitionem deſcribit Plinius. In Perſiæ quoque montibus inveniri nuces Perſicas, è quibus oleum conficiebatur Regium, auctor eſt Amyntas. Meminit etiam Herodotus olei cujus dam

dam regii, quod (ut ſuperiùs monui) è verme fiebat. Alio tamen loco ita de eo ſcribit: τȣ͂το δὴ τὸ ἔλαιον βασιλεῖ τῶν Ἰνδῶν κομίζȣσι, σημεῖα ἐπιβάλλοντες ἔχειν γὰρ αὐτȣ͂ ἄλλον ȣ̓δ᾽ ὅσον ῥανίδα ἐφεῖναι, i. e. *illud quidem oleum Regi Indorum apportant, vaſis obſignatis. Neque enim alii cuidam vel guttam illius poſſidere licet.* Jaſminum apud Perſas erat oleum ex albis floribus violæ, quod inter epulandum uſurpabant odoris causâ, de quo egit Dioſcorides lib. I. c. LXVI.

In unguentorum quoque compoſitionibus veteres *Caſiâ* utebantur, non illâ, quam Virgilius in Bucolicis & Georg. apibus gratiſſimam dicit, ſed odorifera aromatica, cujus meminit Plinius l. XII. cap. XIX. *Frutex & Caſia eſt, juxtaque Cinnami campos naſcitur, ſed in montibus, craſſiore ſarmento, tenue cute verius quam cortice, quem, contra atque in cinnamo, levari, & exinaniri, pretium eſt.* Ex his conſtat Plinii ſententiam fuiſſe in Arabiâ hunc fruticem creſcere, quia juxta cinnami campos eum naſci dicit; At ubi Cinnamon naſcatur ſuperiùs ex ipſo jam vidimus. Quâ etiam in ſententiâ conſentientem habet Ariſtot. hiſt.

 ani-

animal. l. IX. c. XIII. Nec ignoravit hoc Iſidorus lib. XVII. c. VIII. ſcribens *Caſia naſcitur in Arabiâ: virga robuſti corticis, & purpureis foliis, ut piperis. Eſt autem virtutis cinnamomi ſimilis, ſed potentiâ inferior; unde pro cinnamomi vice duplex ejus pondus in medicamentis admiſcetur.* Præterea ſunt, qui putant cinnamum ſive cinnamomum eundem ac caſiam eſſe fruticem, ſed errant; cum Iſidorus ipſi ſimilem duntaxat eſſe dicat, & Plinius loco ſupra c. apertè diſtinguat: quod idem fecit Perſius Sat. VI.

> -- -- -- -- *urnæ*
> *Oſſa inodora dabit, ſeu ſpirent cinnama ſurdum*
> *Seu ceraſo peccent caſiæ, neſcire Paratus.*

Et Martialis:

> -- -- -- -- *Caſiaque cinnamoque.*

odoris quidem ſuaviſſimi eſſe dicunt. Hinc Etymologus κάσίαν dixit quaſi κοσμῦσαν διὰ τῆς ἐυοσμίας τὰς αἰσθήσεις, i. e. *ornantem ac reficientem ſenſus odoris bonitate.* Imò Caſiæ ſpeciem vel deteriorem in *MALABAR* dici *Cais manis*, i. e. dulce lignum, propter maximam dulcedinem ac ſuavitatem apud Garzi-

Garziam legimus. Quomodo verò in Arabiâ caſia comparetur, oſtendit nobis inter alios Herodotus in Thaliâ, hunc in modum: *Caſiam autem ſic. Poſtquam ſibi cum cæterum corpus, tum faciem præter oculos obligaverunt, coriis aliisque pellibus ad Caſiam pergunt. Ea naſcitur in palude non altâ, circa quam, & in quâ degunt feræ alatæ, veſpertilionibus ſimillimæ, ſtridore diro & viribus prævalentibus: quas ab oculis arcentes, ſic caſiam metunt.* At potiùs audiamus ipſum Herodotum Græcâ linguâ loquentem: Τήν ἢ κασσίαν ὧδε. Ἐπεὰν καταδήσονται βύρσῃσι ϗ δέρμασι ἄλλοισι πᾶν τὸ σῶμα, καὶ τὸ πρόσωπον, πλὴν αὐτῶν τῶν ὀφθαλμῶν, ἔρχονται ἐπὶ τὴν κασσίην. Ἡ δὲ ἐν λίμνῃ φύεται ἐ βαθέῃ. Περὶ δὲ αὐτὴν ϗ ἐν αὐτῇ. αὐλίζεται κȣ θηρία πτερωτὰ, τῇσι νυκτερίσι προσείκελα μάλιςα. Καὶ τέτρυγε δεινὸν, καὶ ἐς ἀλκὴν ἄλκιμα. Τὰ δὴ ἀπαμυνομένȣς ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν, ȣτω δρέπειν τὴν κασσίην.

Interim non omittenda duco, quæ & idem auctor paulò inferiùs ſcribit de pingui quodam roſcido, quod inſidebat herbæ, cui nomen *ladon* vel *ledon* (Græcis eſt λῆδον, unde etiam nomen roſcido illo *Ladanum*) ad multifaria unguenta conficienda utili, his

verbis: Τὸ δὲ λήδανον, ὃ Ἀράβιοι καλέουσι λάδανον, ἐκ τούτου θαυμασιώτερον γάρ. Ἐν γὰρ δυσοδμοτάτῳ γινόμενον εὐωδέστατόν ἐστι. Τῶν γὰρ αἰγῶν τῶν τράγων ἐν τοῖσι πώγωσι εὑρίσκεται ἐγγινόμενον, οἷον γλοιὸς ἀπὸ τῆς ὕλης. Χρήσιμον δ' ἐς πολλὰ τῶν μύρων ἐστί. Θυμιῶσί τε μάλιστα τοῦτο Ἀράβιοι. i. e. *At Ledanum (quod Arabes Ladanum vocant) etiam illo* (cinnamomo) *mirabiliùs comparatur, quippe quod in graveolentiſſimo loco naſcens, tamen fragrantiſſimè olet. In barbis Hircorum invenitur innatum, veluti mucor ligni: cum ad conficienda multifaria unguenta utile, tum præcipuè ad ſuffitionem, quâ Arabes utuntur.* De hâc herbâ eadem Plinius lib. XIII. c. XXIII. inquiens: *Lada appellatur herba, ex quâ fit Ladanum, in Cypro barbis caprarum inhæreſcens.* Et Heſychius: Λάδανον τὸ μὲν ἀπὸ τῶν πωγώνων τῶν αἰγῶν, καὶ τράγων. Τὸ ἢ ἀπὸ τῆς βολάνης λήδου. His addam oleum *Siſymbrinum*, quo brachia confricabant, quodque fiebat ex Siſymbrio herbâ, ita dicta à Græcâ voce, σισύμβριον. Qua de re Varro: *Quæ in hortis naſcuntur, alia peregrinis vocabulis, ut Græcis ocymum, menta, ruta quam nunc πήγανον appellant. Item caulis, lapathium, radix. Sic n. antiqui Græ-*

Græci quam nunc raphanum. It. ex Græcis vocabulis ἕρπυλλον, ῥόδον, *additâ & commutatâ unâ literâ, ſerpyllum, & Roſa. Item Græca* κορίανδρον, μαλάχη, κύμινον. *Item Latina, lilium* ἀπὸ λειρίου, *& malva à* μαλάχη, *& Siſymbrium* ἀπὸ σισυμβρίου. Sed hæc de variis Unguentorum generibus hactenus dicta ſufficiant. Plura ſi ſtudioſus lector deſiderat, inveniet ea apud Dioſcoridem, Athenæum & alios. Neque etiam hîc quicquam de hodiernorum Italorum, Hiſpanorum, aliarumque Gentium unguentis & oleis addo, memor inſtituti mei, quo jubeor Gentilium Unctiones tantùm conſiderare. Denique etiam pigmenta & ſiccas antiquorum compoſitiones, Græcis διαπάσματα dictas, Plinio teſte, ad exſiccandos illorum ſudores, qui balnea relinquerent inſervientes, ut deinde aquâ frigidâ ſe lavarent, ſicco hic pede prætereo, quùm alibi fortaſſis commodiorem, meâ quidem opinione, locum hæc talia invenient.

CAPUT II.

DE UNCTIONIBUS SACRIS GENTILIUM.

Ungendi mos in conſecrationibus. Perſonæ ungentes. Pontifices. Statuæ unctæ. Per unctionem lapides Dii fieri credebantur. Aræ ungebantur. Formula in dedicando adhibita, non ſemper eadem. Statuis dedicatis nomina tituliqve inſcripti. Statuarum origo. Statuæ dii nuncupatæ. Termini, cippi dicti. Unde? Termini uncti. Termini ſtipites & ſaxa. Termini Dii. Ἀνδριάντες ςηλῶν, *ſtatuæ impolitæ. Bætylia. Gammati lapides. Moris informes lapides colendi origo. Moris inungendi lapides origo. Bætylus diverſis Diis dedicatus. Ubi ſiti termini? Cur Plato Homerum Unctum & lanâ coronatum è ſuâ Rep. deduci cenſuerit? Quibus ritibus uncti Termini. Viatores colebant Terminos. Termini Agrorum præſides. Fructuum primitiæ Terminis oblatæ. Terminalia feſta. Februarius ultimus anni menſis antiquis. Terminum intra tectum conſiſtere*

ſiſtere

ſiſtere nefas. Agna Terminis ſacrificabant, pulte item ac Libo. Terminos loco movere impium. Termini muris circumſepiebantur. Certum agri ſpacium Terminis donatum. Cur? Diræ contra eos, qui res conſecratas violarent. Imprecationes. Termini Lares Viales. Lar unde? Lares varii. Agricolæ & Ruricolæ Dii. Νόμιοι θεοὶ. *Arbores unctæ.*

Poſtquam varia hactenus Unguentorum genera conſideravimus, videbimus nunc, quis in ſacris actionibus unguentorum fuerit uſus; nihil tamen dicturi de unctionibus Hebræorum cùm Regum, tùm ſacerdotum, paſſim & in ſacris literis, & in multis aliis interpretum locis, imò variis diſſertationibus jam uberrimè celebratis, ſed vel ad ipſos Judæos auctores, memoratas diſſertationes curioſum Lectorem ablegantes, ea duntaxat, quæ ex veterum & recentiorum monumentis, de vetuſtis Latinis ac Græcis obſervare nobis licuit, tractaturi. Certè ſi paulò altiùs rem intueamur, præ cæteris in rebus Diis conſecrandis dedicandiſque ungendi morem viguiſſe apparebit.

In omni enim re Deo alicui dedicandâ conſecratio, ut conſtat, priùs requirebatur, antequam illi ſanctitas & religio accederet. Quod eleganter indicavit Minutius Felix de idolis ad Marcum fratrem: *Quando igitur hic naſcitur?* (Deus ſc.) *Ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur. Nondum Deus eſt, ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur. Nec adhuc Deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur. Tum poſtremo Deus eſt, cum homo voluit, & dedicavit.* Quæ certè conſecratio in omnibus rebus ſacris ſtudiosè obſervabatur, v. g. ſtatuis, terminis, aris, templis, arboribus &c. In illis vero conſecrationibus, quanquam à diverſis gentibus pro diverſitate Deorum conſecrandorum diverſæ etiam ſubinde cærimoniæ adhibebantur; nihil ominus tamen in univerſum præter Coronationes, preces, ſacrificia, & adorationes, perficiebantur quoque per Unctiones.

In quibus ante omnia perſonæ ungentes ſunt obſervandæ, à quibus nempè in conſecratione unctio perficiebatur. Apud Romanos quidem conſecratio fiebat, (cujus pars fuit unctio) per Pontificem, qui & ipſe ut reliqui etiam Sacerdotes unguento

perun-

perungebatur; de quibus evolvatur Virgil. lib. IV. Æneid. & Stuckius f. LV. Aderat vero aut adeſſe ritè debebat in talibus cerimoniis non ſolus Pontifex, ſed cum ipſo plures, imò totum Collegium pontificum: Quod indicat Cicero in oratione pro domo ſuâ contra Clodium, cujus verba ſunt: *Pontifex, inquit, affuit. Non te pudet cum apud Pontifices res agatur, Pontificem dicere, non Collegium Pontificum affuiſſe: Præſertim cum Tribunus Plebis, vel denuntiare potueris, vel etiam cogere?* &c. ac paucis poſteà interjectis, ita pergit: *Hanc tu igitur dedicationem appellas, ad quam non Collegium, non honoribus Populi Romani ïornatum Pontificem, non denique adoleſcentem quemquam, cum haberes in collegio familiariſſimos, adhibere potuiſti?* Non tamen omnes Pontifices, ex quibus conſtabat id collegium, ſemper aderant, ſufficiebat enim, ſi plures adeſſe non poſſent, minor numerus, tres tamen, non verò pauciores, debuiſſe adſiſtere colligo ex verbis Ciceronis in orat. de Haruſpicum reſponſis. Ubi ita infit orator: *De ſacris publicis, de ludis maximis, de Deorum penatium, Veſtæque matris Cærimoniis, de illo ipſo ſacri-*

ſacrificio, quod ſit pro ſalute populi Romani, quod poſt Romam conditam, hujus unius caſti tutoris religionum ſcelere violatum eſt, quod tres Pontifices ſtatuiſſent id ſemper populo Romano, ſemper Senatui, ſemper ipſis Diis immortalibus ſatis ſanctum, ſatis auguſtum, ſatis religioſum eſſe viſum eſt. At horum Pontificum ſi diſpiciamus ordinem ac dignitatem, nullus creabatur ex fæce vulgi, ſed omnes Ampliſſimi viri, & in tali civitate celeberrimi, & conſpicui, qui non ſolum adhibiti ad conſecrationes ritè faciendas, ſed & res quæ malè aut illigitimè ab aliis conſecratæ erant reſecrandas, & omni religione liberandas; quod factum juſſu Senatus ex autoritate, vel horum Pontificum reſponſo per Prætorem Urbanum: Cuncta hæc non obſcurè meo quidem judicio apparent ex eodem auctore, cujus verba oratione ſuperius citatâ ita ſonant: *At vero, meam domum P. Lentulus, Conſ. & Pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Meſſalla, L. Lentulus, Flamen Martialis: P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius, Rex ſacrorum: M. Scaurus, M. Craſſus, C. Curio, Sex.*

Sex. Cæſar, Flamen Quirinalis: Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, Pontifices minores, cauſâ cognitâ, duobus locis dictâ, maxumâ frequentiâ Ampliſſimorum, ac ſapientiſſimorum civium adſtante, omni religione, unâ mente omnes liberaverunt. Vide ibidem plura. Hisce omnibus addendum etiam eſſe cenſeo, Plebis quoque Rom. conſenſum ac juſſum fuiſſe requiſitum; Quod tamen an ſemper obtinuerit ambigo; ex auctore enim citato dubium oritur, talia proferente: *Video enim eſſe legem veterem* (antiquis igitur id tantùm erat temporibus) *Tribunitiam, quæ vetet injuſſu plebis, ædes, terram, aram conſecrare.* Sed de perſonis Ungentibus hæc hactenus, quoniam ad reliqua ordo tranſire jubet.

Statuas nunc Deorum oleo perfuſas & nitentes videbimus. Nam, ut ſupra monuimus, non ſtatim poſt ſculpturam, numinis illius, cujus erant imagines iſtæ ſtatuæ, præſentia ipſis adeſſe credebatur; ſed unctione opus erat, ut per eam conſecrarentur, & poſt conſecrationem demum pro diis haberentur. Quam bene congruant hæc verbis Arnobii, quæ l. I. de ſemetipſo, ſed nondum ad

Chri-

Chriſtianiſmum converſo, loquitur, ex ſeqq. patet: *Lubricatum*, inquit, *lapidem*, *& ex olivi unguine ſordidatum, tanquam ineſſet vis præſens*, *adulabar*, *affabar*, *& beneficia poſcebam nihil ſentiente de trunco &c.* Notanda & hic ſunt Auguſtini verba lib. XVI. c. XXXVIII. de civit. Dei, quibus indicat crediſſe veteres per unctionem lapides fieri Deos: *Nec more*, inquit, *Idololatriæ lapidem perfudit oleo Jacob*, *velut faciens illum Deum. Neque enim adoravit eundem lapidem*, *vel illi ſacrificavit.* De hâc quoque ſtatuarum unctione elegantia ſane verba profert Minutius Felix de Idolis, ad Marcum fratrem, *Non boni viri eſt*, *Marce frater*, *hominem domi foriſque lateri tuo hærentem*, *ſic in hâc imperitiæ vulgaris cæcitate deſerere*: *ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere*: *Effigiatos ſane*, *& unctos*, *& Coronatos.* Uti & Lucianus in Deorum Concilio: Ἀλλὰ ἤδη πᾶς λίθος, καὶ πᾶς βωμὸς χρησμῳδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ, καὶ στεφάνους ἔχῃ, καὶ γόητος ἀνδρὸς εὐπορήσῃ, οἷοι πολλοί εἰσιν. Quæ ita reddidit J. Benedictus: *Sed jam lapis omnis*, *omniſque ara vaticinatur*, *quæ ſit oleo perfuſa*, *& coronas habeat*: *cuique vir præſtigi-*

ſtigiator ſuppetat. Ex quibus verbis apparet, quod etiam aris unctio adhibita fuerit: Quod ſi verò quis dubitaret, an hæc hactenus adducta loca de ſtatuis Deorum intelligi debeant, conſideret, id inde firmiùs colligi, quod termini & hujuſmodi generis lapides vaticinari nunquam perhibeantur, ſed Dii, aut ad minimum Heroës qui eſſent. Addamus his, quæ de Jovis Cteſii unctione apud Athenæum legimus, lib. IX. Deipnoſ: *Jovis Cteſii ſigna ita ſtatuenda; Cadiſcum novum utrinque anſatum operculo tegendum; Simulacri auribus coronam è lanâ albâ imponito. Ex humero ejus dextro lanam ſuſpendito coloris crocei: amicito etiam ut erit tibi commodum, deinde Ambroſiam illi affundito.* Sed potiùs audiamus verba Græca ab Iſ. Caſaubono emendata: Διὸς Κτησίου σημεῖα ἱδρύεσθαι χρὴ ὧδε. Καδίσκον καινὸν δίωτον ἐπιθηματοῦντα στέψαντα ὦτα ἐρίῳ λευκῷ, καὶ ἐκ τοῦ ὤμου τοῦ δεξιοῦ αὐτοῦ καὶ ἐκ τοῦ μετώπου ἄωτον κρόκινον κρεμαννύμεναι, καὶ ἔγχυσθαι ὅτι ἂν εὕρῃς. Εἶτα οἱ χέαι Ἀμβροσίαν. Hanc ſtatuam unguento Ambroſiâ perunctam fuiſſe dicit: quibus vero Ambroſia conſtaret anteá alibi monuimus. Nec hic omittenda duco,

duco, quæ de Hecates ſimulacro ejusque unctione, ac materiâ, quæ unguentum, quo conſecranda erat Hecate, componere debebat, ſcribit Euſebius lib. V. præpar. Euang. Hecaten ita præcipientem introducens:

Α'λλα τέλει ξόανον κεκαθαρμένον ὥς σε
    διδάξω
Πηγάνου ἐξ ἀγρίοιο δέμας ποίει ἠδ' ἐπι-
    κόσμει
Ζώοισιν λεπτοῖς καλοικιδίοις σκαλαβώ-
    ταις
Σμύρνης δὲ στύρακος λιβάνοιο τε μίγ-
    ματα σείψας
Σὺ κείνοις ζώοισι, καὶ ἀθροίσας ὑπὸ
    μήνην
Αὔξουσαν τέλει, αὐτὸς ἐπευχόμενος τήν δ'-
    εὐχὴν.

Purum abſolve mihi ſimulacrum, quale
    docebo,
Sylveſtri è rutâ ſacrum mihi perfice
    corpus:
Accedat tenuis mediisque penatibus er-
    rans
Stellio, quem Styracis, myrrhæ, thu-
    risque Sabæi
Pulvere, creſcentis commiſce ad lumi-
    na Phœbes:
Dumque inſtas operi, ſimul hæc mihi con-
    cipe vota. Qui

Qui verſus poſterior (quod paucis obſervamus) ſatis, ut arbitror, docet, formulam quandam, quam tamen non appoſuit Euſebius, in conſecrationibus fuiſſe adhibitam. Cum enim ſtatuas exſculptas haberent, & dedicare vellent, dedicationis formulâ opus erat, quâ illos lapides certis Diis dedicabant. Formulam vero non ſemper eandem fuiſſe uſitatam omnibus ſatis notum; varias enim videmus apud Livium aliosque. Dedicatis verò atque unctis ſtatuis nomina tituloſque inſcribebant Veteres, ut illis oſtenderetur, nomen Dei Deæque, cui fuerant dedicatæ, ut patet è pluribus inſcriptionibus apud Manutium, Gruterum, & alios. Sed de his inferiùs alio loco agetur. Non verò hic ſilentio prætereundam eſſe puto ſtatuarum originem; admodum enim vetuſtam eam eſſe indicat Epiphanius, cujus verba lubet apponere: Ναχὼρ δὲ, inquit, γεννᾷ τὸν Θάῤῥα. Ἐντεῦθεν γέγονεν ἀνδριαντοπλαστία ἀπὸ πηλουργίας καὶ κεραμικῆς ἐπιστήμης, διά τε τοῦ Θάῤῥου τούτου τέχνης. i. e. *Nachor genuit Tharam. Tunc ſimulacra ficta ſunt figulino opere ex argillâ, artifice Tharâ.* Hæc de artifice Epiphanius. At ſtatuas

Deos eſſe nuncupandas, omnibus religione proſequendas idem Thara primus docuit: ita enim de ipſo Suidas: ἦν γὰρ ἀγαλματόποιὸς ἀπὸ διαφόρων ὑλῶν εἰκόνας ἐργαζόμενος, καὶ λέγων τούτους εἶναι θεοὺς, καὶ ὀφειλεῖν προσκυνεῖσθαι, ὡς αἰτίους τῶν ἀγαθῶν. i. e. *erat* (Thara) *Statuarius, qui imagines ex variâ materiâ faciebat, dicebatque illos eſſe deos, & adorandos eſſe, ut bonorum autores.*

A Statuis nunc ad Terminos, ſive Cippos (ita enim dicebantur Horatio, Perſio, & aliis, monumenta, quæ in ſepulcris & viis extruebantur. Puto, à Syra voce כיף nomen accepiſſe; Syris enim כיף dicitur *lapis*, unde etiam Πέτρος Apoſtolus Syriace κηφᾶς nuncupatus eſt) progredior, quos itidem oleo perfundere cæcarum nationum erat religio. Hi autem ipſis erant Terminorum Dii ac cuſtodes, unde & ipſi dicebantur Termini, ac ſub figurâ termini, id eſt, rudis ac informis ſtipitis vel lapidis (qui certe non immerito conjunguntur ſunt enim ambo termini; quod indicat Ovid. Faſt. lib. II.

Termine, ſive lapis ſive es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

Et

Et Prudentius:

> *Quos lana terret diſcolor in ſtipite.*
> *Deaſciato ſupplicare ſtipiti.*
> *Verris cruore ſcripta ſaxa ſpargere.*)

colebantur, teſte Lactantio lib. I. cap. XX. de falsâ religione. Ejus verba, quoniam & in ſequentib. habebunt uſum, non pigrabor hic adſcribere: *Quid, qui lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen eſt terminus. Hic eſt, quem pro Jove Saturnus dicitur devoraſſe: Nec immeritò illi honos tribuitur. Nam cum Tarquinius Capitolium facere vellet, eoque in loco multorum Deorum ſacella eſſent: Conſuluit eos per auguria: utrum Jovi cedere, & cedentibus cæteris ſolus terminus manſit; unde illum Poëta Capitolii immobile ſaxum vocat.* Hoc idem affirmat Ovidius Faſtor. l. II.

> *Quid, nova cum fierent Capitolia? nempe Deorum*
> *Cuncta Jovi ceſſit turba locumque dedit.*
> *Terminus (ut veteres memorant) conventus in æde*
> *Reſtitit: & magno cum Jove templa tenet.*

 Haud

Haud illepidè etiam de iis Cedrenus talia dixit: Ὡς ὄντας αὐτῶν προπάτορας, ἀνδριάσι στηλῶν ἐτίμησαν, καὶ ὡς Θεοὺς προσεκύνουν αὐτοὺς, καὶ ἐθυσίαζον. i. e. *Ut majores ſuos, ſtatuis ſtelarum honorarunt, & ut Deos adorarunt, eisque ſacrificarunt.* Hic verò illud obſervandum, quod juxtà plurimos per ἀνδριάντας στηλῶν hîc intelligi debeant *ſtatuæ impolitæ, vel lapides informes*, quos Sanchuniaton apud Euſebium *Bætylia* appellat: Ἐπενόησε θεὸς Οὐρανὸς βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος, i. e. *Deus Uranus* (per quem cælum intelligi nullus dubito) *excogitavit Bætylia, cum fabricaſſet lapides animatos.* Bochartus autem vertit *lapides unctos*; ut habet Phænic. l. II. c. II. Hos igitur lapides informes ſeu terminos Bætylia quoque ab Antiquis dictos fuiſſe nemo ampliùs dubitabit. Scaliger verò eos *Gammatos* appellavit, quia *Gamma* inſcalptum habebant, vel ut alii interpretantur, propter literæ *Gamma* Γ ſimilitudinem. Unde vero ſit Bætyliorum nomen, vel origo, in eo non conveniunt eruditi. Quibusdam placet ſic dici a Græco βαίτη, quod *pellem* ſive *corium* denotat, quia nempe Rhea lapidem pelle caprinâ invo-

involutum & faſciatum pro Jove Saturno comedendum dederit. Ita enim Etymologus: Ἡ Ῥέα λίθον βαίτῃ αἰγὸς σπαργανώσασα τῷ Κρόνῳ δέδωκε Et βαίτυλιον Græci lapidem vocant, quem in fabulis Saturnus pro Jove devoraſſe dicitur. Heſychius: βαίτυλος, οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός. Bætylum igitur intelligit Lucianus cum in Saturnal. admodum ſatyricè ait: Τὸ μὲν πρῶτον ἐκεῖνο, εἰ ἀληθῆ. Ταῦτ' ἐστιν ἃ περὶ σοῦ ἀκούομεν, ὡς κατήσθιες τὰ γενόμενα ὑπὸ τῆς Ῥέας, ἐκείνη δ' ὑφελομένη τὸν Δία λίθον ὑποβαλλομένη ἀντὶ τοῦ βρέφους, ἔδωκέ σοι καταπιεῖν. i. e. *Primum quidem illud, verane hæc ſint, quæ de te audimus, te ſolitum edere liberos ex Rheâ tibi naſcentes, eam vero, clam ſubducto Jove, lapidem infantis loco ſuppoſuiſſe, quem tibi dedit devorandum.* Hunc vero lapidem, quàm ut in pectore ipſius maneret, duriorem, Saturnus evomuit: quem deinde Jupiter fertur poſuiſſe in anfractu Parnaſſi, ſeu rupe illâ & planitie, in quâ urbs & templum Delphicum; Uti canit Heſiodus in Theogoniâ verſ. CCCCXCVII.

 Πρῶ-

Πρῶτον δ' ἐξήμησε λίθον, πύματον καταπίνων.

Τὸν μὲν Ζεὺς στήριξε κατὰ χθονὸς εὐρυοδείης

Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ, γυάλοις ὑπὸ Παρνησσοῖο.

Σῆμ' ἔμεν ἐξοπίσω, θαῦμα θνητοῖσι βροτοῖσι.

Primum vero evomuit lapidem, ultimò devoratum.

Illum quidem Jupiter firmiter defixit in terram ſpatioſam

Pytho in divinâ, in anfractu Parnaſſi,

Monumentum ut ſit in poſterum, miraculum mortalibus hominibus.

Longo etiam tempore poſt βαίτυλον iſtum eo in loco exſtitiſſe teſtatur Pauſanias in Phocicis: Ἐπαναβάντι δὲ ἀπὸ τοῦ μνήματος, λίθος ἐστὶν οὐ μέγας. Ἔστι δὲ καὶ δόξα ἐς αὐτὸν δοθῆναι Κρόνῳ τὸν λίθον ἀντὶ τοῦ παιδὸς καὶ ὡς αὖθις ἤμεσεν αὐτὸν ὁ Κρόνος. *Ab eo monumento cum rurſus aſcendere inceperis, lapidem videas modicè magnum. Fama autem tenet eſſe illum ipſum lapidem, qui datus fuerit Saturno pro puero, quemque poſteà rurſus evomuerit.* Sed ne longiùs ab incepto trahamur, volunt alii, inter quos Joſe-

Joſephus Scaliger, morem rudes colendi lapides cepiſſe originem ab eo lapide, quem *erexit in ſtatuam* Patriarcha Jacob in Bethel, de quo Geneſ. XXVIII. v. 18. 19. Nam Jacob lapidem, quem pro Cervicali ſuppoſuerat capiti, ἔϛησεν ἄυτον ϛήλην. Ut ajunt LXX. Vel ut habet textus ſacer: וישם אתה מצבה & vocavit nomen loci *Bethel*, ביתאל, indeque lapides hujusmodi Βαιτύλους dictos autumant. Quæ ſententia magis arridet, vel ideò, quod (uti habet traditio Judæorum) *quamvis conſecrationem hanc Deus ratam habuerit*, (dixit enim ei Geneſ. XXXI. 13. *Ego ſum Deus ille fortis, Deus Bethelis, ubi unxiſti ſtatuam*) *atque ille cippus ab ipſo temporibus Patriarcharum amatus fuerit; poſtea tamen oderit eum, propterea quòd Chananæi DEDUXERUNT ILLUM IN RITUM IDOLOLATRIÆ.* Ex quibus quid clariùs conſtat, quam quod Chananæi ipſum facientes Idolon, ſucceſſu temporis alios quoque lapides extruxerint hujus ſimiles, quos pro Diis habuerunt, atque Jacobum imitantes in Conſecratione etiam unxerunt. Cæterùm Bætylos hosce uni ac ſoli Deo Termino non fuiſſe

dedicatos, ſed etiam diis diverſis apud Photium tradit Damaſcius: τῶν βαιτύλων ἄλλων ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι Θεῷ, Κρόνῳ, Διΐ, Ἡλίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις, i.e. *Bætylorum alium alii Deo conſecratum eſſe, Saturno, Jovi, Soli, & aliis.* Plura de his Bætylis vid. apud Zoſimum in Aureliano; quibus confer ea, quæ eruditè de cultu hujus lapidis notat J. Scaliger animadverſ. Euſebian. ad annum MMCXLVIII. p. 188. 189. & 198.

Præterea Terminos hosce in ipſis terminis ſeu agrorum finibus, tanquam eorum diſtinctores, ſedem habuiſſe vox ipſa ſatis, ut opinor, oſtendit; id quod inſuper patet ex Marone, quando canit.

Nec plura effatus Saxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum ingens, Campo qui forte jacebat
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.

Et Statius lib. V. Thebaid. de eo ita:

-- -- rapit ingenti conamine Saxum,
Quo diſcretus ager.

His jungatur Tibullus, de aureo ſeculo ita loquens: *Non*

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus, arva, lapis.

Hæc igitur Saxa ab antiquiſſimis uncta, non tantum in conſecrationibus, ſed & aliàs; Nam de Bætylo lapide, qui in monte Parnaſſo inveniebatur, Pauſanias in Phocicis ait: Τούτου καὶ ἔλαιον ὁσημέραι καταχέουσι, καὶ κατὰ ἑορτὴν ἑκάστην ἔρια ἐπιτιθέασι ἀργά. *Hunc quotidie oleo perfundunt, ſingulisque feſtis lanam in eo ponunt rudem.* Hinc etiam (quod in tranſitu obſervamus) intelligi poteſt, cur Plato Homerum è ſuâ republicâ in aliam civitatem dimittendum, unctum & lanâ coronatum jubeat educi: cum inquit: Ἀποπέμποιμέν τε ἂν εἰς ἄλλην πόλιν, μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέοντες καὶ ἐρίῳ στέψαντες. Vera enim ratio, cur Homerum ungi & ἐρίῳ coronari voluerit Philoſophus, hæc à Viro celeberrimo, ſplendidiſſimoque Trajectenſium ad Rhenum Lumine J. Georgio Grævio, Doctore meo, & Patrono magno, in lectionibus ſuis Heſiodeis adducitur: non quod voluerit illum ejici tanquam exulem, hominem infamem, aut civiliter mortuum,

tuum, quia mortui ungebantur, nec propter Poëtarum mollitiem, quam lanea corona ſignificaverit, ut hercle Muſarum & Platonis ingratiis docuit Andreas Schottus, ſed volebat eum dimitti tanquam hominem divinum, dignumque, qui ad inſtar Dei ungeretur, & lanâ coronaretur, hoc eſt, divinis afficeretur honoribus. Diis enim & rebus ſacerrimis hic honos habebatur. De modo autem terminos ungendi & conſecrandi, ita loquitur Siculus Flaccus: *Cum Terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram certos collocabant, proximè ea loca, quibus foſſis factis defixuri eos erant. Et unguento, velaminibusque & coronis eos coronabant. In foſſis autem, in quibus poſituri eos erant, ſacrificio facto, hoſtiâque immaculatâ cæſâ, facibus ardentibus injectis, foſſæ cooperati ſanguinem inſtillabant, eoque thura & fruges jactabant: Favos quoque & vinum aliaque, quibus conſuetudo eſt terminis ſacrum fieri. Conſumptisque omnibus dapibus igne, ſuper calentes reliquias lapides conlocabant: atque ita diligenti curâ confirmabant; adjectis etiam quibuſdam Saxorum fragminibus circumcalcabant quo firmiùs ſtarent. Tale ergo ſacrificium Domini*

mini inter quos fines dirimebantur faciebant. Ex quibus jam allatis videri poteſt, & ab agrorum poſſeſſoribus terminos conſecrari, & poſt unctionem corollis ſive ſertis floreis coronari; ad prius quod attinet, id alio etiam loco idem auctor oſtendit his verbis: *Termini in terrá collocabantur conſecrabanturque, cæſâ immaculatâ hoſtiâ â Dominis, qui confines agros poſſidebant*. Poſterius vero ex adductis ſatis apparet.

Coronati ita, atque ornati, unctique Termini tandem dii erant, quos divino honore afficiebant atque venerabantur Gentiles: inter quos præſertim viatores, quippe quibus in viâ poſiti religioſam moram objiciebant. Id quod indicat Apulejus Florid. lib. I. *Ut fermè religioſis viantium moris eſt, cum aliquis lucus, aut aliquis locus ſanctus in viâ oblatus eſt votum poſtulare, donum apponere, pauliſper aſſidere*: ac ſtatim paulo inferiùs plura hæc habet: *neque enim juſtius religioſam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut ſpelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata; vel enim colliculus ſepimine conſecratus, vel trun-*

truncus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus. Huic jungatur Xenophon itidem affirmans ſuperſtitioſis hominibus in conſuetudine fuiſſe temere oblatos in viâ lapides ſtipitesque venerari, cum ait: Καὶ τοὺς μὴν οὔτ' ἱερῶν, οὔτε βωμῶν, οὔτε ἄλλων τῶν θείων οὐδὲν τιμᾶν, τοὺς δὲ καὶ λίθους, καὶ ξύλα τὰ τυχόντα, καὶ θηρία σέβεσθαι. Item Propertius:

Et quicunque ſacer, qualis ubique, lapis.

Verum planiſſima hujus ritus enarratio petenda ab Halinarnaſſeo; cujus verba in libro ſecundo hæc ſunt: Θεοὺς τε γὰρ ἡγοῦνται τοὺς τέρμονας, καὶ θύουσιν αὐτοῖς ἔτι τῶν μὲν ἐμψύχων οὐδὲν. οὐ γὰρ ὅσιον αἱμάττειν τοὺς λίθους, πελάνους δὲ Δήμητρος καὶ ἄλλας τινὰς καρπῶν ἀπαρχάς. Hos verò Terminos tanquam *agrorum præſides* (quod Feſtus affirmat, cum inquit: *Termino ſacrificabant, quod in ejus tutelâ fines agrorum eſſe putabant.*) venerabantur ideo, quia credebant agriculturam tunc demum ſibi fore fructuoſam, contrà vero quibus cultus divinus foret neglectui, iis omnia adverſè ſucceſſura. Idcirco ait Virgilius:

Im-

Imprimis venerare deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.

Et Horatius lib. III. od. XXIII.

Cælo ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente lunâ, ruſtica Phidile,
Si thure placaris, & hornâ
Fruge lares, avidâque porcâ;
Nec peſtilentem ſentiet Africum
Fœcunda vitis, nec ſterilem ſeges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.

Quamobrem etiam talium ſacrorum contemptorem, graviter increpat Apulejus in Apolog. quando inquit: *Nam, ut audio, percenſentibus iis, qui iſtum novêre, nulli Deo adhoc ævi ſupplicavit; nullum templum frequentavit. Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ manum labris admovere. Iſte vero nec Diis rurationis, qui eum paſcunt ac veſtiunt, ſegetis ullas aut vitis aut gregis primitias impartit. Nullum in villâ ejus delubrum ſitum, nullus locus conſecratus. Et quid ego de luco & delubro loquor? negant vidiſſe ſe, qui fuêre, unum ſaltem in finibus ejus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.* Ex quo ſimul loco hoc no-

notare licebit (id quod etiam ex modo allegatis Halicarnaſſei verbis patet) fructuum primitias illis diis offerri fuiſſe ſolitas, eum pro extremæ impietatis homine habitum fuiſſe, qui nec agrum ſuum Deûm Terminorum fidei vellet committere, nec ipſos in finibus ſuis erectos pro Deo colere; quapropter etiam talem, tanquam Deorum contemptorem, contumaciâ evectum ſupra omnes Mezentios, voto publico damnabant atque proſcribebant. Quo argumento ſubnixus quoque Apulejus, Æmilianum accuſatorem impium, & rerum divinarum deriſorem infami elogio judicibus proſtituit. Denique etiam in honorem Dei Termini dies feſti agebantur quos ab ipſo *Terminalia* vocabant; eaque celebrabantur quotannis XXIII. die Februarii, ut ita annum quoque terminare viderentur Termini; Februarius enim erat Antiquis ultimus anni menſis, ac cum intercalaretur de XXVIII. Februarii diebus demebantur V. ut remanerent XXIII. Addam Varronis teſtimonium, quo adhuc magis clarum fiat id quod aſſerui: *Terminalia, quod is dies anni extremus conſtitutus,*

tutus, duodecimus enim fuit menſis Februarius, & cum intercalatur inferiores quinque dies demuntur menſe. Sed an ſemper tamen Terminalia hunc in diem inciderint, non affirmaverim, quippe cum menſis Merkedonius tantum XXII. dies habuerit, tum Terminalia celebrata Kal. Juſti Februarii. Quâ de re conf. J. Scaligerum de emendat. tempor. lib. II. pag. m. 176. Terminum vero cum colerent non intra tectum ſtatuebant, ſed, ut inquit Feſtus: *Quo loco colebatur ſuper eum foramen patebat in tecto, quòd nefas eſſe putabant Terminum intra tectum conſiſtere.* Quod idem diſticho ſequenti indicat Ovidius II. Faſtor.

Nunc quoque ſe ſuprà ne quid niſi ſidera cernat,

Exiguum templi tecta foramen habent.

Verum ipſo die feſto etiam Termino ſacrificabant, atque hoſtiam cædebant, quam *agnam* fuiſſe indicat Horat. Epod. od. II.

Vel agna feſtis cæſa Terminalibus.

Juvenalis vero Sat, XVI. *pulte* ac *libo* illi factum fuiſſe oſtendit his verſibus:

Aut

Aut ſacrum effodit medio de limine ſaxum
Quod mea cum Vetulo coluit puls annua libo.

Ex quibus verbis & illud obſervo, ſummum nefas fuiſſe, ſi quis illum Terminum violaret vel moveret loco: maximæ enim improbitatis talem hominem hic arguit Juvenalis; & id ex fabulâ, quâ credebant, Terminum ne ipſi Jovi quidem voluiſſe cedere. Ut igitur minus eſſet periculum profanationis, Termini, ut & alia loca conſecrata muris circumſepiebantur, vel aliter notabantur; ſæpiùs etiam Terminis certum agri ſpatium vel menſura, circum Templa in confiniis conſtructa, donabatur. Verba Horatii, quæ habet lib. I. ſat. VIII. apprimè huc facere mihi viſa ſunt, quippe quæ oſtendunt loci publici amplitudinem, latitudinem, ac longitudinem:

Mille pedes in fronte, trecentos Cippus in agrum
Heic dabat.

Rationes vero, cur agrorum poſſeſſores certum loci ſpatium reliquerint Terminis, hic datâ occaſione non omittendas exiſtimavi. Illas enim

enim Aggenus adducit his verbis: *Si enim loca ſacra ædificabantur, quammaximè apud antiquos in confiniis conſtituebantur, ubi trium vel quatuor poſſeſſionum terminatio conveniret, & unusquisque poſſeſſor donabat certum modum ſacro illi ex agro ſuo; & quantum donaſſet ſcripto notum faciebat: UT PER DIEM SOLEMNITATIS EORUM PRIVATORUM AGRI NULLAM MOLESTIAM INCULCANTIS POPULI SUSTINERENT. Sed & ſi quid ſpatioſius cedebatur, SACERDOTIBUS TEMPLI ILLIUS PROFICIEBAT.* Sed & ex Monumentorum inſcriptionibus haberemus varia exempla de pænis ſeu mulctis pecuniariis ſtatutis contra eos, qui talia ſacra violarent; quæ tamen brevitatis amore hîc omittimus. Quemadmodum etiam multa adhuc dicenda forent de diris imprecationibus, promulgatis nonnunquam contra talium ſacrorum violatores; ſed uno tantum exemplo rem demonſtraſſe nobis ſuffecerit; habet id Philoſtratus in Herodis Attici vitâ l. II. de vitis Sophiſtarum: *Imagines certè ipſorum Venantium, & venatione*

 fun-

functorum, & ad venandum paratorum conſecraverat, partim in quercetis, partim in agris, partim ſuper fontibus, partim ſub umbris platanorum; non obſcurè, ſed cùm imprecationibus ejus qui concideret, aut moveret. Græca verba ſunt: Εἰκόνας γοῦν ἀνετίθει σφῶν θηρώντων τε, καὶ τεθηρακότων, καὶ θηρασόντων. Τὰς μὲν ἐν δρυμοῖς. Τὰς δ' ἐπ' ἀγροῖς. Τὰς δὲ πρὸς πηγαῖς. Τὰς δὲ, ὑπὸ σκιαῖς πλατάνων, οὐκ ἀφανῶς, ἀλλὰ ξὺν ἀραῖς τοῦ πελεκόψοντος ἢ κινήσοντος. Ut denique concludam; per hos lapides interdum *Lares viales* intelligi, mihi firmiſſima eſt perſuaſio, eò, quod Lar, Hetruſca vox, denotet *principem* & προστάτην, ut docuit Scaliger ad Propertium; unde etiam Lares dicti varii variarum rerum antiſtites Dii; jam verò & hi Termini agrorum præſides ac antiſtites credebantur, & in viâ ponebantur, unde hos eſſe *viales*, imò etiam vocari poſſe *Lares Terminales* non planè ineptum mihi videtur. Præterea etiam Lares viales in agris colebantur, uti & hi lapides. Lares etiam, ut Feſtus tradit, ampliſſimis coronis ornabantur, quos ornari bis in anno Auguſtus inſtituit, & in Triviis collocabantur non aliter ac Lapides noſtri

ſtri Terminales, quos coronatos ac ibidem collocatos fuiſſe clarè innuit Tibullus, ita loquens:

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.

Quod autem in triviis dixit, inde Compitalitia ipſum intellexiſſe opinor, quæ feſta, ut Varro auctor eſt, Laribus ſacra erant. Hinc *compitales* Suetonio dicuntur in Octavii Auguſti vitâ; Scribit enim: *Compitales Lares ornare bis in anno inſtituit, vernis floribus & æſtivis.* Deinde Tibullus Lares *agri cuſtodes* appellat hoc diſticho:

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Cuſtodes, fertis munera veſtra, Lares.

Sed vel ex iis quæ ſuperiùs adduxi conſtat Terminos æquè ac Lares pro agrorum præſidibus habitos fuiſſe. Ovid Faſtor. lib. II.

Omnis erit ſine te litigioſus ager.
Nulla tibi ambitio eſt, nullo corrumperis auro.
Legitimâ ſervas credita rura fide.

Hinc quoque opinor, in præcedentibus vocantur *Agricolæ Dei*; ita enim Tibull.

-- -- Agricolæ ponitur ante Deo.

Quinimò & Laribus in Feſtis Compitalitiis *Agna* hoſtia cædebatur; ita enim modo allegatus auctor eos affatur:

Agna cadet vobis: quam circum ruſtica pubes
Clamet: io meſſes, & bona vina date.

Nimirùm ut Agricultura proſperè cederet; unde etiam *Agricolæ Dei* haud ineptè nuncupantur. Nam & *Agricolas* & *Ruricolas* dictos ipſos Deos demonſtrat Ovid. Triſt. lib. I.

Et te Ruricolâ, Lampſace, tuta Deo.

An verò hi etiam Græcis dicti fuerint νόμιοι θεοὶ; Achilles Statius ad Tibullum dubitat, ex veteri hoc lapide:

ΝΟΜΙΟΙΣ ΘΕΟΙϹ
ΙΟΥΛΙΟϹ
ΜΑΙΟΡ
ΑΝΤΟΝΙΝΟϹ

Nunc verò velut è diverticulo, quod tamen Lectori tædioſum adeò non

non fuiſſe confido, in viam redeuntes, ad arborum unctionem pervenimus, has enim & Diis conſecrabant, & in ipſis conſecrationibus ungebant. Eligebant autem ad id ex plurimis arboribus unam, vel etiam plures ex maximis & antiquiſſimis, ac quidem tales, quæ illi Deo, cui dedicandæ eſſent, maximè propriæ quaſi & ſanctæ erant: V. G. Jovi ſacrabatur Æſculus, Plutoni Cupreſſus, Herculi Populus, Marti Fraxinus, Veneri Myrtus, Minervæ Olea, Baccho Ficus. Sic Laurus Apollini, bono Genio & Æſculapio; Tilia Saturno, & Veneri; Pinus Deûm matri & Pani &c. Vid. Meurſius in Arboreto Sacro. Ungebant autem has arbores certis unguentis vel oleis ad radices trunci effuſis. Hinc Spartanæ Puellæ apud Theocritum Idyllio XVIII. in Helenes Epithalamio:

Πρᾶται δ' ἀργυρέας ἐξ ὄλπιδος ὑγρὸν ἄλειφαρ
Λαζόμεναι, ϛαξεῦμες ὑπὸ σκιερὰν πλατάνιϛον.

Primæ autem tibi ex argenteâ Pyxide humidum unguentum

 Ca-

Capientes, ſtillabimus ſub umbroſam
Platanum.

Ex Latinis prodeat Lucanus, ſimilem ritum, non tamen huic in omnibus *ἀνάλογον*, quem inde barbarum appellat, apud Gallos *ſanguine humano* peractum fuiſſe ſcribens:

-- -- -- -- barbara ritu
Sacra deûm, ſtructæ diris altaribus aræ,
Omniſque humanis luſtrata cruoribus arbos.

Vnctas poſtmodum has arbores coronis ex variis herbis, floribus & frondibus nexis coronabant, ornabantque: ut ex loco Apuleji ſuperiùs adducto ſatis patet. Quod etiam alia, imprimis Poëtarum, loca confirmant. Tituli porro his arboribus inſcribebantur, ut illis manifeſtum fieret, cui Deo Deæque fuerint dedicatæ. Quod clarè nos docet Apulejus Metam. lib. VI. *videt*, inquit, *dona pretioſa, & lacinias auro literatas ramis arborum poſtibusque ſuffixas; quæ cum gratiâ facti, nomen Deæ, cui fuerant dicata, teſtabantur.* Tales quoque tiulos in conſecratâ Ilice in Vaticano ſcriptos fuiſſe indicat Plinius l. XVI. cap. XLIV. cum

de

de illâ hæc ſcribit *Vetuſtior urbe fuit Ilex in Vaticano: in quâ titulus æreis literis Hetruſcis religione jam tum dignam ſignificabant.* Ex Græcis etiam hunc ritum tangit modo allegatus Theocritus l. c.

Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται (ὡς παριών τις
Ἀναγνοίη) Δωριστὶ, Σέβου μ'. Ἑλένας φυτὸν εἰμί.

Literæ autem in cortice ſcribentur, (ut præteriens aliquis
Perlegat) Doricè, venerare me; Helenæ planta ſum.

Sed & his plura ſuperaddere minimè neceſſarium duco, quia vel ex illis quæ hactenùs appoſui, unguentorum uſum in ſacris B. Lector abundè aſſequi poterit. Igitur ut ad reliqua pedem proferamus, ordine ſemel nobis propoſito jubemur.

CAPUT III.

DE

UNCTIONIBUS GENTILIUM NON SACRIS.

Perſonæ ungentes. Aliptæ. Aliptæ in balneis. Aliptarum varia officia. Jatraliptæ. Capſarii. Varii. Cinerarii. Ciniflones. Unde dicti. Calamiſtrum. Ciniflones ab Ornatricibus diverſi. Ciniflones alii, alii Cinerarii. Cinerarii unde dicti? Ornatrices ancillæ. Κομμώτρια. *Pſecas.* Ψεκάζειν. *Myrobrecharii. Plecuſa. Picatrices. Ornatores Galearii. Pollinctores. Pollingere. Veſpillones, Uſtores. Viſpellio. Virgines ungebantur oleo ſimplici. Myrrha & Stacte non Unguenta. Palæſtræ cur* λιπαραί; *Athletæ, Palæſtritæ, Xyſtici. Xyſtus. Ceroma. Palæſtritæ cur uncti? Aphé. Coniſterium.* Ἀκονιτὶ νικᾶν. *Athletæ an nudi?* Δρομεῖς. *Palladii hauſtus apud Statium. Divites uncti. Ancillæ ungendi officio functæ. Balneares. Magæ inungebantur.* Χρίσμα μεμαγευμένον. *Verbenaca.* Ἱερὰ βοτάνη. *Sagmina. Singulis membris ſua accommodata unguenta. Myrteus color. Color* Ὑπό-

κιρ-

κιρρ☉. Crines fœdare pœnæ loco ap. Romanos. Vaſculis unguentariis potabant. Vinum Nardinum. Unguenta vino admiſcebant. Cibis unguenta admixta. Unguenta Veneri propria. Βελόνη. *Diſcerniculum. Calamiſtratorium. Rutilus capillus commendatus à veteribus. Cinere rutilabant capillos. Sapo Gallicus. Batavi Auricomi, Ruffi. Spuma Cattica. Cauſtica ſpuma. Pila Mattiaca. Sapo cur herba dicatur ap. Ovidium. Thapſus.* Χρυσόξυλον. Θαψίνη γυνή. *Fucus. Rubriceta. Sandyx. Ceruſſa. Jus Collyricum. Offa. Differentia inter* καταπλάσματα *&* σμήγματα. *Melinum.* Στίβη. *Britanni cur Cærulei. Iidem cur picti. Britanni unde dicti. Iſatum. Glaſtum. Fæce peruncti. Pedes ungebant viatores. In Nuptiis ungebantur. In lætitiâ ungebantur. In calamitatibus pulvere crines collinebant. Diebus Feſtis ungebantur. In compotationibus. Pocillatores ſervi. Ad Cyathos. In conviviis uncti. Ante epulas. Inter epulas. Coronæ in conviviis. Apium cur admixtum Coronis convivalibus? Aviculæ coronis alligatæ. In Balneis ungebantur. Unctorium. Unctiones ſiccæ.* Ξηραλοιφεῖν. *Inſolatia. Strigiles.* Ξύστρα. *Diſtringo. Strigmenta. Cadavera uncta. Amomia. Momia. Mumia. Oſſa mortuorum uncta &*

 cine-

cineres. Unguenta in rogos conjecta. Ægyptiorum in ungendis mortuis mos. Æthiopum mortuos condiendi mos. Moris hujus origo. Poſtes ædium inungendi mos. Lucernas emungendi mos. Sandalia. Maltha. Cedro perungebantur libri.

HIs igitur hucusque explicatis jam tempus eſt, ut examinemus ulteriùs, quosnam ritus in profanis unctionibus obſervaverint veteres. Ubi primò conſideremus perſonas ungentes, quæ in diverſis unctionibus diverſæ quoque fuerunt; ſic Athletas ſuos *Aliptas* habuiſſe, notum eſt omnibus, Alipta enim ἀπὸ τῦ ἀλείφειν eſt unctor, qui in Gymnaſiis Palæſtritas inungebat, quemadmodum hanc vocem omnes ferè Grammatici interpretantur. Verum Aliptas ſolùm Athletarum & non etiam aliorum unctores fuiſſe, pro certo non affirmaverim; Legimus enim apud Juvenal. Sat. VI. in Balneis quoque inveniri Aliptas, qui fæminas ungebant, quamobrem potiùs univerſale id nomen eſſe opinor, ad omnes unctores ſeſe extendens. Præcipuè autem à ſcriptoribus pro luctatorum unctori-

ctoribus accipiuntur; non tamen id ſolum aliptarum munus fuit, ſed inſuper in valetudinis conſervatione & virium amplificatione occupati erant, ſimul & coloris habebant rationem, quæ omnia procurabantur non ſolum unctione, ſed etiam ratione exercendi, quam Gymnaſtæ præſcribebant. Ideo ſcribit Cicero lib. I. ad famil. epiſt. IX. *Sed vellem non ſolùm ſalutis meæ, quemadmodum medici, ſed etiam ut Aliptæ virium & coloris habere rationem voluiſſent.* Et Celſus lib. I. c. I. *Sanus homo, qui & benè valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque medico neque aliptâ egere.* Hinc quod valetudo ipſis curæ fuit, Jatraliptæ dici queunt, quia illorum officium ex unctore & medico conflatum & mixtum erat. Vel potiùs juxta alios inter quos etiam Plinius lib. XXIX. cap. I. ita dicebantur, quia erant unctores medicorum, & mediaſtini eorum, ſervique: (Nam ungendi officio plerumque ſervi functi) ita enim ſcribit: *Prodicus Selymbriæ natus diſcipulus ejus inſtituens quam vocant jatraliptieen, unctoribus quoque medicorum, & mediaſtinis vectigalia invenit. Hæc* igitur, (quia præſertim

tim ponitur pro Athletarum unctore) *eſt ratio*, ut inquit Voſſius, *cur, ut Palæſtra ſæpe ponitur pro Gymnaſio, cujus alioqui pars erat, ſic quoque Aliptes interdum accipiatur pro gymnaſtâ, quanquam ſi vocem ſpectes, tantùm partem muneris ſignet*. Sic uſus Epictetus Diſſertat. XXIV. lib. I. ὅταν ἐμπέσῃ περίστασις, μέμνησο, ὅτι θεός σε ὡς ἀλείπτης τραχεῖ νεανίσκῳ βέβληκεν, *cum periculum ingruit, cogita, Deum te laniſtæ inſtar aut Gymnaſtæ cum acri juvene commiſiſſe.*

In Balneis etiam unctores inveniebantur, quos appellabant *Capſarios.* Hi enim fricant & ungunt, ſi vera ſunt, quæ ſcribit vetus ſcholiaſtes in Sat. III. Juven. *Guttus ab eo, quia guttam mittit, quos habent Capſarii.* Alioqui Capſarii dicti, qui mercede conducti veſtes in balneis ſuſcipiebant. Firmandæ hujus rei adduco verba Epiphanii lib. II. πρῶτον γὰρ φασι τοὺς τοιούτους τὰς αὐτῶν ἐκκλησίας ἤτοι φωλεοὺς καὶ σπήλυγγας ἐν ὑποκαύστοις οἰκοδομεῖσθαι. Ἐν δὲ τῷ ἐξιέναι εἱματοφύλακες εἰσί τινες πρὸς ταῖς θύραις δίκην καμψαρίων ὑπ' αὐτῶν ἐπιτεταγμένων. Similiter ita vocabantur, qui pueros in ſcholam euntes ſequebantur, portantes Cap-

ſam

ſam librariam. Quod comprobant hæc verba Juvenalis Sat. X.

Quisquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam,

Quem ſequitur cuſtos auguſtæ vernula capſæ.

Hâc voce utitur Suetonius in Nerone cap. XXXVI. *Conſtat quosdam cum pædagogis & capſariis uno prandio pariter necatos.*

Quod ad fæminas attinet, & illas certis unctoribus uſas fuiſſe conſtat: inter eos occurrunt *Cinerarii*, quos non virorum, ſed mulierum ſervos fuiſſe notiſſimum eſt: iidem ſunt, ut volunt quidam, qui *Ciniſlones* alias dicebantur; Ciniflo autem, ut in Gloſſis exponitur, ἐμπλέκτης, γυναικῶν κοσμητής. Item Ciniflones ornatrices; verum hic ciniflonem cum ornatrice confundere gloſſæ videntur: mea autem opinio eſt, longè aliud Ciniflonum fuiſſe munus, quam ornatricum. Si enim vim vocis ſpectamus, res erit aperta. Ciniflo dictus, quia in cineres flaret, ad calefaciendum ferrum, quo capillos criſpant; quod inſtrumentum Varro IV. de L. L. *calamiſtrum* vocat, unde etiam

cala-

calamiſtrati juvenes. Exponit hoc Acron ad Horat. I. Sat. II. (quem locum, licet jam ab aliis obſervatum, nobis quoque huc reponere viſum fuit) ubi ſic ille: *Ciniflones & Cinerarii eâdem ſignificatione apud veteres dicebantur ab officio calamiſtrorum, qui acus & veruta flando in cinere calefaciebant, quibus matronæ crines criſpabant. Ejus & Virgilius meminit inquiens: vibratos calido ferro.* Hæc Acro. Ergo ornatrices erunt quæ compoſuere capillum, Ciniflones vero, qui acus calefactas ſubminiſtrarunt ornatricibus. Sic meo quidem judicio etiam Cinerarii à Ciniflonibus diſtinguendi, Cinerariorum enim miniſtri erant Ciniflones æque ac ornatricum. Dictos autem puto Cinerarios, non (ut habet Varro lib. IV. de L. L. *qui Calamiſtros calefactos in cinere miniſtrabat, à cinere cinerarius eſt appellatus*) à calefaciendis in cinere Calamiſtris: quod potiùs Cinifloni convenit, ſed quòd Capillos cinere rutilarent. De quibus infra agetur. Et ſic rectè Cinerarium δοῦλον ἑταίρας gloſſæ exponunt. Occurrit vox in veteri monumento in D. Pauli æde: Ad primum ab urbe lapidem, viâ Oſtienſi.

T.

T. CLAUDIUS
ZOSIMUS. FECIT
LICINIÆ. PRISCÆ. MAMM
CLAUDIÆ ...... ROSHODO. SOR
MASSA ... CUM. CINERARIO
ET. TI. CLAUDIO. VERECUN
DO. PATRONO. ET. SIBI
ET. SUIS. POSTERISQ. EORUM
LONG. PED. VI. LAT. PED. VI.

Præterea aliæ peculiares *ornatrices* Ancillæ inveniebantur apud Veteres. Quod indicat Joh. à Wouweren ad illa Petronii: *Dic Chryſis nunquid incompta ſum?* Nam *puellas*, inquit, *habuerunt in miniſterio, tum ornatrices, tum quæ velut à conſiliis formæ*. Quod alicubi ſtringit Hieron. *Crines diſponebant Ancillæ*. Et hæ edoctæ erant à certis magiſtris ad hoc miniſterium, velut ad artificium, ut tradit Pignorius. Id autem artificium quale eſſet, deſcribit nobis Manilius partim lib. V. partim alibi:

Illis cura ſui vultus, frontisque decoræ
Semper erit, tortosque in flexum ponere crines,
Aut nodis revocare, & rurſus vertice denſo
Fin-

Fingere, & appoſitis caput immutare capillis.

Et graphicè illud depingit Tertullianus libello de cultu fæmin. *Quid crinibus veſtris quieſcere non licet modo ſubſtrictis, modo relaxatis, modo ſuſcitatis, modo eliſis? aliæ geſtiunt in Cincinnis coërcere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bonâ ſimplicitate. Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in Galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum* &c. Hæ verò ornatrices ab officio cognomen accepere, quia earum officium erat ornare capillos; ſic & Græcis ab officio κομμώτρια dicebantur, Heſychio teſte: κομμώτρια κοσμοῦσα τὰς τρίχας. Hinc Juvenalis Sat. VI.

-- -- -- ponunt
Coſmetæ tunicas.

Ubi tamen vetus interpres eos intelligi dicit, qui ornamentis præſunt, non verò ornatrices. Ergo propriæ illæ Ornatrices erant, quæ crines disponebant; quarum meminit Suetonius in Claudii vitâ, cap. XL. *Hæc matris meæ ornatrix fuit.* Et vetus inſcriptio: CINERIBUS. HAMIL-

MILLAE. ALPIONIAE. QUINTAE. ORNATRICI. FESTUS. M. SEPTIMI. GALLI. DISPEN. CONTUBERNALI. B. M. F. Item alia in Muſæo Carp. OSSA. JULIAE. ↓LIVIAE. ↓AUGr AURICLAE. ORNATRIX. Juvenalis (ut inquit Scholiaſtes) tali ornatrici nomen *Pſecæ* ab arte impoſuit. Extat locus Sat. VI.

Componit crinem laceratis ipſa capillis
Nuda humeros Pſecas infelix.
Quid Pſecas admiſit? quænam eſt hic culpa puellæ?

Ψεκάζειν verò dicunt Græci, quando *minutum* ſive *rarum pluit*, idem igitur eſt ac *irrorare*, *ſtillare*, *conſpergere*. *Nam ornatrices pauculum irrorare aquæ ſolebant ad compoſitionem crinium, ac ſic veluti ψεκάζειν.* Ut eſt apud Interpretem. Lautiorum tamen capillis aquæ loco balſamum inſtillabatur, & ita interpretor de guttis Arabicis Apuleji verba, quibus capillos obungi ſcribit lib. II. metam. Itaque etiam Pſecæ erunt, quos Plautus *myrobrecharios* i. e. unguentum pluentes vel ſtillantes appellat Aulul. act. III. ſcen. V. quem-

admodum hanc vett. editionum lectionem retinuit Meurſius. Martialis autem Ornatricibus nomen *Plecæ* tribuit lib. II. ep. LXVI.

Et cecidit ſectis icta Plecuſa comis.

Eâdem ratione, nempe à πλέκειν; quia ſciret *poſitu variare comas, & ponere compoſitas in ſtatione comas*, ut canit Ovidius. Et quæ dominæ caput & capillos, ut arte jacerent, curaret, concinnaretque. Sic etiam obſervamus apud Apulejum lib. XI. metam. inter turbulas Pompam Iſidis proſequentes mulieres, *quæ pectines eburneos ferentes geſtu brachiorum, flexuque digitorum ornatum atque oppexum crinium regalium fingerent.* Tandem fæminarum comtricum ordini etiam adcenſere licet *Picatrices*; quæ pilorum ſegetem ſuccreſcentem reſinis & pice demunt. Item, ut habet inſcriptio vetus, ORNATORES GLABRARII, niſi hîc eſt σφάλμα graphicum, pro GALEARII, illi enim domino vel dominæ in modum Galeæ galeri capitis ſuggeſtum curabant; id quod Galli ſuo idiotiſmo *perruquam* dicunt, quâ de re haud dubiè Juvenal. Sat. VI.

Et

Et nigrum flavò crinem abſcondente Galero.

Hæc de Pſecade, quâ muliebre officium denotat. Reliquum eſt, ut de perſonis, quæ defunctos ungere ſolebant, aliquid etiam in medium proferamus. Apud Ægyptios certos homines ad id munus conſtitutos fuiſſe Herodotus refert: Ἐπεὰν δὲ ταῦτα ποιήσωσι, οὕτω ἐς τὴν ταρίχευσιν κομίζουσι. Εἰσί δὲ οἱ ἐπ᾽ αὐτῷ καλέαται καὶ τέχνην ἔχουσι ταύτην, i. e. *His actis ita demum ad condiendum portant. Sunt autem certi ad hoc ipſum conſtituti, qui hoc artificium factitant.* Inter Latinos vero, qui funera procurabant, ac odoribus unguentiſque mortuorum corpora obliniendi miniſterio fungebantur, *Pollinctores* dicebantur; cur verò & unde, necdum inter doctos convenit. Quidam volunt *pollingere* ſic dici, quaſi *pollutos ungere*. Sanè apud Fulgentium legimus; *Pollinctor* quaſi pollutorum, id eſt, *cadaverum unctor*. Nam pollutos vocat mortuos, quos Flamini Diali non licebat tangere, ne ſeſe attaminaret, quod videmus ex Maſſurii Sabini verbis, quæ extant apud Gellium, lib. X. c. XV. *Locum in quo bu-*

buſtum eſt, nunquam ingreditur. Mortuum nunquam attingit. Funus tamen exſequi non eſt religio. Franciſcus Junius autem format à *Polincio* ſeu *Polinceo*: vel potiùs à *Polingo*, quod idem eſſet ac *poliens ungo*; polire autem eſt curare ac colere, ut *polire agros* Ennius dixit apud Nonium. Turnebus lib. XXVIII. c. XXXI. quaſi pellis unctorem dici putat. Ejus verba hic apponam: *Pollinctor à pelle, ut opinor, ungendâ ficto vocabulo, quaſi pellis unctor.* Et paulò poſt: *Veruntamen affirmo, quod in mixtis vetuſtis monumentis Pellinctor reperitur, E autem & O non raro tradunt operas mutuas, & in alternas ſedes ſubeunt.* Denique Servius ad IX. Æneid. Pollinctores dictos ſcribit, quod mortuis os polline oblinerent, ne livor extincti appareret. In tantâ igitur opinionum diverſitate Voſſii eſt ſententia, quod, ſi hanc vocem de ligatione atque involutione intellexeris, poſſet eſſe à *Perligo*, ut propriè de eo dicatur, qui aliquem ligat & involvit ἐνταφίοι ſc. ὀθονίοις *faſciis ſepulcralibus*, ſin vero proprie hoc verbum de unctione dici placeat, à *Perlino*. Quomodo autem inde formari queat hæc vox, docet in Etymologico. Multa quoque

que ad hanc rem notant J. Kirchman. de funer. Roman. P. Colvius ad Florid. Apuleji, & alii. Utut ſit: Pollinctores dicebant veteres, qui funera procurabant, corpusque mortui lavabant, ungebantque, quod comprobant hæc verba Auguſtini lib. I. locution. Tom. III. Pollinctor, *qui id agit, quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo vel ſiccando, vel involvendo & alligando; in quo opere maximè Ægyptiorum cura excellit.* Eſt & in vett. Gloſſis *Pollictor*, ἐνταφιαστής, & *pollingere* περιστέλλειν, νεκρὸν σιροπλοκεῖν, ἐνταφιάζειν. Talis (ut id attingam) igitur fuit Pollinctrix Maria, quæ Salvatorem ante paſſionem unxit unguento pretioſiſſimo. Chriſtus enim ipſe id nomen illi dedit Joh. XII. 3. Nam cum mulier præſtantiſſimo Nardo Jeſu pedes unxiſſet, obmurmuranti Judæ dixit: *Sine eam*, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ in diem pollincturæ meæ *ſervavit illud.* Et Marc. XIV. 8. *Hæc quod potuit fecit; Occupavit enim ungere meum corpus* εἰς τὸν ἐνταφιασμόν ad Pollincturam. Hâc Pollinctoris voce uſus Martialis lib. X. ep. XCVII.

Jam ſcrobe, jam lecto, jam Pollinctore parato.

Et Plautus in Pœnuli Prologo:

Nam mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Adi & Apulejum lib. III, Florid. Erant autem ſervi *Libitinariorum*, (à Libitinâ Deâ, in cujus fano inſtrumenta funebria, & cuncta funeri neceſſaria venibant, ſic dictorum) quippe quorum conditio honeſtior erat, quoniam & pollinctoribus præerant, & cum illis de ſumptibus, quos funeri impendi volebant, tranſigebatur. *Pollinctorum verò præficarum, & veſpillonum* operâ deinde adminiſtrabant quæcunque ad exſequiarum apparatum pertinerent. *Veſpillones* autem à Pollinctoribus erant diverſi, quanquam Pollinctorem pro Veſpillone & hunc pro illo poſitum invenias. Sic de veſpillonibus loquitur hic Sidonii locus l. III. ep. XIII. *Moxque ſidente ſtrue torrem devolutum reddere Pyræ faſtidioſus pollinctor exhorret.* Nam propriè veſpillonum munus erat, cum Pollinctores cadavera lavaſſent, unxiſſent, & coronaſſent, illa efferre, incendere, ac ſepelire, unde & *uſtores* vocat Catullus ep. LX. de Rufâ & Rufulo:

Ab

Ab ſemiraſo tunderetur uſtore.

Et Martialis lib. III. ep. XCIII. in Vetuſtillam:

Uſtorque tedas præferat novæ nuptæ.

Turnebus lib. XIV. c. III. ſcribit in antiquo lexico ſe reperiſſe: *Veſpillonem eſſe ſepulcrorum violatorem, quem Græci τυμβωρύχον vocant: Quod intelligitur per antiphraſin, quaſi non ſepeliat, ſed nudet, & in Latino Græco Lexico* viſpellionem, & veſpillonem: *Ubi etiam exponitur ille νεκροθάπτης, hic νεκροφόρος. Ita* ut *ille funerator* ſit, *hic cadavera* portet. Sed revertamur ad Pollinctorem, quem Ulpianus apertè ſcribit fuiſſe Libitinariorum ſervum lib. V. ff. de inſt. Action. *Si Libitinarius, quos Græcè νεκροθάπτας vocant, ſervum Pollinctorem habuerit, isque mortuum ſpoliaverit*, &c. Sed ne longior ſim, hæc de unctoribus ſufficiant. Nunc ad perſonas & res unctas me convertam.

Hîc primò ſeſe offerunt Virgines ex quibus tamen honeſtiores olim abſtinuiſſe videntur ab unguentis, & ſolo oleo ſe unxiſſe: Sic Dianam apud Callimachum, ſic quoque Palladem Unguenta & Alabaſtros reſpuiſ-

ſe legimus, utpote cujus Divæ incorrupta omnia & virginalia erant, adeò ut oleo etiam incommixto ſtatuas ejus inungi opus eſſet:

Μὴ μύρα λωτροχόοι τᾷ Παλλάδι, μηδ' ἀλοβάστρως
(Οὐ γὰρ Ἀθηναία χρίματα μικτὰ φιλεῖ)
Οἴσετε, μηδὲ κάτοπτρον &c.

Licitum tamen erat myrrhâ ſeu ſtacte & ſimplici oleo, ſive unius plantæ aliusque rei pinguedine illas ungi: talia enim, ut ſuperiùs oſtendimus, non accenſebantur unguentis, quippe quæ mixta erant è multis odoribus, itaque nec myrrha nec ſtacte propriè unguenta ſunt, de quibus igitur illa recte diſtinguit Varro lib. V. de L.L. & Plinius lib. XIII. c. I. quod ipſum quoque facit Theophraſtus in ſcripto de odoribus: Ἐκ τῆς σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. Στακτὴ δὲ καλεῖται, διὰ τὸ μικρὸν στάζειν. Ὃ δὴ μόνον τινές φασιν ἁπλοῦν εἶναι καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων, τὰ δὲ ἄλλα πάντα σύνθετα, πλὴν τὰ μὲν ἐκ πλειόνων, τὰ δὲ ἐξ ἐλαττόνων. Eundem etiam morem, quô nempe virgines ſimplici oleo, mulieres verò unguentis ungerentur, apud Per-

ſas

ſas viguiſſe, ſatis perſpicuè videre eſt ex loco Eſtheræ c. II. 12. Quæ, antequam Regi nuberet, unguenda Eunuchis traditur, per ſex quidem menſes myrrhâ tanquam virgo, per ſex vero alios ſequentes aromatis, & unguentis muliebribus, veluti Regis ſponſa Regique nuptura. Verba in ſacro codice ita leguntur: ובהגיע תר נערה ונערה לבוא אל המלך אחשורוש מקץ היות לה כדת הנשים שנים עשר חדש כי כן ימלאו ימי מרוקיהן ששה חדשים בשמן המר וששה חדשים בבשמים ובתמרוקי הנשים: Quæ rectiſſimmè ita reddiderunt LXX: *Οὗτος δὲ ἦν καιρὸς κορασίου εἰσελθεῖν πρὸς τὸν βασιλέα, ὅταν ἀναπληρώσῃ μῆνας δεκαδύο. Οὕτως γὰρ ἀναπληροῦνται αἱ ἡμέραι τῆς θεραπείας. Μῆνας ἓξ ἀλειφομέναις ἐν σμυρνίνῳ ἐλαίῳ, καὶ μῆνας ἓξ ἐν τοῖς ἀρώμασι καὶ ἐν τοῖς σμήγμασι τῶν γυναικῶν.*

Verum miſſis virginibus, Gymnaſia Palæſtræ ingreſſuri, videbimus juvenes *oleo nitentes* violentis brachiis luctâ ſeſe exercentes. Hinc Græci Palæſtras *λιπαρὰς* nominant, id eſt *pingues & oleo nitidos*, quia eo ungebantur dimicaturi, ita Theocriti Shcoliaſtes: *Λιπαρὰν δὲ λέγει παλαίστραν, ἐπεὶ οἱ παλαίοντες ἐλαίῳ πρότερον ἠλείφοντο,*

το, εἶτα ἐπάλαιον, qui mos à Lacedæmoniis originem ſumſit, ut legimus in Thucydide. Hujus autem moris ratio extat apud Clement. Alexand. Pædag. lib. II. c. VIII. Καὶ τὸ ἔλαιον αὐτὸ τοῖς μελίτταις, καὶ ταῖς ἐν τόμοις ἐστὶ πολέμιον ζώοις. Ἀνθρώπων δὲ, τοὺς μὲν ὤνησεν, ἔστι δὲ, οὓς εἰς μάχην ἐξεκαλέσατο. Καὶ τοὺς πρότερον φίλους ἀληλιμμένους τοῦτο ἐν τοῖς σταδίοις ἐκτρέπει εἰς τὸ τῆς ἀγωνίας πρόμαχον. Hi verò Luctatores *Athletæ*, *Palæſtritæ*, vel etiam *Xyſtici* apud Suetonium in vitâ Octavii cap. XLV. & Galbæ cap. XV. nominabantur, à Xyſto, qui coopertus erat, & in quo hyeme exercebantur: qui tamen Xyſtus diverſus erat ab eo Xyſto ambulatione ſive arenâ apertâ, in quâ ſub dio ſeſe exercebant, & quam, quia undique circumcurſari poſſet, inde περιδρομίδα nuncupabant. Ut clarè id indicat Vitruvius lib. V. c. XI. Oleo quo hi Luctatores utebantur terram immiſcebant, aut, juxta alios, fiebat id unguentum ſubactâ oleo cerâ, cui rurſus alii addunt pulverem Ægyptium ſeu Puteolanum. Quamobrem etiam talis compoſitio deinde *Ceroma* denominata fuit, quâ voce uſus Martialis, lib. IV. ep. XIX.

Seu

Seu lentum Ceroma teris

Quod tamen Græci deinde in Luxuriam vertentes, rebus odoriferis miſcebant, ut ait Plinius, vilioribus tamen, & minoris pretii. Erat etiam *Ceroma* locus Paläſtræ aut Gymnaſii in quo ceromate perungebantur. Id oleum Anacharſis (ut in ejus vitâ refert Diogenes Laërtius) μανίας φάρμακον ἔλεγε, διὰ τὸ ἀλειφομένους τοὺς ἀθλητὰς ἐπιμαίνεσθαι ἀλλήλοις. Idem verò non tantum oleum, ſed & ipſam actionem deſipientium eſſe dixit apud Lucianum in ſcripto de Gymnaſiis, his verbis: Ὡς ἔμοιγε μανία μᾶλλον ἐοικέναι δοκεῖ τὸ πρᾶγμα, καὶ οὐκ ἔστιν ὅστις ἂν ῥᾳδίως μεταπείσειέ με, ὡς οὐ παραπαίουσιν οἱ ταῦτα δρῶντες, i. e. *Nam hæc actio mihi potiùs videtur eſſe inſania: neque me quiſquam ab hâc ſententiâ dimoveat, hos qui iſta faciunt, deſipere.* In quibus tamen durior paulò contra Græcam juventutem eſt Anacharſis. Sanè uti Ariſtoteles Politicorum lib. VIII. docet, teneri puelli in haſce Palæſtras mitti debebant, ut validiores, ac robuſtiores inde egrederentur, hæc enim res ἀκμὴν οὐ μικρὰν ἐπάγει τοῖς σώμασιν *vigorem haud exiguum corporibus*

ad-

adfert, ut inquit Lucianus de Gymnaſiis. Hinc etiam neque Plato reprobavit, quod vel ipſæ virgines currendo atque luctando ſeſe exercitarent: quin non ſolum puellis junioribus id permiſit, ſed & fæminas etiam maturas cum hominibus luctari voluit, quod ipſum etiam nobis indicat Xenophon in Lacedæmoniorum Politia, ſcribens Lycurgi decretum fuiſſe ut fæminæ liberæ (dum liberis gignendis vacarent) luctâ violentâ & curſibus, ſicut maſculi, corpora exercitarent, ut horum laborum tolerantiâ graviores quoque adire diſcerent. Quod verò corpus oleo fricaverint, quorundam ſententia eſt, id factum fuiſſe, quia oleum inſervit nervis & membris fortificandis, reddens ea mollia, atque vim & vigorem adferens; quod aperit Plinius his verbis: *Duo ſunt liquores corporibus humanis gratiſſimi, intus vini, foris olei, arborum è genere ambo præcipui, ſed olei neceſſarius.* Aliis tamen placet id factum fuiſſe, ut Palæſtritarum corpus lubricum magis redderetur, utque difficilius per brachia prehenderentur, quod tangit Lucianus in libello de Gymnaſiis; cum Anacharſin Scytham

tham ita loquentem inducit: Ἐν ἱδρῶτι ἅμα πολλῷ γέλωτα ἐμοὶ γοῦν παρέχουσιν, ὥσπερ οἱ ἐγχέλυες ἐκ τῶν χειρῶν διολισθαίνοντες. *Mihi riſum pariunt, quod ſudore multo perfuſi velut anguillæ è manibus elabuntur.* Ut verò etiam nimiam Lubricitatem impedirent, ac prehenſiones facerent firmiores, mos fuit corpus aſpergi pulvere quodam aut arenulâ *Aphè* dictâ, quam κονίστρα ſive *Conyſterium* illis ſuppeditabat. (Ita autem locum vocabant, ubi pulvis aſſervabatur) quod lubricitatis arcencendæ ergo antiquos feciſſe, clarè nos docet Lucianus l. c. Καὶ αὐτοὶ ἑκόντες πάττουσι τὴν κόνιν ἀλεκτρυόνων δίκην, ὡς ἀφυκτότεροι εἶεν ἐν ταῖς συμπλοκαῖς οἶμαι, τοῦ ψάμμου τὸν ὄλισθον ἀφαιρούσης, καὶ βεβαιοτέραν ἐν ξηρῷ παρεχούσης τὴν ἀντίληψιν. i. e. *Ipſique ultro Gallorum inſtar pulverem aſpergunt, quominus ut puto in complexibus effugiant, arenâ demente lubricitatem, & firmiorem in arido præbente comprehenſionem.* Attamen id etiam feciſſe videntur, ut corporis vigorem juvarent, quod nobis ſuggerit Lucanus, de pugnâ Herculis & Antei verba faciens:

Auxilium nervis calidas infundit arenas.

Hujus

Hujus verò pulveris tantoperè curioſi fuerunt veteres, ut ex Ægypto eum aſportari curarent, ita enim Tranquillus refert, Neronem Cæſarem tempore famis publicæ navem illo onuſtam pro ſuæ aulæ athletis venire juſſiſſe. Ex hâc quoquè pulveris aſperſione lucem haurit illud proverbium inter Cræcos: ἀκονιτὶ νικᾶν i. e. *victoriam obtinere abſque moleſtiâ, pugnâ, ac ſudore*; quod apud Pauſaniam legimus, qui Dioreum Athletam in Olympicis victoriam ἀκονιτὶ abſtuliſſe. ſcribit, id eſt, cum illi nemo ſe ad pugnam obtuliſſet. Eleganter ad hunc morem alludit Tertull. de Pallio: *Studia Palæſtræ malè ſeneſcentia, & lutea unctio, & pulverea volutatio.* Et Apulejus lib. IX. metam. hæc habet: *In modum pugilum, qui pulviſculo perſparſi dimicant.* Item Ovidius lib. IX. in congreſſu Herculis & Acheloi:

-- -- -- tumidique à pectore vâras
In ſtatione manus; & pugnæ membra paravi.
Ille cavis hauſto ſpargit me pulvere palmis;
Inque vicem fulvæ jactu flaveſcit arenæ.

Pulvetulenti verò & laſſi campeſtribus exercitiis ſudorem, pulverem, atque odorem olei vicino Tiberi inter Romanos natantes abluebant, & ideò illos ludos in campo Martio celebrabant, quod is Tiberi vicinus eſſet. Cui rei aſſentit Vegetius lib. I. c. X. *Romani campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juvenes poſt exercitium armorum ſudorem pulveremque diluerent, ac laſſitadinem, curſusque laborem natando deponerent.* Hinc factum, quod Horatius campum Martium cum Tiberi conjungat, ac de utroque lib. III. od. VII. ita loquatur:

Quamvis non alius flectere equum
ſciens
Æque conſpicitur gramine Martio:
Nec quiſquam citus æque
Tuſco denatat alveo.

Sed tamen etiam nonnulli, poſtquam ſeſe exercuiſſent, ad Balnea pergebant, non ſemper expetentes flumina. Sic apud Plautum in Stich. legimus: *Poſtea ibo lavatum á pilâ.* Et Martial. in Apophor. CLXI.

Redde pilam, ſonat æs thermarum.

De Græcis id videre eſt in Luciani Lexiph. hæc habentis: Εἶτα συντρι-

βέν-

βάντες, καὶ ἀλλήλους καταγωνισάμενοι, καὶ ἐμπαίξαντες τῷ Γυμνασίῳ, ἐγὼ μὲν, καὶ Φιλῖνος ἐν τῇ θερμῇ πυέλῳ καταιονηθέντες, ἐξῄειμεν. Sed dum de Athletis verba facimus in tranſitu Quæſtiunculam leviter attingendam duxi, An nempe cum certarent omninó nudi eſſent? Sunt quibus id non placet, & maximâ quidem ex parte nudos fuiſſe dicunt, reliqua tamen membra velamento texiſſe. Nobis verò in contrariam partem ſatis argumento eſt, quod & Auguſtus Cæſar vetuerit, ne fæminæ iſtiusmodi ſpectaculis intereſſent; & Thucydides l. I. auctor ſit, olim quidem Athletas fibulatis campeſtribus certaſſe, ſuo tamen ævo nudos: & hanc veterem modeſtiam ſervari in Aſiâ. Plura de Athletis vide ſis apud Lucianum περὶ Γυμνασίων, ac in ejusdem Hermotimo, Iſidor. orig. lib. XV. c. II. & Hieron. Mercurialem lib. de arte Gymnaſticâ.

Verùm ad aliud Athletarum genus, quos Græci δρομεῖς, i. e. *Curſores* nominarunt, pergimus, qui m. inungi ſolebant, id quod in Agoniſticis ex ſcholiaſte Ariſtophanis pridem notavit Petrus Faber lib. II. ſemeſt.

meſt. c. XXII. verba ſunt editionis nuperrimæ: Διὰ τὸ πάντα ἄνθρωπον κεκτημένον ἐλαίας ἀναγκάζεσθαι μέρος τι παρέχειν εἰς τὰ παναθήναια. Κέραμον γὰρ ἐλαίου ἐλάμβανον οἱ νικῶντες, ἐπεφύτευτο καὶ ἐν τῷ γυμνασίῳ δένδρον. ἔθος καὶ ἦν τοῖς ἀσκουμένοις ἀλειψαμένοις ἐν τῷ ἡλίῳ τρέχειν. Nonnulli tamen autumant hunc locum nequaquam hoc ſenſu capiendum eſſe, ſed potiùs antiquitùs morem fuiſſe, ut ante Luctam pugiles uncti in ſole diſcurrerent. Meâ quidem ſententiâ omninò de curſoribus interpretari poſſimus hunc locum, quod clariùs liquet ex Papinii Thebaid. lib. VI. de curſoribus ita canentis:

----- tunc Palladios non inſcius hauſtus
Incubuit, pinguique cutem fuſcatur olivo.
Hoc Idas, hoc more Dymas, aliique niteſcunt.

Quo in loco per *Palladios hauſtus* oleum intelligit, ut rectè Scholia vetera & Lutatius.

Porrò etiam unguentis perfundebantur divites, & homines lauti, ut pompam & luxum oſtenderent. O-

doratis enim unguentis perfuſum caput plerumque divitiarum fuit argumentum. Inde Lucill.

Hi quos divitiæ producunt & caput ungunt.

Facetè Cicero in IV. contra Verrem, *Palæſtritas defendebat, ut ab illis unctior diſcederet.*

His adjungantur hoſpites, aut alii, qui è longinquo itinere in ædes alicujus divertebant. Sic Telemachus & Piſiſtratus, in ædes Menelai adventantes, lavabantur ab ancillâ ac ungebantur. Homer. Odyſ. IV. Et apud Milonem divertens Apulejus ab ancillâ ad balneas producitur, ibique ungitur. Ita enim habet Metam. lib. I. *Fotis*, inquit Milo, *Sarcinulas hoſpitis ſuſceptas, cum fide conde in illud cubiculum: ac ſimul è promptuario oleum unctui, lintea terſui, & cætera huc eidem uſui profer ocyter; & hoſpitem meum produc ad proximas balneas, ſatis arduo itinere, atque prolixo fatigatus eſt* Ratio, cur id factum ſit, haud obſcurè in poſtremis Milonis verbis latet; nempe non ſolum ut ibi ſordes abluerentur, ſed etiam ut voluptatem & reſocillationem ſibi compararent.

rent. Nam utrumque finem ſpectabant veteres, teſte Euſtathio, cum refert βαλανεῖον eſſe introductum, ut eſſet ῥυποῦ μὲν ἀποθετικόν, ἀναψυχῆς δέ τινος αἴτιον. Et ſanè medentur Balneæ laſſitudini. Unde Plautus in Mercatore:

Nunquam ædepol omnes balneæ mihi hanc laſſitudinem eximent &c.

Atque hinc Athnæus lib. I. balnea vocat ἄκη πόνων παντοίων. Certè quia temperatur lotione craſſus & melancholicus humor inde etiam eâ exhilaratur animus. Ex hactenus adductis præterea patet, Ancillas etiam nonnunquam ungendi officio functas, quod alioqui divites & elegantiores à ſervis ſuis peragi curabant; ſed ubi de Ancillis fit mentio, balneum quoque privatum ac domeſticum intelligi nullus dubitem, quanquam homines modici hoſpites ad balnea publica producebant, conductis balnearibus, qui ſequi juſſi, ungendi officio fungebantur. Sic Milo Apulejum lib. III, Met. *juſſis balnearibus adſequi, perduxit ad lavacrum proximum.* Hi balneares, ut opinor, balneatoris famuli erant, ad id con-

ti, ut eis, qui balnea introirent, præſto eſſent. Balneator autem dicebatur, qui illis præerat. Pauperes verò horum balnearium munere ipſi fungebantur, & ſe & hoſpites lavabant, ungebantque. Sic iterum exemplo nobis ſit illud Apuleji lib. I. Met. *Illicò lavacro trado. Quod unctui, quod terſui opus ipſe præminiſtro. Sordium enormem eluviem operosè exfrico*, &c. At illud nobis adhuc obſervandum, quod poſt lotionem demum ſeſe unxerint, ut hoc pacto obſtruerentur corporis pori & ſpiramenta. Id quod apertè indicat Euſtathius Iliad. X. Ἐλαίῳ δ᾽ ἐχρίζοντο οἱ λουσάμενοι ἐμφράττοντες τοὺς σωματικοὺς πόρους, ὡς ἂν κατὰ λοῦτρον στέγοιεν τὴν ὑγρότητα.

Ad eos nunc veniamus, qui artem Magicam callentes, ſeſe in totum oleo illinebant, cujus beneficio tunc quæ vellent præſtabant, v. g. *Magico ſuſurramine amnes agiles facere reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes exſpirare, Solem inhiberi, Lunam deſpumari, ſtellas evelli, diem tolli, noctem teneri.* Imò ſeu in bruta & volucres ſe immutare, ſeu divinationes & alia plura poſſe credebant vanæ mentes; utpote *quibus obaudiant Manes*,

nes, *turbentur ſidera*, *cogantur numina*, *ſerviant elementa.* Verba Luciani apponam, quibus Magam deſcribit, quæ faſcinandi artis haud ignara transformabatur, atque Corvum nocturnum agebat. In ejus Aſino hæc leges: Εἶτα κιβώτιον ἁδρὸν ἀνοίξασα, πάνυ πολλὰς ἔχον πυξίδας ἐν αὐτῷ, ἔνθεν ἀναιρεῖται, καὶ προσφέρει μίαν. Ἡ δὲ, εἶχεν ἐμβεβλημένον, ὅ, τι μὲν οὐκ οἶδα, τῆς δὲ ὄψεως αὐτῆς ἕνεκα, ἔλαιον αὖ ὁ ἐδόκουν εἶναι. Ἐκ τούτου λαβοῦσα, χρίεται ὅλη, ἀπὸ τῶν ὀνύχων ἀρξαμένη τῶν κάτω. Καὶ ἄφνω πτεραὶ ἐκφύεται αὐτῇ. Καὶ ἡ ῥὶν κεραλίνη, καὶ γρυπὴ ἐγένετο. καὶ ἄλλα δὲ, ὅσα ὀρνίθων ἀλήματα. Καί σύμβολα πάντα εἶχε. Καὶ ἦν ἄλλο οὐδὲν, ἢ κόραξ νυκτερινός. Quæ ex verſione J. Benedicti ita redduntur: *Tum reſeratâ majuſculâ arcâ, quæ pyxides multas continebat, unam hinc effert, in quâ quid contineretur neſcio, ſed quantum oculi conjicere poterant, oleo plena videbatur. Ex hoc ſumens tota inungitur, ab imis unguibus inchoans: ſtatimque ipſi enaſcuntur alæ; naſus corneus & aduncus, omneſque avis notas, quotquot ſunt, habebat, nihilque aliud erat, niſi nocturnus Corvus.* Id autem agebant, atque in avem plumabantur, cum *ſcitulæ formulæ juvenem quempiam libenter* adſpexiſſent,

iſſent], ut ſic ad ſuum cupitum devolare poſſent; quemadmodum id refert Apulejus Met. l. III. Oleum etiam, quo ungebantur, χρίσμα μεμαγευμένον appellat Lucianus l. c. Multam prætérea vim in Verbenacâ inveniebant Magi; de quâ audiamus Plinium lib. XXV. cap. IX. ita loquentem: *Utrâque* (ſpecie) *ſortiuntur Galli, & præcinunt reſponſa. Sed Magi utique circa hanc inſaniunt. Hac perunctos impetrare quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi* &c. Verbenaca vero eadem eſt herba, quæ & verbena dicebatur; quod patet ex eodem ſcriptore Plinio l. c. *Nulla tamen Romanæ nobilitatis plus habet, quam hierabotane. Aliqui periſtereon, noſtri verbenacam vocant.* Quibus in verbis oſtendit Plinius nullum planè inter hierabotanen ac verbenacam eſſe diſcrimen, niſi quod vox illa ex Græciâ, hæc originem è Latio petat. Ac ſanè & verbena eſt ἱερὰ βοτάνη, ut Dioſcorides aliique volunt; quamvis *abuſivè verbenas jam vocemus omnes frondes ſacratos, ut eſt Laurus, Oliva, vel Myrtus.* Terentius: *Ex arâ ſume hinc verbenas. Nam Myrtum fuiſſe Menander*

der teſtatur, *de quâ Terentius tranſtulit*, ut ait Servius ad XII. Æneid. non tamen Plinius dubitat dicere id eſſe ſacri graminis genus lib. XXII. c. II. ubi verbenas etiam *ſagmina* vocat, id eſt, ſanctas vel ſancitas; ab illis enim vocibus nomen accepere, ut tradit Feſtus Pompejus: *Sagmina vocantur verbenæ*, *id eſt*, *herbæ puræ*, *quia ex loco ſancto arcebantur à Conſule Prætoreve legatis proficiſcentibus ad fœdus faciendum*, *bellumque indicendum*: *vel à ſanciendo*, *id eſt*, *confirmando*. *Nævius*: *Jus ſacratum Jovis jurandum ſagmine*. Hucuſque Feſtus. Plinii verba ſunt: *Non aliunde ſagmina in remediis publicis fuere*, *& in ſacris legationibusque verbenæ. Certè utroque nomine idem ſignificatur*, *hoc eſt gramen ex arce*, *cum ſuâ terrâ evulſum*, *ac ſemper & legati*, *cum ad hoſtes*, *clarigatumque mitterentur*, *id eſt*, *res raptas clarè repetitum*, *unus utique verbenarius vocabatur*. Quo ex loco etiam politicum verbenarum uſum diſcimus. His adjiciamus quæ de verbenacâ habet Turnebus. lib. VIII. c. XXIII. cujus verba heic adſcribere non pigebit: *Idem*, inquit, *de verbenacâ ſentio*, *& verbenatam dici debere præ-*

 dico,

dico, cum preſertim verbena gramen ex arce cum ſuâ terrâ evulſum ſignificet, quod gramen ſacrum putabant, & περιστερεὼν, i. e. verbenata, ſæpe ſumeretur, & verbena fieret, & ut ita dicam verbenaretur: Quo factum eſt, ut verbenata etiam verbena diceretur.

Verum mitto hæc, & ad corporis partes venio, quarum unicuique pro variâ illorum diverſitate ac proprietate diverſa etiam unguenta adhibebant, ut ſanitatem conſervarent. Multus in his exponendis eſt Athenæus & alii. Sic leges caput & collum, ſupercilia ac capillos inungi & confricari ſolere oleo *Serpillino*; & apud Thoricenſes, populum Atticum, *Amaracino*, genas & mammillas φοινικήῳ, genua & collum ἑρπυλλίνῳ, unum brachiorum *Siſymbrino*, & tibias à genu usque ad imos ungues μύρῳ Αἰγυπτίῳ. Alii oſſa nervosque linebant *Creſſino* & *Amaracino*. De oleo *Baccarino*, ut ſuperiùs memini, ſcripſit Hipponax, cum ait: Βακκάρει δὲ τὰς ῥῖνας ἤλειφεν. Inter Romanos ac Græcos caput & capilli perfundebantur *Nardo*. Ita Tibullus lib. III. El. VI.

Jam

Jam dudum tyrio madefactus tempora Nardo.

Item *Amomo*; ad quod hortatur Martialis lib. VIII. ep. LXXVI. his verbis:

Si ſapis Aſſyrio ſemper tibi crinis Amomo
Splendeat.

Nam alibi dixerat,

Unguentum hæredi nunquam, nec vina relinquas,

Balſamo: Juvenalis ſat. II.

—— *hirſuto ſpirant opobalſama collo.*

Myrobalano. Horat. lib. III. od. XXIX.

Preſſa tuis balanus capillis.

Et *Myrrhâ.* Hor. l. III. od. XIV.

Myrrheum nodo cohibere crinem.

Quod tamen debilitare videtur vetus interpres Pomponius Porphyrio, inquiens: *Colorem myrteum in crinibus hodie quoque dicunt, qui medius eſt inter flavum & nigrum*: ut itaque videatur in Horatio legiſſe *myrteum* non *myrrheum.* Et ſane extat & apud Tibullum locus, ubi hujus coloris in crinibus meminit; cum lib. III. el. IV. inquit:

 Stilla-

Stillabat Tyrio myrtea rore coma.

Qui color non de crinibus tantum dicebatur, ſed etiam de aliis rebus, v. g. de equis; ut habet Pallad. lib. IV. c. XIII. Petron. *Myrtea ſubornatus gauſapia.* Dioſcorid. ξύλον ὑπόκιῤῥον. Et Iſidorus inquit, *Myrteus color preſſus in purpuris.* Sed color ὑπόκιῤῥος purpura fuſcior. In crinibus & equis eſt color, quem noſtri *Kaſtaniebruyn* appellant. Nos heic in Horatio retinemus myrrheum: illa enim viguit conſuetudo; Ut ex Virgilio clariùs videre eſt:

- - - - crines
Vibrati calido ferro, myrrhâque madentes.

Et Ovid. lib. V.

Et madidos myrrhâ curram crinale capillos.

Denique *Malobathro.* Hor.

- - - - Nitentes,
Malobathro Syrio capillos.

Imò adeò expetebant comtos capillos, ut tanquam pro pœnâ haberetur crines amicæ fœdare, quod probat Tibullus I. el. X.

Jam mihi perſolves pœnas, pulviſque decorem

De

Detrahet, & ventis horrida facta coma,
Vretur facies, urentur ſole capilli, &c.

Et Venus ſtomachata biles venereas, ac filio, quod amicam haberet, infeſta inquit: *Tunc injuriæ meæ litatum crediderim, cum ejus comas, quas iſtis manibus meis ſubinde aureo nitore perſtrinxi, deraſerit.* apud Apulejum Metam. V. Præterea hæc unctio adeò luxurioſa fuit, ut de eâ Martialis ſcribat l. XII. ep. XXXVIII.

Crine nitens, niger unguento.

Quin imò vel pauperrimæ mœchæ crines ungebant: quod colligo ex eodem ſcriptore l. III. ep. LXXXII.

Et Coſmianis ipſe fuſis ampullis
Non erubeſcit murice aureo nobis
Dividere mœchæ pauperis capillare.

Cur autem hæc fierent, varias ut puto cauſas habuere; quaſdam tamen, (quis enim omnes recenſeat) quas obſervare potui, non verebor hic apponere. Sæpiùs odoramentis utebantur, ut corporis vitia v. g. oris fœtorem & ſpurcitiem diſſimulare poſſent. Talis erat Poſthumus, quem Saty-

Satyricé expoſtulat Martialis ſub aſſiduo diapaſmatum & unguentorum odore nil boni ſuſpicans, ſed latere ulcus, vomicam, aut tetrius quippiam. Ita enim de illo; lib. II. ep. XII.

Eſſe quid hoc dicam, quod olent tua baſia myrrham,
Quodque tibi eſt ſemper non alienus odor?
Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles benè, poſthume, ſemper:
Poſthume, non bene olet, qui bene ſemper olet.

Hinc idem Poëta lib. VI. ep. LV. inquit:

Rides nos, Coracine, nil olentes:
Malo, quam bene olere, nil olere

Et Cicero ad Attic. Ep. I. mulieres laudat, quæ unguentà odorifera negligunt. *Quanquam*, inquit, *tua illa horridula mihi atque incompta viſa ſunt: ſed tamen erant ornata, hoc ipſo, quod ornamenta neglexerant: & ut mulieres ideò benè olere, quia nihil olebant, videbantur.* Senes ſe ungebant, ut calvitiem capitis diſſimularent, juveneſque apparerent. Sic modo allegatus auctor Senem jocatur habuiſ-

ſe

ſe capillos unguenti pictos colore, quos ſpongia poterat totos delere: Nam qui olim toto erant capite calvi, ſibi ſolebant unguento perfuſi velut fila capillorum unitare. l. VI. ep. LVII.

Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis ſordida calva comis.
Tonſorem capiti non eſt adhibere neceſſum:
Radere te melius ſpongia, Phœbe, poteſt.

De tali quoque ſene intelligenda, quæ habet eodem libro: ep. LXXIV.

Calvam Trifilem ſemitactus unguento.

Sulcis nempe & quaſi ſemitis unguento ductis & pictis in calvo capite tripili ſeu trifili, tres ſcil. vel paucos admodum habente capillos. Adi Turnebum lib. XXV. c. XXVII. Alii unguentis uſi ut pompam & luxum oſtenderent, uſum enim lapſu temporis verterant in Luxuriam. Claudian. de bello Gildon.

Umbratus dux ipſe roſis, & marcidus ibit
Unguentis, cruduſque cibi. Et

Et Lucianus in libro de Amoribus talia refert : Ὁπόσαις δὲ ἀρκεῖν ἡ μέλαινα χάτη νομίζεται, τῶν γεγαμηκότων πλοῦτον εἰς ταύτην ἀναλίσκουσιν, ὅλην Ἀραβίαν σχεδὸν ἐκ τῶν τελχῶν ἀποπνέουσαι; i. e. *Aliæ vero, quibus nigra coma videtur ad formam ſufficere omnes maritorum opes in hanc impendunt, totam pæne Arabiam ex capillis ſpirantes.* Imò admodum invaluit hæc Luxuria, ut odorem prodigum ex utrâque corporis parte captarent, & non tantum linerentur, ſed etiam ipſis vaſculis unguentariis potarent. Vide ſis Plinium lib. XXXI. & μύρῳ οἶνον μιγνύντες οὕτως ἔπινον, ut tradit Ælian. var. hiſt. lib. XII. c. XXXI. De his igitur loquitur Juvenalis Sat. VI.

Cum perfuſa mero ſpumant unguenta falerno.
Cum bibitur concha &c.

Et Martialis de Ampullâ potoriâ ſcribens in Apophor. ep. CVIII.

Hac licet in gemmâ, quæ ſervat nomina Coſmi
Luxurioſè bibas, ſi foliata ſitis.

Foliatum quid ſit ſuperiùs indicavimus; interea per foliatum hic vinum Nar-

Nardinum arbitror poſſe intelligi; illud erat, quod vel Nardo vel unguento Nardino conditum fuit. De quo Plautus in Milit. Glorioſ. act. III. ſc. II.

Demiſit Nardini unam Amphoram Cellarius.

Veteres autem (ut Theophraſtus auctor eſt) unguenta vino miſcebant; nonnulli ſubitò in ipſa compotatione; alii verò jam ante ſic medicatum, & curatum habebant: Evolvatur hâc de re Turneb. Adverſariorum lib. II. c. XXIX. Horum quoque meminit Lucianus in Nigrino, qui luxurioſiſſimos deſcribens, in illos, quia communia naturæ munera faſtidiunt, ita invehit: τούτους γὰρ εἶναι τοὺς μέσου χειμῶνος ἐμπιπλαμένους ῥόδων. Καὶ τὸ σπάνιον αὐτῶν καὶ παράκαιρον ἀγαπῶντας. Τούτους εἶναι τοὺς καὶ τὰ μύρα πίνοντας, i. e. *Hos illos eſſe, qui mediâ etiam hyeme roſis opplentur. Earumque raritatem intempeſtivam amant: hos illos eſſe, qui unguenta bibunt.* Quin & cibis unguenta ſolebant admiſcere nonnunquam; quemadmodum id obſervat Turnebus l. XXI. cap. IV. Hanc autem luxuriam longè ſuperavit admi-

miranda illa Coſmi cujuſdam; qui in ſolidum ahenum, ex ære vas, multis ac diverſis odoribus & unguentis pretioſiſſimis plenum deſcendebat, ſeque illis immergebat, de quo Juvenal. Sat. VI.

Et Coſmi toto mergatur aheno,

Hinc *uncti* luxurioſi & voluptatibus dediti dicuntur apud auctorem allegatum:

- - - unctamque Corinthum.

Porrò juvenum erat, ut unguentis delibuti ad amicas irent, ut placerent illis, ac ad Venerem incitarent; cum enim ob finem etiam in congreſſu unguentis fuiſſe uſos teſtatur Lucianus in Aſino. At nobis ſenem ſiſtit Horatius, qui pretioſiſſimo unguento perſuſus amicæ placere ſtudet:

Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent ſuburbanæ canes.
Nardo perunctum, quale nec perfectius
Meæ laborarunt manus.

Epod. lib. od. V. talem etiam invenies apud Plautum in Caſinâ. Alioqui

qui mulieres eandem ob cauſam etiam id feciſſe legimus, quod clarè apparet ex Apuleji verbis: lib. VI. Metamorph. *Et Ecce*, inquit Pſyche, *inepta ego divinæ formoſitatis gerula, quæ nec tantillùm quidem indidem mihi delibo, vel ſic illi amatori meo formoſo placitura.* Hinc ſicut Cereri panem, vinum Baccho, ſic Veneri unguenta tanquam ipſi propria dedere Veteres. Unde Papinius Statius Sylv. lib. III.

- - *maternoque rogos unxiſtis amomo.*

Et Lucianus in Icaromenippo Deûm deſcribens convivium, καὶ ἄρτον, inquit, ἡ Δημήτηρ παρεῖχε, καὶ ὁ Διόνυσος οἶνον, καὶ ὁ Ἡρακλῆς κρέα, καὶ μύρτα ἡ Ἀφροδίτη, καὶ ὁ Πυσειδῶν μαινίδας. Quibus in verbis pro μύρτα Marcil. reſtituit μύρα, ut ex eodem videre eſt.

Ne verò fæminarum veſtes & velum tenue bombycinum unguentis hiſce macularetur, crines compoſiti & ſparſi ornatricum acu ſuſtinebantur, quam Græci βελόνην appellabant, atque *acum crinalem* dicit Apulejus lib. VIII. Varii erant uſus hæ aciculæ, nam & caput illis ſcalpebant. Feſtus: *Acus, quâ mulieres ſcalpunt*

caput. Capillum diſtinguebant, unde *diſcerniculum* dicebatur, teſte Nonio, & certe id nomen apud Lucillum invenitur, & Tertull. *Cedo acum crinibus diſtinguendis.* Hieron. adverſus Ruffinum: *Fecerunt hoc & Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Johannem, quia veritatem non poterant audire, & linguam veriloquam acu diſcriminali confodiebant.* Ergo innuit acum diſcriminalem Xiphilinus, qui de eâdem Fulviâ: Καὶ ταῖς βελόναις, αἷς ἐς τὴν κεφαλὴν ἐχρῆτο, κατεκέντησε. Acu (ut jam diximus) capillos comptos figebant, de hac Xiphilinus: Βελόνη, ἣ τὰς τρίχας ἤρεν. Et Iſidorus orig. lib. XIX. *Acus ſunt, quibus in fœminis ornandorum crinium compago retinetur ne laxius fluant, & ſparſi diſſipentur.* Habes apud Martialem de acu aureâ diſtichon in Apophor. XXII.

Tenuia ne madidi violent bombycina crines,
Figat acus ſparſas ſuſtineatque comas.

Alio loco ſatis indicat multis orbibus capillos circa acum volvi ſolere, ne diſſipentur. Ejusdem enim eſt illud: lib. II. ep. LXVI.

Unum

Unus de toto peccaverat orbe comarum.
Annulus, inſertâ non bene fixus acu.

Ipſas autem acus illas gemmis ornabant, ut docet Ulpianus. Atque acu crinali, (quamvis à calamiſtro differat, hujus enim uſus erat in capillis torquendis & vibrandis; illius vero in diſcriminandis & continendis) Veteres tamen videntur calefactâ vibraſſe capillos. Unde in Iſidori gloſſis: Acus, *Calamiſtratorium.* Et ejusdem lib. XX. cap. XIII. *Calamiſtrum eſt acus, quæ calefacta & adhibita calefacit; & intorquet capillos. Unde & calamiſtrati appellantur, qui comam torquent.* Et Nonio Marcello *Calamiſtrum eſt fiſtula brevis, quâ cirri continentur.* Non enim Nonius & Iſidorus Calamiſtrum & acum confunderent, niſi acu quandoque pro calamiſtro uſi fuiſſent. *Calamiſtrum* Nonius *fiſtulam* dicit, rectiſſimè, quia inſtar arundinis, quæ *κάλαμος* Græcis, intus cavum erat.

Maximam verò comarum curam habuere Græci, eamque ſtudioſè aluerunt, ut ſcribit Euſtathius; non tantum venuſtatis gratia, ſed etiam formidinis: Ἔθος ἦν αὐτοῖς κόμην τρέφειν, οὐ μόνον ἐς κάλλος, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ

φοβερόν. Οὕτω γὰρ ὁ λέων χαιτήεις φοβερώτερος τῆς μὴ χαίτην ἔχοντος. Ita quoque de Leonida Spartanorum rege refert Philoſtratus lib. VIII. Ἐγένετο κομῶν ὑπὲρ ἀνδρείας, τοῦ καὶ σεμνὸς μὴν φίλοις ἢ ἐχθροῖς φοβερὸς φαίνεσθαι. Alioqui magis pulcritudinis atque ornatus causâ Romanos ac recentiores Græcos hoc factitaſſe legimus, inde præcipuè flava inter illos coma celebrata fuit, quia commendatiorem vultum reddere credebant. Ita flavum capillitium commendat Valer. Flaccus l. V.

Tum novus implevit vultus honor, ac
ſua flavis
Reddita cura comis.

Et Catullus laudat auream Berenices comam, adeoque in univerſum Euripides ait; Amorem *capi flavâ comâ*, φιλεῖ κάτοπτρα καὶ κόμης ξανθίσματα. Unde etiam illi, quibus ex naturâ flavi crines non erant, arte acquirebant. Sic Menand. apud Clem. Alexand. Οὐ δεῖ, inquit, τὰς τρίχας ξανθὰς ποιεῖν. Et Lucianus in Amoribus: Αἱ μὲν γὰρ φαρμάκοις ἐρυθραίνειν δυναμένοις πρὸς ἡλίου μεσημβρίαν, τοὺς πλοκάμους, ἴσα ταῖς τῶν ἐρίων χροιαῖς, ξανθῷ μεθαβάπ-

ϐαπλῦσιν ἄνθει τὴν ἰδίαν καταχρίνουσαι φύσιν, i. e. *Nam aliæ quidem medicamentis rubefaciendi ad ſolis meridiem vim habentibus, capillos perinde ut lanarum coloribus, flavo inficiunt flore, propriam damnantes naturam.* Romanæ præcipuè fæminæ veteres amavere hunc colorem; unde quædam ſibi illum *cinere* conciliabant, quo capillos rutilarent. Valer. Max. lib. II. c. I. de priſcis Matronis: *Quo formam ſuam concinniorem efficerent, ſummâ cum diligentiâ capillos ſuos cinere rutilabant*, & Cato in originibus p. 139. & 140. *Mulieres noſtræ capillum cinere inungitabant, ut rutilior eſſet crinis.* Rectè dicit cinere inunxiſſe capillos; cinis utique ille non erat pulvis diſſolutus, ſed *Lixivium*, aut *Sapo Gallicus*; Galliarum enim hoc inventum aſſerit Plinius lib. XXVIII. cap. XII. *Prodeſt & ſapo, Gallorum hoc inventum rutilandis capillis. Fit ex ſevo & cinere. Optimus fagino & caprino, duobus modis ſpiſſus ac liquidus. Uterque apud Germanos majore in uſu viris quam fæminis.* Idcirco Trallianus ſcribit: καὶ γαλλικοῦ σάπωνος· ἀναλύσας ἐν τῷ χύλῳ. Apud Germanos maximo in uſu erat, cùm eo etiam viri, teſte Plinio, crines rutilarent.

larent. Rutilus verò color videtur eſſe igneus & flavus, ſive aureus. Hinc Batavi Silio Auricomi dicti:

At puer Auricomo jam formidate Batavo.

Quomodo & Vandalos χρυσοειδεῖς, id eſt *auricolores capillos* Procopius habere ait. Martialis verò *Ruffum* dixit Batavum:

Sum figuli luſus Ruffi perſona Batavi.

Græci plerumque ξανθὸν nominarunt, quamvis Galenus velit Germanos magis propriè πυῤῥοὺς dici quam ξανθούς. De his Germanorum nativis crinibus Calpurnius Flaccus: *Miramur hanc legem eſſe naturæ, ut in ſobolem transeant formæ, quas quaſi deſcriptas ſpecies cuſtodiunt: ſua cuique genti etiam facies manet. Rutili ſunt Germaniæ vultus, & flava proceritas &c.* Verum & inter ipſos Germanos ab arte rutilus efficiebatur crinis: Crebro enim medicamentis illum lavabant; ita Ammianus: *Videbat* (ſc. Germanos) *lavantes alios, quosdom comas rutilantes ex more.* Plinius eum colorem in crinibus gelidi Cœli beneficium exiſtimat, quod tamen non putem, ſed potiùs ex uſu

ſmeg-

ſmegmatis & ſpumæ Catticæ ſeu Saponis liquidi hunc colorem ſibi aſciviſſe Germanos arbitrarer; ſpuma autem Cattica eſt Batava ſpuma, (fortaſſis inde accepto nomine, quod olim Batavorum regionem incolebant Catti) quod indicat Martialis lib. VIII. ep. XXXIII.

Et mutat Latias ſpuma Batava comas.

Sive, ut alibi docet, *Cauſtica*; vel ut reperitur in quibusdam exemplaribus, *Cattica*:

Cauſtica Teutonicos accendit ſpuma capillos.

Ita ab igneâ vi cineris, quæ lixivio incoquitur, ex quo Sapo conficitur tam liquidus, quam ſpiſſus, qui à Mattiacis in pilos denſabatur, & inde *Pila Mattiaca* dicebatur. Ipſe Martialis in Apoph.

Si mutare paras longævos cana capillos
Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.

Mattiacæ autem à Mattiacorum gente, quos *Selandos* juxta nonnullorum judicium nunc dicimus, ſive ut vo-

ſunt alii à Mattiaco oppido Germaniæ, quod hodie *Baden* vocant. Ut ut ſit, vile ſaponis genus fuiſſe tradit Turneb.* cap. XXIII. lib. IX. Sed & Germani Rheni accolæ rufos crines obliquarunt, inque nodum coëgerunt; ac præterea ſcobem & ramenta aurea videntur habuiſſe, quæ capiti inſpergerent, quo magis coma illuminata flaveſceret. De quibus haud obſcurè Martialis lib. V.

Rhenique nodos, auream que nitellam.

Ab his autem ad alios etiam iſte mos pervenit, ita enim refert Herodianus, quod non puduerit Antonium Imperatorem flavam capiti cæſariem aptare, quæ mentiretur Germanicæ tonſuræ modum; κόμας, inquit, τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθὰς, καὶ εἰς κουρὰν Γερμανῶν ἐσκημένας. Sed præſertim apud Romanas mulieres veteres in magnâ fuit æſtimatione hic color, ut anteà ex Valer. Max. lib. II. c. I. oſtendimus. Hinc & Ovidius Artis Amat. lib. III.

Fœmina canitiem germanis inficit herbis;
Et melior vero quæritur arte color.

Sed,

Sed, ut obſervat J. Scaliger, unde ſaponem putavit eſſe herbam? An ex Iſatide etiam fiebat iſte color; ita enim Propertius lib. II.

An ſi cæruleo quædam ſua tempora fuco
Tinxerit, idcireo cærula forma bona eſt.

Poſteriores verò Romanæ magis avidè huic colori inhiabant, quippe quæ ipſum flavum capillitium emebant à Germanis & pro ſuis comis ſupponebant. Id conſtat ex Ovidio ad puellam:

Jam tibi captivos mittet Germania crines,
Culta triumphatæ munere gentis eris.

Item artis Amat. III.

Fœmina procedit denſiſſima crinibus emptis;
Proque ſuis alios efficit ære ſuos.

Matronarum tamen honeſtiorum capillitium nigrum videtur fuiſſe, quod Servium notare video in IV. Æneid. qui Matronis nigram comam, Meretricibus vero flavam probatam fuiſſe ait. Huc igitur reſpexit Juvenalis Sat. VI. admodum Satyricè:

Et nigrum flavo crinem abſcondente
galero.

In illud vetus Interpres, *crine* inquit, *ſuppoſito, rotundo muliebri capitis tegumento, in modum galeæ facto, quo utebantur meretrices flavo. Nigro enim crine matronæ utebantur.* Alias *Croco* eam in rem uſas teſtatur doctiſſimus Tertull. libello de cultu fæmin. c. VI. *Video quaſdam & capillum croco vertere; pudeat eas etiam nationis ſuæ: quod non Germanæ aut Gallæ ſint procreatæ, ita Patriam capillo transferunt.* Item, *Thapſo*, quæ eſt herba ferulacea, cujus lignum Heſychio aurei coloris, qui inde χρυσόξυλον. Theocriti Scholiaſtes: Θάψος γάρ ἐστι ξύλον τι ὃ καλεῖται σκυθάριον. Ἤγουν Σκυθικὸν ξύλον, ὡς φησὶ καὶ Σαπφώ. Τούτῳ δὲ τὰ ἔρια βάπτουσι, καὶ τελοῦσι μήλινα, καὶ τὰς τρίχας ξανθίζουσιν. Ἔστι δὲ τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον χρυσόξυλον. Ἀσκληπιάδης δὲ, φυτόν τι χλωρόν, ὅθεν καὶ τὴν θαψίαν πρὸς τὰ ἐπώπια. Βάπτεσθαι δὲ ἐκ ταύτης, τὰ κροκοειδῆ. Quia mulieres eâ comam tingebant, inde θαψίνη γυναικὶ ait Comicus, quod exponit Scholiaſtes ὠχρᾷ. Ego Thapſum ſive Thapſiam (ita n. aliter dicebatnr, quamvis interdum ea diſtinguant)

guant) id fuiſſe minimè ambigo, quod noſtrates *Soethout* vocant, cujus liquore lutei ſeu aurei coloris capillos laverint. Quin etiam L. Verus, Commodus, & Gallienus Impp. crinibus ſuis illuminandis auri ſcobem aſperſerunt, cujus rei cauſam reddit Clemens lib. III. pædag. cap. III. terroremque effet ait: τῶν ἐθνῶν οἱ Κελτοὶ καὶ οἱ Σκύθαι κομῶσιν, ἀλλ' οὐ κοσμοῦνται. Ἔχει τι φοβερὸν τὸ εὔτριχον τοῦ βαρβάρου, καὶ τὸ ξανθὸν αὐτοῦ πόλεμον ἀπειλεῖ, συγγενές τι χρῶμα τῷ αἵματι. Ex hâc veterum conſuetudine capillos variis medicamentis mutandi haud inconcinnè conjectari forte liceat ritus illius veſtigia hodiernum apud varias gentes durare, dum polline orizæ vel farinæ vel etiam quocunque alio pulvere aut cinere ſicco & diſſoluto canitiem ſibi conciliant.

At, quamvis in viris æquè ac fæminis inter antiquos floruerit comæ ſtudium, non tamen id apud omnes ſemper laudatum invenies; ut vel ex eo liquet, quod Paridi tanquam effæminato objiciatur ab Hectore nimia comarum cura, & Diomede. Iliad. III. Et pereleganter in hanc rem Phocylides:

Μὴ

Μὴ μὲν ἐπ' ἄρσενι παιδὶ τρέφειν χαίτην πλοκαμῖδα·
Μὴ κορυφὴν πλέξῃς, μήθ' ἅμματα λοξὰ κορύμβων
Ἄρσεσιν ἐκ ἐπέοικε κόμη. χλιδαὶ δὲ γυναιξί.

Sic de Ænea tanquam ſemiviro Jàrbas apud Virgilium lib. IV. ait:

Et nunc ille Paris cum ſemiviro comitatu
Mæonià mentum mitrâ crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur.

Præſertim quòd immenſos in unguentorum uſu ſumptus impenderint, ac (ut antea alibi ex Luciano vidimus) τῶν γεγαμηκότων πλεῖστον εἰς τὴν χαίτην ἀναλίσκουσιν; Hinc apud Athenæum legimus, quod Lacedæmonii omnium harum pretioſarum compoſitionum venditores expulerint, quia oleum perderent, ac inutiliter conſumerent. Et Plinius lib. XIII. cap. III. inquit: *Certum eſt Antiocho Rege, Aſiâque devictâ anno urbis CDLXV Publium Licinium Craſſum; L. Julium Cæſarem Cenſores edixiſſe, ne quis venderet unguenta exotica.* Ita autem appellabant compoſitiones externè & aliundè aſportatas, ac proindè pretioſiores

ſiores, v. g. Græcas, quas præ reliquis omnibus laudabant, quod conſtat ex illo Plaut. in Stich. act. I. ſc. III. ubi Paraſitus auctionem facere decernens ita loquitur:

Vel unctiones græcas, Sudatorias &c. Sed hîc operæ precium videtur enarrare, quâ æſtimatione fuerint, qui unguenta redolerent; indicabunt id nobis verba Veſpaſiani, quæ apud Suetonium in ejus vitâ, cap, VIII. leguntur, hic enim *ne quam occaſionem corrigendi diſciplinam prætermitteret, adoleſcentulum fragrantem unguento, cum ſibi pro impetratâ præfecturâ gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam graviſſimâ increpuit: Maluiſſem allium oboluiſſes: literaſque revocavit.* In eo Ciceronis judicio aſſentiens, qui ait odores, qui terram redolent, gratiores eſſe, quam qui Croco conveniunt.

Nemini igitur nimiam hanc luxuriam conſideranti mirum videbitur, ſi eodem tempore variis medicaminibus faciem fucandi morem viguiſſe audiverit. Quippe legimus apud Artemid. lib. I. ἔδοξε καταχρίεσθαι τὸ πρόσωπον, ὥσπερ αἱ γυναῖκες. *Fucus* autem generatim pro quâvis tincturâ à Latinis accipitur, quamvis propriè dica

dicatur de fuco Marino, qui eſt inter maris ejectamenta; Nam Plinius lib. XXX. cap. X. ait: *Phycos thalaſſium, id eſt, fucus marinus.* Sic fuco uſæ mulieres ad conciliandum ori *ruborem*, ut tradit Lucianus in libello de Amoribus, aliique plurimi. Fuci itaque color fuit rutilans, & quodammodò puniceus; Nec enim quivis color propriè fucus dicebatur, ſed rubei tantùm coloris genus. Quod cognoſcitur ex Plinii verbis capite modò citato: *Fuco circa Cretam nato in petris purpuras quoque inficiunt.* Unde & Nicandro φῦκος φοινίσσον dicitur:

Ἠέτι δὴ καὶ φοινίσσον καταβάλλεο φῦκος.

In veteribus vero Gloſſis *Fucus*, χρῶμα exponit, ſed fortaſſis nimis laxè. Hic fucus erit *Purpuriſſum*, quæ ſpuma eſt collecta efferveſcente purpurâ, cum ex eâ tinctura efficitur, Dalechampio teſte. Eo utuntur pictores, & fœminæ genas tingentes illis ruborem conciliant. Plautus in Moſtell. act. I. ſc. II.

P. tum tu igitur cedo purpuriſſum. S. non do: ſcita es tu quidem:
Nova pictura interpolare vis opus lepidiſſimum;

Non

Non iſtanc ætatem oportet pigmentum ullum attingere.

Neque cerusſam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.

Idem Trucul. act. II. ſc. II.

Quia adeò fores noſtras unguentis uncta es auſa accedere,

Quiaque iſtas buccas tam belle purpuriſſatas habes.

Id notant Scriptores Chriſtiani, ſic commemorat Tertull. libello de cultu Fœmin. *Quæ autem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant.* Item alibi: *An cum ceruſsâ, purpuriſſo & croco, & in illo ambitu capitis reſurgatis.* Plinius *Indicum purpuriſſum* refert inter floridos colores lib. XXXV. c. VI. Eandem ob cauſſam utebantur *Rubricetâ*. Iterum Plautus in Trucul. act. II. ſc. II.

Buccas Rubricæ, cerâ omne corpus intinxti tibi.

Rubrica autem erat terræ ſpecies, quâ uſi mechanici ad ligna dirigenda filo. De eâ conf. Vitruvium l. VII. cap. VII. & Plinium l. XXXV. aliosque. Belgis *Rootkryt* ſeu *Rootaard* dicitur, ex quâ tamen an pigmentum ſive offuciam, quâ malas illinebant,

bant, fecerint, ambigerem, quamvis Turnebi opinio ſit, quod purpuriſſum Rubricam Plautus latinè dixerit. Lib. XXIV. cap. XVII. *Sandyx* quoque erat, ex quâ purpureus color efficiebatur, quam plantam fuiſſe tradit Heſychius: Σάνδυξ δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν ἔχει, κόκκῳ ἐμφερῆ, ὡς Σωσίβιος. Plinius verò lib. XXXV. cep. VI. cenſet fuiſſe *ceruſſam uſtam*: *Hæc*, inquit, (ceruſſa) *ſi torreatur æquâ parte rubricâ admiſtâ, Sandycem facit.* Sanè Sandycem fuiſſe χρῶμα κόκκινον ex Suida & Photio conſtat. Sic apud Vopiſcum in Aureliano leges: *Dicitur Sandyx Indica talem purpuram facere ſi curetur.*

Sed ad alios lenocinii hujus colores progredior. *Albor* erat, quem formabat *Ceruſſa*: quæ ex eo nomen hauſiſſe videtur, quod ceræ ſimilis foret. Ad candorem conciliandum hâc faciem infeciſſe mulieres docet locus hic Martialis lib. VII. ep. XXV.

Et ceruſſatâ candidiora cute.

Unde & apud Plautum in Moſtell. act. I. ſc. III.

P. co-

P. cedo ceruſſam. S. quid ceruſſâ opus
nam? P. quî malas oblinam.

Sed præter hanc habebant etiam *craſſius ſputum* ex madido pane, quale fuit *jus Collyricum*, cujus illitu genas ſplendidas faciebant. Meminit ejus Tertull. de cultu: *Ad menſuram neminem ſibi adjicere poſſe pronunciatum eſt. Vos planè adjicitis ad pondus Collyridas quasdam, ſputorum umbilicos cervicibus adſtruendo.* Collyridas dicit à ſucco craſſiore; unde & *offæ* dicuntur Juvenali: Sat. VI.

Sed quæ mutatis, inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque Siliginis offas
Accipit, & madidæ facies dicetur an ulcus?

Ex pane enim ſiligineo id fiebat medicamen. Idem ſat. II.

Et preſſum in facie digitis extendere panem.

Panis autem ille (ut tradit vetus interpres) *erat medicamen ad tendendam faciem, aut cutem magis.* Et rugas è facie eximebat, ipſamque teneram reddebat; Fiebat etiam ex orizâ aut

 fabis:

ſabis: Hodiè in illum uſum ex amygdalis contuſis, vel ex farinâ ſiligineâ. Illum verò panem, de quo ſuprâ egimus, lacte aſinino madefaciebant, & ita tandem madido faciem incruſtabant, dein vero tectorium illud, ſeu κα᾽ άπλασμα abſtergebant ſmegmate ex lacte aſinino. Dico ſmegmate, quia alia erant καταπλάσματα, alia σμήγματα, quibus utebantur ad cutem poliendam; ſublatis enim cataplaſmatis, τὰ σμήγματα adhibebant, ut id notavit doctiſſimus Salmaſius in Æl. Spart. Hæc omnia clariſſimè quoque patent ex Satyrico, qui huc reſpexit, cum inquit: Sat VI.

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit,
Incipit agnoſci, atque illo lacte fovetur.

Ubi Scholiaſtes, *Aſinino*, inquit, *lacte faciem linit, ut cutem tendat, & candorem eliciat*. Sic de Poppæâ Neronis uxore legimus, quod adeò diligens in formâ fuerit curandâ, ut eam miſſam in exilium quinquaginta Aſinæ ſequerentur, quarum lacte candorem corporis provocavit. Quâ de re apponere viſum locum interpre-

pretis: *Poppæa uxor Neronis adeò diligens in excolendâ formâ fuit, ut eam L. Aſinæ ſequerentur miſſam in exilium, quarum lacte candorem corporis ſibi provocabat &c.* imò & ipſius Juvenalis:

> *Propter quod ſecum comites educit Aſellas*
> *Exul hyperboreum ſi dimittatur ad axem.*

Quin & de Othone, qui munditiarum pænè muliebrium fuiſſe perhibetur, Suetonius in ejus vitâ refert, *faciem quotidiè raſitare, ac pane madido linere conſuetum: idque inſtituiſſe à primâ lanugine, ne barbatus unquam eſſet.* Tandem quoque *Melino* videntur uſæ fuiſſe delicatulæ iſtæ, de quo Plautus in Epid. Act. II. ſc. II. & Moſtell. Act. I. ſc. III. Meninit quoque ejus Plinius lib. XXXV. cap. VII. ubi de Apelle, & aliis celeberrimis antiquis Pictoribus ait: *Quatuor coloribus ſolis immortalia illa opera fecere, ex albis Melino, ex ſilaceis Attico, ex rubris Sinopide Ponticâ, ex nigris Atramento.* Quibus è verbis clarè conſtat, Melinum terram fuiſſe albam, & hoc pigmento in facie albedinem procuratam fuiſſe; Sic idem Plinius cap. præced.

Melinum, candidum & ipſum eſt optimum in Melo inſula. Unde etiam cognoſcimus, ſic dici à terrâ *Meliâ*, quæ effodebatur in *Melo* Cretici maris inſulâ. De quâ tamen Dioſcorides affirmat fuiſſe σποδοειδῆ, ſive *cinericiam*. Interim fieri potuit, ut uno loco magis ad cinerem acceſſerit color, quam alio; indeque eſt colligere in Melo duo terræ genera fuiſſe, unum *candidum*, quo vetuſti uſi Pictores, alterum *Cinericium*, quod tamen non procul ab albore deceſſerit.

Nigror, ad palpebras & ſupercilia utilis, *Stibio* acquirebatur. Nam στίβη, χρῶμα μεταλλικὸν μέλαν, ut teſtatur Heſychius. Confer. G. Agricola de naturâ foſſilium lib. X. c. XI. Hoc mulieres ad ornatum oculos denigraſſe liquet ex Luciani Amor. ἐν οἷς ὀδόντων σμῆξις καὶ δυνάμεις, ἢ βλέφαρα μελαίνουσα τέχνη θησαυρίζεται. i.e. *in quibus dentium vis abſterſiva, aut palpebris denigrandis ars comparata reconditur.* Oculos ejusmodi Hieronymus vocat *orbes ſtibio fuliginatos*. Atque de hoc etiam Cypriani illud Serm. V. de Lapſis capiendum: *nigro pulvere lineamenta oculorum pingis, cùm te Deus aliter fecerit.* Nec non Artemidori lib. I. ὀρφύος δα-

στεῖαι καὶ εὐανθεῖς, πᾶσιν ἀγαθαὶ, μάλιστα γυναιξίν. αὗται γὰρ ὑπὲρ εὐμορφίας, καὶ μέλανι χρίονται τὰς ὀρφύας. Eleganter Juvenalis: Sat. II.

Ille ſupercilium madidâ fuligine tinctum
Obliquâ producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos.

Hinc videmus olim fuiſſe veriſſimum, quod inquit Propertius l. I. II.

Naturæque decus mercato perdere vultu,
Nec ſinere in propriis membra nitere bonis.

Et ipſe l. II. XIII.

Ut natura dedit ſic omnis recta figura eſt.

Verùm noſtro more progreſſuri apud Britannos aliquandiu diverſabimur. Hi *Glaſto* ſive *Iſatide* corpus inficiebant colorabantque, quod cærulæum efficiebat colorem, unde & *Cærulei* dicti apud Martialem: lib. II. ep. LIV.

Claudia cæruleis cùm ſit Rufina Britannis
Edita.

Etiam Seneca in ἀποκολοκυνθώσει idem te-

teſtatur in choricis anapæſtis, cùm inquit: *Et cæruleos Scotobrigantas*. Pro quo, ut quidem Scaliger judicat, hodiè ineptiſſimè editur: *Scuta Brigantas. Nam*, inquit, *quis ſanus dixerit cæruleos ſcuta, qui cute cærulei eſſent*. Et paulò pòſt: *Quæro, undè Picti dicti ſunt? an quia ſcuta picti non cutem? certè Scoti ab iiſdem partibus Hiberniæ. Et Ambo picti non ſcuta, ſed cutem*. Sanè & *picti* dicebantur: ipſe Martialis in Apophor.

Barbara de pictis veni Baſcauda Britannis.

Et Claudian. de laud. Stil.

-- -- ne tela timerem
Scotica, ne Pictum tremerem.

Atque etiam à coloribus *Britannos* dictos autumat doctiſſimus Camdenus, *Brith* enim vetuſtâ illorum linguâ patriâ depictum & coloratum ſignificat. Cæruleus autem iſte color nonnihil ad Nigrorem acceſſit, quod colligi licet ex Plinii verbis, quæ habet lib. XXII. cap. I. *Simile plantagini Glaſtum in Galliâ vocatur, quo Britannorum conjuges nuruſque totô corpore oblitæ quibusdam in ſacris & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes* Quod idem voluit Cæſar, cum commentariorum lib.

lib. V. ait: *Omnes verò ſe Britanni ultrò inficiunt, quod cæruleum efficit colorem.* De fine verò, ob quem ſe ita pinxerint, loquitur Pomponius Mela de iisdem Britannis lib. 3. cap. VI. *incertum ob decorem, an ob quid aliud ultrò corpora infecti.* Sed idcircò feciſſe, ut horribiliores eſſent in pugnâ aſpectu, ex Cæſare probat Petrus Victorius V. L. XIX, 3. Verba Cæſaris ſunt: *Atque hoc horribiliore ſunt in pugnâ aſpectu.* Verùm hîc non negligendum cenſeo (cum præcipuè in ſequentibus uſum habeat) quod in priore Cæſaris allegato loco pro *ultro*, *luteo* repoſuerit Victorius, cujus cur non hodiè ſententiam ſequantur nonnulli, id illos movet, quòd Maro Auroram vocet *luteam*, non ut cæruleam, ſed ut *croceam*, & Eclog. IV. dicat non cæruleo, ſed

Croceo mutabit vellera luto.

Sed illi, ut inquit Turnebus lib. VI. c. XVII., *hòc peccare alius videntur, quod cùm hujus herbæ ſucco inficiatur cæruleus & viridis color, tamen flores melini ſint & crocei.* Et poſteà: *Cùm autem Vitruvius ſcribit: Herba, quæ lutum appellatur, Herbam aliam intelligit,*

git, quæ luteo croceoque colore inficit, mihi non notam. Et ſanè lutum Philander cenſet eſſe Iſatin, (de qua Dioſcorides lib. II. cap. CLXXX. ſive juxta alios cap. CCXVI.) cauſas apud ipſum videas ad Vitruvii lib. VII. cap. XIV. Itaque hâc de re dubium hactenus manet, nec non eruditorum altercatio, ſitne ap. Cæſarem *luteo* an *Glaſto* legendum. De his tamen ſi conferamus Turnebum lib. XXIII. cap. XXII. ita ille ſuggeret: *Utrumvis ſine ullo ſenſus & latinitatis diſpendio legeris. Apulejus enim Iſatin ab Italis luteam aut Glaſtum vocari dicit. Ita cùm utrumque vocabulum latinum ſit: fraudi non debet eſſe hoc vel illud Cæſari intexere, diſceptatore & arbitro velut à Prætore dato Apulejo. Quanquam ſatius omnino ſit vetera ſequi exemplaria, in quibus vitrum ſcribitur.* Et certè ita eſt apud Melam, qui idem narrat. Item apud Fulvium Urſinum, qui in codice quodam apud Cæſarem ſic ſcriptum ſe reperiſſe dicit. Idque magis etiam affirmant Vitruvii ſcripta; Nam in antiquis ejus editionibus ita invenimus: lib. VII. cap. XIV. *Item propter inopiam coloris Indici cretam Selinuſiam, aut anulariam vitro, quod*

Græci

Græci Iſalin appellant, inficientes imitationem faciunt coloris Indici. Iſatin autem in Vitruvio ſcribendum eſſe, quis non videt? Quid, quòd his accedat auctoritas Oribaſii: *Iſatis, quam infectores herbam vitrum vocant* Sed etiam *Iſatin* Plinius lib. XX. cap. VII. *Glaſtum* dici ſcribit, quod in Latio, ut eſt apud citatum Oribaſium lib. de virtute ſimpl. *vitrum* ſonat: nempe quia infectores lanam tingebant colore *vitreo* ſive *hyalino*. Ideoque à Gallis & Germanis eàdem de cauſâ dicebatur *Glaſtum*. Sanè iisdem *glas* hodiè vitrum. Quod tamen ex ſuperioribus herba colligitur, & Plinio teſte lib. XX, cap. VII. eſt tertium *lactucæ* ſponte naſcentis genus, *quo*, ut & ſuprâ memini, *infectores lanarum utebantur*; & non tantum, quæ alioqui conflatione efficitur materia nitoris pellucidi. Nec ſimpliciter hoc glaſto inficiebant Britannæ corpora, ſed & animalium in iisdem pingebant figuras. Cujus rei teſtis Herodianus lib. III. τὰ σώματα ςίζονται γραφαῖς, ποικίλων ζώων παντοδαπῶν εἰκόσιν. Sed plenius Solinus: cap. XXV. *Regionem partim tenent Barbari, quibus per artifices plagarum figuras jam inde à pueris va-*

riæ animalium effigies incorporantur, inſcriptiſque viſceribus, hominis incremento pigmenti notæ creſcunt. Nec quicquam magis patientiæ loco nationes feræ ducunt, quam ut per memores cicatrices plurimum fuci artus bibant. Hæc Solinus, & nos hactenus de Britannis.

Quod ad Poetas attinet, abundè teſtatur Horatius de arte Poeticâ quosdam antiquitus *fæce* fuiſſe perunctos ne agnoſcerentur, ſua è plauſtris poëmata canere ſolitos, his verbis:

Ignotum tragicæ genus inveniſſe Camenæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis:
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Et exindè eos appellavit τρυγοδαίμονας Ariſtophanes in νεφελ, ubi conf. Scholiaſtes.

Sed ad inferiores corporis partes, pedes nempè, deſcendo, quos Athenienſium delicatiores inungi curabant, uti narrat Cephiſodorus. Præcipuè verò id fecere peregrè proficiſcentes, qui ampullam ſecum tulere, eum in uſum, quem docet alicubi Meur-

Meurſius. *Mos*, inquit, *erat pedes oleo ungere, antequam calceos induerent. Itaque peregrè abeuntes ampullam ſecum portabant, quæ oleum eum in uſum ſuppeditaret.* Quod poſterius clarè ex Plauti Mercatore Act. V. Sc. II. paret:

tollo ampullam, atque hinc eo.

Prius verò apparet ex Heſychio, cujus hæc verba: ἠλείφοντο τὸς πόδας οἱ ἀρχαῖοι, πρὶν τὸ ὑποδύσαϑαι. Atque hinc λιπαρὸς πόδας videntur Poëtæ appellaſſe. Quin imò ad hunc ritum inungendi pedes accedit illud Euangeliſtæ, qui Mulierem Salvatoris quoque pedes unxiſſe ſcribit.

Haud immeritò fortaſſè hîc adjungenda, quæ pertinent ad loca ſeu tempora, quibus præſertim unguentis uſi veteres. Sic *in nuptiis* ſpargebantur unguenta, eorumque odore cuncta quaſi perfundebantur, quod oſtendit hic Apulèji locus lib. IV. Mileſ. *Nam viſa ſum mihi de domo, de thalamo, de cubiculo, de toro denique ipſo violenter extracta, per ſolitudines avias infortunatiſſimi mariti nomen invocare: eumque ut primum meis amplexibus viduatus eſt, adhuc unguentis madidum, coronis flori-*

floridum conſequi me veſtigio. Atque idem auctor, Amoris & Pſyches nuptiale convivium lib. VI. pereleganter ita deſcribit: *Vulcanus cænam coquebat: Horæ roſis & cæteris floribus purpurabant omnia: Gratiæ ſpargebant balſama: Muſæ voce canorâ perſonabant &c.* Hic Gratiis balſama tribuit, quia gratiam ac ornatum ſibi conciliabant olim unguentati.

Prætereà ſeſe ungebant, quotiescunque remotâ triſtitiâ *hilari* eſſe *animo* volebant, ac *jucunditati* ſeſe cupiebant dare. Ex Græcis id teſtatur Homerus Odyſs. XVIII. de Nutrice Eurinome canens, quod Penelopen miſſis lacrymis ſeſe lavare, ac faciem inungere juſſiſſet. Atque inter Romanos quoque id moris obtinuiſſe, ut ſcilicet non niſi probè loti ac uncti genio indulgerent, infinitis fermè conſtat teſtimoniis, è quibus pauca nobis adduxiſſe ſufficiat. Sic B. Auguſtinus lib. IX. confeſſionum Balnea pellere triſtitiam credidit, cum ait: *Viſum etiam mihi eſt, ut irem lautum, quod audieramus inde Balneis nomen inditum, quod anxietatem pellat ex animo.* Ita quoque Horatius epod. od. XIII.

Nunc

Nunc & Achæmeniâ
Perfundi nardo juvat: & fide Cyllenea
Levare diris pectora
Sollicitudinibus.

Idem aliô locô: *i, pete unguentum, puer, & coronas.* Sed contra in calamitatibus vulgaribus pulvere crines collinebant. Lucian. Scripto de luctu: καὶ κόνις ἐπί τῆ κεφαλῆ πάσσεται. Apud Ægyptios autem ſi in domo mortuus reperiebatur, vultum *luto* oblinebant fœminæ: quod luctus maximi ſignum erat. De quo ritu Herodotus hæc habet: τοῖσι ἂν ἀπογένηται ἐκ τῶν οἰκηΐων ἄνθρωπος, τοῦ τις, καὶ λόγος ἦ, τὸ θῆλυ γένος πᾶν τὸ ἐκ τῶν οἰκηΐων τούτων κατ' ὦν ἐπλάσατο τὴν κεφαλὴν πηλῷ καὶ τὸν πρόσωπον. In luctu verò majori crines evellebant, aut etiam penitùs radebant capita: Sic Seneca in Oedipo: *Luctus evellens comam.* Et Apulejus lib. IV. Mileſ. *quid*, inquit, *canitiem ſcinditis?* & hos crines, quoties propter mortuum quendam evulſerint, ſuprà buſta, aut cineres, vel etiam defunctorum ſpargere cadavera ſolebant, quod ex Homero ſatis notum: Iliad. ψ.

Θριξὶ,

Θριξὶ, δὲ πάντα νέκυν καταείνυον, ἃς ἐπέ-
βαλλον
Κειρόμενοι.

Porrò autem & in alicujus rei *concelebratione* V. G. ludi, vel cujusdam Feſti, dieique natalis unguentis erant delibuti. Ita Martialis lib. XI. ep. VII. de feſto Saturni falcem gerentis:

Unctis falciferi ſenis diebus &c.

De priori extat & apud Tibullum locus: lib. I. El. VIII.

Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero,
Illius & nitido ſtillent unguenta capillo.

De eodem Genio lib. II. verba facit:

Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores;
Illius puro diſtillent tempora Nardo.

Item in *compotationibus* odoramenta adhibere celebre fuit. Juvenal. Sat. IX. inquit:

Dum bibimus, dum ſerta, unguenta, Puellas
Poſcimus.

Illas, ut forent amœniores, plerumque

que in pratis ad rivulorum ripas, vel etiam ſub arbuſtis inſtituebant, cujus rei teſtem ſe nobis offert Horatius: lib. II. Od. III.

Quà pinus ingens, albaque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis, quà obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.
Huc vina, & unguenta, & nimium
breves
Flores amœnæ ferre jube Roſæ.

Idem auctor alibi:

Cur non ſub altâ vel platano, vel hâc
Pinu jacentes ſic temerè - - -
Dum licet, Aſſyriâque Nardo
Potamus uncti?

Pueri verò nobiles ad pocula divitibus miniſtranda adhibebantur, quorum meminit Plautus in Menæchm. act. II. Sc. II.

Non ſcis quis ego ſum? qui tibi ſæpiſſi-
mè
Cyathiſſo apud nos.

Iſti pueri Pincernæ, dicebantur antiquitùs *Pocillatores ſervi*, & *ad Cyathos*, Atque & illi plerumque uncti ſuo fungebantur officio. Propert.

Lyg-

Lygdanus ad Cyathos. & Horat. lib. I. od. XXIX.

Puer quis ex aulâ capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis.

Illis ſubinde convivæ dicebant illud πίνειν κίρνα, *miſce ut bibam.* Sed & illud obſervo, quod impendio curarint Veteres, ut *calamiſtratos* haberent in miniſterio. Ita Seneca epiſt. CXX. *crinitus puer poculum tibi porrigat.* De his quoque Julian. Miſop. οὐ κρεῖττον ἦν ὀδωδέναι· μύρων τὴν ἀγορὰν βαδίζοντός σου, καὶ παῖδας ἡγεῖσθαι καλοὺς, εἰς οὓς ἀποβλέπουσιν οἱ πολῖται. Hinc Satyricus Sat. IX. *Puerum te, & pulcrum & dignum cyatho.* Prolixiùs etiam de his egit Athenæus, quem videas lib. X. cap. VII.

Sed potiùs ad ipſa pergamus convivia, & unguentis quemque perfuſum adſpiciamus: nullum enim apud veteres ſolenne ſine unguentis & coronis floribusque convivium. Ungebantur verò veteres *ante epulas*: quod potiſſimum fiebat, quum è longinquo redirent itinere. Exemplo Diomedis & Ulyſſis id oſtendit Homerus, qui ab exploratione redeuntes ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ δείπνῳ ἐφιζανέτην. Unde

Unde Athenæi lib. IV. ex Homero ſententia eſt: Δεῖν θεραπεύσαντα τὸ σωμάτιον & λησάμενον ἰέναι πρὸς δεῖπνον. Etiam Apulejus Mileſ. lib. IV. latrones inducit, qui *oleo perunꝺti menſas dapibus largiter inſtructas* accumbebant. Ita etiam uncti ante convivia hoſpites, quod videre ſuperiùs eſt, ubi de hoſpitibus egimus. Interim nec unguentorum minor *in ipſis conviviis* uſus fuit, ubi quando ſe liberaliùs invitare decreverant, floribus redimiti, unguentisque delibuti cænitabant. Dabantur Romanis in triclinio diſcumbentibus à miniſtris hæ coronæ, velut extat in marmore Farneſiano *tæniæ*, ſive *faſciæ* quædam, quibus frontem convivæ vincire ſolebant. Sumptuoſiores autem & operoſiores erant Perſarum deliciæ, ſed Regum præcipuè ac Satraparum, de quorum luxu ac ſplendore cum alii tum Athenæus lib. IV. Quorum etiam luxurioſum apparatum paucis verbis declarat Herodotus καλλιόπει. Et Perſicos odores commemorat Spartianus in vitâ L. Ælii Cæſaris. Alioqui de modeſto veterum Perſarum victu, nihil ad panem præter Naſturtium adhibentium, multa præclara Xenophon, cujus ver-

bal. I. de Cyri inſtitut. hic appoſui: Φέρονται δὲ οἴκοθεν σῖτα, μετὰ ἄρτους ὄψον δὲ κάρδαμον πιεῖν δὲ ἤν τις διψῇ κώθωνα, ὡς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἀρύσασθαι, i. e. *nam domo afferunt in cibum quidem panes: in obſonium autem naſturtium in potum autem ſi quis ſitiat poculum fictile, ut aquam de quovis flumine hauriant.* Sed luxum convivalem è Perſarum recentiorum deliciis Romam perfluxiſſe arbitratur Gutherius lib. I. de jure Manium c. XV. Quin imò nec Judæi planè hujus fuere moris expertes. Ad hunc enim reſpicit Evangeliſta Luc. cap. VII. 46. ubi Chriſtus Phariſæum, ſe ut convivam haut benignè excipientem, increpat, quod unguentum non dederit, inquiens: Ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου οὐκ ἤλειψας. Αὕτη δὲ μύρῳ ἤλειψέ μου τοὺς πόδας. Flores verò, quibus uſi, plerumque roſæ erant: Sic Anacreon: Ἐμοὶ μέλει μύροισι καταβρέχειν ὑπήνην; ἐμοὶ μέλει ῥόδοισι καταστέφειν κάρηνα, i. e. *Mihi curæ eſt unguentis madefacere cæſariem; mihi curæ eſt roſis coronare verticem.* Et Lucianus libello de Aſino circa finem hæc habet: Καὶ δειπνῶ σὺν αὐτῇ, καὶ ἐκ τοῦ μύρου ἀλείφομαι καὶ στεφανοῦμαι τῷ φιλτάτῳ τὰ ἐς ἀνθρώπους με ἀνασώσαντι ῥόδῳ. Hinc paſſim occurrit apud Horatium illud:

illud: *Neu deſint epulis Roſæ.* Et alibi: *Sparge Roſas* &c. Interim nequaquam imus inficias etiam ex aliis frondibus conſtaſſe coronas. Nam præter Roſas nectebantur hederâ, verbenâ, myrto, apio & aliis. Sed merito hic dubitari poſſet, cur ad coronas uſi olim ſunt apio, cum id lugubre ſemper habitum fuerit. Unde τῦ σελίνυ δεῖσθαι, i. e. *apio indigere* ægrotantem dicebant, cum exigua ſupereſſet ſpes de recuperandâ valetudine: An fortaſſis ideo funebria admiſcuerint, ut lethi memores tanto hilariùs agerent. juxta illud Horatii:

Dum res & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra.

An potiùs aliam ob rationem, quod nempè apium reſiſtere ebrietati credatur, & myrtus, tanquam Veneri ſacra, huic accedens, ſimul cum apio conviviali etiam lætitiæ conveniat. De quo conf. Victor Var. Lect. lib. XVI. cap. II. quam quidem poſteriorem ſententiam meam facerem, cum certiſſimum ſit non tantum voluptatis causâ odoramenta adhibuiſſe veteres, ſed etiam quod crederent illis ebrietati reſiſti; atque hinc utebantur

coronis unguento delibutis, adi, ſi placet, Fulvium Urſinum Append. ad Ciaccon. Nonnunquam etiam, ut indicat Feſtus, aviculas corollis ſuis alligabant, quarum & cantu aſſiduo, & crebris unguium roſtrique puncturis efficeretur, ne inter epulas & potandum obdormiſcerent. Cæterum priusquam menſas relinquimus Martialis jocum, quo convivatorem quendam, amicis ſuis nil niſi unguenta exhibentem ſalsè irridet, apponere duxi. Eſt is lib. III. ep. XII.

Unguentum (fateor) bonum dediſti.
Convivis here, ſed nihil ſcidiſti.
Res ſalſa eſt benè olere, & eſurire
Qui non cænat, & ungitur, Fabulle,
Hic verè mihi mortuus videtur.

An autem *poſt cænam* vel *convivia* Gentiles ſeſe unxerint, equidem ambigo; maximè cùm ejus ritus, nihil hactenùs obſervaverim. Quod verò ad Hebræos attinet, de iis res certa eſt, & magiſtri eorum eam unctionem, quam poſt prandium aut cænam adhibebant, *aquas ſecundas aut lotionem ſecundam* nominant, quamvis unguento uterentur, hæc enim unctio poſt cibum lotionis

tionis loco illis eſt. Ipſum illud unguentum שמן הטוב, ungendi vero officium אמרת המים τὸ πιϛὸν τῶν ὑδάτων vocabant, ita enim alias dicunt irrigationem. Videatur Daniel Heinſius in exerc. ſac. ad Nonnum p. m. 451.

Adderemus hic porrò unctiones in balneis uſitatas, niſi illæ jam alibi à nobis fuiſſent indicatæ. Id hîc tantum adjungimus, quòd, quemadmodum multa & præclara in balneis reperiebantur diverticula (ſumptus enim immenſos faciebant Romani ad balnea ſibi benè ædificanda, in quibus nec modum, nec rationem ſervabant, quod vel exindè queat colligi, quia quiſque fermè, cui modo res erat modica, in villâ ſuâ balnea habebat anguſta, privataque) ſic inter ea minimè inter obſcuriora habitum fuerit *unctorium*, amœnum & elegans habitaculum, in quo magna ſervabatur copia pretioſiorum unguentorum: quod conclave duos habebat aditus vel introitus ad recipiendos, qui è Palæſtrâ redibant, quemadmodum illud fuit obſervatum à Gulielmo Du Choul. in tract. de Balneis, ad quem B. L. remittimus.

Ad alia nunc pergentes, conſide-

rabimus breviter *unctiones*, quas *ſiccas* dicebant veteres. Et qui illis unctionibus utebantur, Græcè (ut ajunt Lexicographi) id ξηραλοιφεῖν dicebant. Quæ vox etiam occurrit apud Lucianum in Lexiph. Ἐγὼ δὲ ξηραλοιφήσω ἀπελθὼν, quæ reddidit J. Benedictus: *Ego autem abiens in ſicco ungar.* Interim hic obſervandum, differre ξηραλοιφεῖν ab eo, quod ab unctoribus ξηροτρίβεσθαι, i. e. *ſiccâ frictione fricari* dicitur; id enim monet Harpocration in ξηραλοιφεῖν: Αἰσχίνης, inquit, κατὰ Τιμάρχου. Ξηραλοιφεῖν ἐλέγετο χωρὶς λουτρῶν ἀλείφεσθαι, ὡς Δίδυμος ἐν εἰκοστῇ ὀγδόῃ τραγικῆς λέξεως, καὶ Νίκανδρος ἐν ὀγδόῃ καὶ δεκάτῃ Ἀττικῆς διαλέκτου, προστιθεὶς, ὅτι μήποτε καὶ τὸ ὑπὸ τῶν ἀλειπτῶν λεγόμενον ξηροτρίβεσθαι οὕτως ἐλέγετο. Σοφοκλῆς Πηλεῖ.

Καὶ ξηραλοιφῶν εἴμαιος διὰ πτυχῶν.

Hæc Harpocration: ac eadem fermè Suidas; cui jungatur Heſychius. Nec non de his unctionibus videatur Theod. Marcil. ad Perſ. Alioquin & lotionibus, lavacris vel fluviis ſeſe abluentes, antiqui corpus ungebant; Quod ſolenne fuiſſe Spartanis in fluvio Eurotâ jam inde ab Heroicis tempori-

poribus indicat Theocritus in Helenes Epithal. Idyll. XVIII. ubi virgines Lacedæmoniæ canunt ſe ungi virorum more ad Eurotæ flumina:

Χρισαμέναις ἀνδρεῖσι παρ' Εὐρώταο λοετροῖς.

Verum alia nunc conſideremus loca. In Luciani Aſino reperimus quosdam ad ignem id factitaſſe, οἱ δὲ, inquit, τὴν γραῦν ἐπαινέσαντες, ἀποδυσάμενοι, ἤλειφοντο πρὸς τὸ πῦρ, i. e. *collaudatâ vetulâ, veſtibusque depoſitis ad ignem ſeſe ungebant.* Magis vero erat uſitata veterum *inſolatio*, cum toto die uncti in ſole nudum corpus apricari & cuticulam probè curare ſolebant, id quod ideò faciebant, ut oleum corpus imbiberet, & cutis mulierculárum more redderetur nitida. Quibus probè convenit illud Perſii Sat. IV.

At ſi unctus ceſſes & figas in cute ſolem.

Ipſam verò hanc *inſolationem*, cum corpora ſole torrentur, ἡλιώσιν vocabant Græci, & ἡλιοκαίαις gaudebant. Quò etiam optimè faciunt, quæ habet Lucianus in Lexiph. Νῦν δ' ἤδη καιρὸς ἐστὶ χρίεσθαι τὸ ἡλιοκαὲς, καὶ πρὸς τὴν εἵλην θέρεσθαι, καὶ λουσαμένους ἀρτοσιτεῖν, i. e.

i. e. *Jam nunc autem tempus eſt inſolatum ungendi, & ad ſolis ſplendorem apricandi, & poſtquam laverimus panem eſitandi.* Hinc quoque illud modo citati Perſii:

-- & aſſiduo curata cuticula Sole.

Quæ verba ita eſt interpretatus vetus Scoliaſtes: *Curata, ſc. à Chromatiariis, nam Chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui toto die in arenâ ſunt vel in ſole; antiqui enim ungebant ſeſe, & in ſole erant, ut oleum corpus imbiberet. Ut Juvenalis:*

Noſtra bibat vernum contracta cuticula ſolem.
Effugiatque togam.

Eleganter item Martialis de hoc corpus torrendi modo in Charinum l. I.

Sole uritur Charinus, & tamen pallet.

Huc puto etiam alludere Terentium, Adelp. act. IV. ſc. II. cum ibi Syrus ait: *Lectulos in ſole ilignis pedibus faciundos dedit.* Sed inter remedia hæc numerabant medici: Et Arnobius lib. I. refert: *Nunquid ideo dicenda ſunt nubila inimicâ obductione pendere; quia libidini non permittitur otioſè rutilare ſe flammis? beleocaminus,* i. e. quaſi fornax ſolaria huc faciat. His

His ita hactenus conſideratis videbimus nunc inſtrumenta, quibus uſi veteres ut de corporibus oleum, ſudores, atque ſordes diſtringerent. Hæc à ſtringendo *Strigiles* dicebantur, iis enim equi, atque in balneis etiam homines fricabantur purgabanturque. Græcè ſtrigil non modo στλεγγὶς, verum etiam ξύστρα dicitur à ξύω, *rado, ſtringo*, quod indicat vetus Juvenalis interpres in ſat. III. cum inquit: *Strigla autem eſt quod Xyſtram dicunt unde oleum deteritur.* Et in Gloſſis Cyrill. eſt: ξύστρα, *ſtrigil, ſtrigilis.* Ab hoc inſtrumento ortum eſt verbum *diſtringere*, quod ſæpiſſimè apud varios occurrit Scriptores: ut apud Marcell. de Medicam. *cùm locum perunxeris, cito deſtringas.* Item Plinium lib. III. ep. V. quæ eſt ad Marcum: *Solum balnei tempus ſtudiis eximebatur, cum dico balinei tempus, de interioribus loquor. Nam dum diſtringitur, tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat.* Et Plinius Veronenſis lib. XXXIV. cap. VIII. hæc habet: *Plurima ex omnibus ſigna fecit, ut diximus, fæcundiſſimæ artis: inter quæ diſtringentem ſe, quem M. Agrippa ante thermas ſuas dicavit.* Sed & velaria, quibus athletæ poſt laborem

ſtringebantur, nonnulli etiam ſtrigiles fuiſſe dicta, autumant. Aſtringendo item *ſtrigmenta* dicebantur ſordes, quæ abſtergebantur de corporibus athletarum, qui in Xyſto raderentur ſtrigilibus. Sed ut ad ſtrigiles balneares revertamur, fieri curabant illas antiqui ex auro, argento, ære &c. communiſſimè tamen è ferro, quod colligitur ex Plaut. Stich. act. I. ſc. III. ubi ſtrigilem vocat *rubiginoſam*. Et clariùs Martialis in apoph. de Strigile ep. XLIX. hæc ait.

Pergamus has miſit curvo deſtringere ferro,
Non tam ſæpè teret lintea fullo tibi.

Quibus in verbis & ſtrigilum obſervari poterit origo, nam in Pergamo inventas, vel inde allatas eſſe ait. Item Horatius:

-- -- -- *curvo diſtringere ferro.*

Scribit tamen Plutarchus, Lacedæmonios καλαμίναις *arundineis*, & Æliacos Agrigentinos *argenteis* fuiſſe uſos; item Strabo memorat lib. V. geograph. Indos levibus ſtrigilibus *ebeneis* corpus expolire ſolitos. Hæ ſtrigiles porrò inter Romanos oleo quandoque perfundebantur, quo minus ferri aſperitate ac duritie cutis læde-

læderetur, quod, opinor, clarè ſatis patet ex Satyrici verbis: Sat. III.

-- -- -- -- jam ſonat unctis
Strigilibus, pleno & componit lintea gutto.

Scribit enim Tranquillus: *Octavium læſiſſe cutem nimiò ſtrigilis uſu.* Quin veterum Romanorum ditiores & hinc delicatiores Strigilum loco ſæpius utebantur *ſpongiis purpureis.* Ut ex Plinio diſcimus lib. XXXI. c. XI. vel *palliis laneis*, quemadmodum ea inter lautitias & maximum Trimalcionis apparatum poſuit Petronius, cum ait: *Jam Trimalcio unguento perfuſus tergebatur non linteis ſed palliis ex molliſſimâ lanâ factis.* Sed & aliàs à lavatione, oleo aut unguento perfuſos, linteis tergere, mos fuit, quod vel mediocres fecere & pauperes; utpote quibus non ſtrigiles ſemper, ſed illarum loco mollia lintea uſui fuere, quibus ſordium eluviem exfricabant, ita Apulej. lib. I. met. *oleum unctui, lintea terſui profer.* A Paraſitis verò tergebantur divites, de quo vid. Scalig. Conject. Hinc Plautus inter eorum ſuppellectilem ſtrigiles refert. Perſ. act. I. ſc. III.

Cyni-

Cynicâ eſſe è gente oportet Paraſitum probè:
Ampullam, ſtrigilem, ſcaphium, ſoccos, pallium,
Marſupium habeat.

Sed fortaſſis Lectori rem haud ingratam fecero, ſi ſtrigilum figuram, tum ab Hieronymo Mercuriali artis Gymnaſticæ lib. I. cap. VIII. tum a Guilielmo Du Choul obſervatam & depictam conſpectui ejus ſubjecero, ea verò hæc eſt:

Quam figuram veris ſtrigilibus convenire, vel ex Apuleji verbis dijudicare quis poterit, qui Florid. lib. I. inquit: *Juxtaque honeſtam Strigilecuam, rectâ faſtigiatione clauſulæ, flexâ tubulatione ligulæ; ut & ipſa in manu capulo motaretur, & ſudor ex eâ rivulo laberetur.* Has ſtrigiles deferebant ad balnea (ut & reliqua utenſilia) divitum pueri vel ſervi; uti claret ex Horatio,

I, puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.

Et Lucianus in Lexiph. Σὺ δὲ ὦ παῖ, inquit, στλεγγίδα μοι, καὶ βύρσαν, καὶ φωσώνια, καὶ ῥύμματα ναυστολεῖν ἐς τὸ βαλανεῖον,


OLE

[illegible]

νέον, ᾗ τίϊσίλιςρον, κομίζειν. Conferantur in hæc verba interpretes & commentatores, qui noviſſimæ editioni juncti ſunt. Huic quoque rei favet Spartianus in Hadriano: *Publicè & cum omnibus lavit: cum verò veteranum quendam dorſum, & cæteram corporis partem vidiſſet ſibi atterere, percontans cur ſe marmoribus diſtringendum daret? ubi hoc iccircò audivit fieri, quod ſervum non haberet, & ſervis eum donavit & ſumptibus.*

Ne autem mortuos planè oblivioni tradamus, de illorum quoque unctionibus quædam in medium afferemus. Quod verò uncta ſint *cadavera* apud antiquos, nullus quidem hodiè erit, qui id in dubium vocabit. Igitur circa unctionem ipſam quædam obſervanda veniunt. Ac primò quidem corpora ſepulturæ danda lavabant Antiqui. Ita Euripid. in Hecub. Ω'ς παῖδα λȣτροῖς τοῖς πανιςάτοις λȣσω. Id factum priuſquam ungebantur; *Lotio* enim non minùs ad honorem ſepulturæ pertinebat, quam *unctio* & pleraque alia, quæ in exequiis ſolebant adhiberi. Quale eſt hoc exemplum ex Virgilio lib. VII. Æneid. de Miſeni antiquiſſimo funere:

--- *Cor-*

—— *Corpuſque lavant frigentis & unguunt.*

Et Lucianus libro, quem inſcripſit de luctu, morem hunc confirmat; cum admodum ridiculè hæc poſuit: Μετὰ ταῦτα δὲ λούσαντες αὐτοὺς, ὡς οὐχ ἱκανῆς τῆς κάτω λίμνης λουτρὸν εἶναι τοῖς ἐκεῖ, καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα, πρὸς δυσωδίαν ἤδη βιαζόμενον, καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι, προτίθενται, λαμπρῶς ἀμφιέσαντες ἵνα μὴ ῥιγῷεν δηλονότι παρὰ τὴν ὁδὸν, μηδὲ γυμνοὶ βλέποιντο τῷ Κερβέρῳ. Quibus è verbis etiam conſtat optima quæque unguenta adhibita mortuis, ita ut verum ſit quod habet Herodian. lib. IV. c. II. Τὸ μὲν γὰρ σῶμα τοῦ τελευτήσαντος πολυτελεῖ κηδείᾳ καταθάπτουσιν. Illa vero unguenta varia erant v. g. caſia & myrrha: ut eſt apud Martialem lib. X. XCVII.

Dum myrrham & caſiam flebilis uxor emit.

Et apud Judæos Aloë, uti patet ex Salvatoris paſſionis hiſtoriâ. Sed aliis quoque ſpeciebus, ut cedromelle, ſale, cerâ, bitumine, & reſinâ mortuorum corpora peruncta fuiſſe docet Schindlerus. Sed imprimis ad hæc unguenta, Amomum adhibuerunt, reli-

reliquiſque addiderunt, quibus cadavera condirent. Unde Statius Sylvar. lib. II.

Aſſyrio cineres adolentur Amomo

Et Perſius ſat. III.

—— tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus Amomis.

Quamobrem ab Amomo, tanquam principali mixturæ parte, unguenta omnia, quibus defunctorum corpora medicabantur & condiebantur vocarunt *Amomiam*. Unde poſtea truncatâ voce haud dubiè fecerunt id nominis, quod *Mumiam* & *Momiam* hodiè dicimus. Sed nec tantum integris mortuorum corporibus id honoris tribui ſolebat, verùm etiam *oſſa* unguentis ſpargebantur. Teſtem produco Tibullum lib. III. el. II. ita loquentem:

Parsque ſola mei ſuperabit corporis, oſſa
Incinctæ nigrâ candida veſte legant.

Et paulo poſt:

Illic quas mittit dives Panchaia merces
Eoique Arabes, Dives & Aſſyria.
Et noſtri memores lacrymæ fundantur eodem &c.

Sed

Sed & *cineres*, de quibus teſtatur Auſonius in Heroum epitaphiis, XXXVI.

Sparge mero cineres, benè olenti & unguino Nardi,
Hoſpes, & adde roſis balſama puniceis.

Quos tamen cum oſſibus deindè in domo reponebant, quod indicat modò allegatus Tibullus l. c.

Atque in marmoreâ ponere ſicca domo.

Id eſt Monumento, nam *domum* Monumentum vocabant, quod videre eſt ex veteri Lapide, Romæ in D. Stephani è regione templi D. Luciæ reperto

. . . .
. . . . MALA EST GRATIA. M. JUNIO. M. F. PAL. RUFO SOTERICHUS. PÆDAGOG. FECIT. HÆ SUNT. PARVÆ. TUÆ MEÆQ SEDES HÆC CERTA EST. DOMUS HÆC COLENDA NOBIS HÆC EST. QUAM MIHÌ SUSCITAVI VIVUS.

Sic etiam odores & unguenta acervatim in *rogos* conjiciebant, quod teſtantur

tur innumeri fere auctorum loci. Herodianus lib. IV. c. II. de Cæſarum conſecratione ſcribens hæc refert: Ἐς δὴ τὸ οἴκημα τὸ δεύτερον ἀνακομίσαντες τὴν κλίνην τιθέασιν ἀρώματά τε καὶ θυμιάματα πάντα ὅσα γῆ φέρει. Εἴτε τινες καρποὶ ἢ πόαι χυμοί τε συμβαλλόμενοι πρὸς εὐωδίαν ἀνακομίζονται, καὶ σωρηδὸν χέονται. Et Propert. lib. IV.

Cur Nardo flammæ non oluere meæ?

Hinc Cicero II. Leg. *ſumptuoſam reſperſionem* vocat. De illis vero odoramentis in rogo poſitis inhoneſtisſimum fuit quicquam ſurripere, nam de tali fure Martialis: lib. XI. ep. LV.

Unguenta & caſias, & olentem funera myrrham,
Thuraque de medio ſemicremata rogo.
Et quæ de ſtygio rapuiſti cinnama lecto
Improbe, de turpi, Zoile, redde ſinu.

Hæc in flammas unguentorum conjectio, uti ego quidem ſuſpicor, fiebat etiam, ut citiùs cadavera cremarentur; quod ex Herodiano colligo: l. c. πάντα δὲ ῥᾷστα ἀνάπλεται εὐμαρῶς ὑπὸ τοῦ πυρὸς, φρυγάνων τε πλήθους, καὶ θυμιαμάτων ἐπιθέντος. Sed progreſſuri Veterum unctionis feralis diſpiciamus

finem; qui fuit apud Judæos, Ægyptios, Perſas, aliosque quibus in conſuetudine non erat ut corpora igni conſumenda traderent, corporis quàm diutiſſima à putredine conſervatio. Atque hinc ea condiebant, vel cerâ circumlinebant, vel aliis corruptioni reſiſtentibus remediis ungebant. Sic melle Babylonios cadavera condiiſſe ſcripſit Herodot. lib. I. mellis enim eſt natura talis, ut putreſcere corpora non ſinat; teſte Plinio lib. XXII. cap. XXIV. & M. Tullius lib. I. Tuſcul. *condiunt*, inquit, *Ægyptii mortuos, & eos domi ſervant: Perſæ etiam cerâ circumlitos condiunt, ut quammaximè permaneant diuturna.* Apud Chryſoſtomum quoque eſt: *Lacryma myrrhæ, & herba aloë, ut ſunt amariſſimi ſucci, ita vim habent reſiſtendi vermibus & putredini.* Atque de aliis ſuprà memoratis ſpeciebus docet Schindlerus in lex. Pentagl. in voce חנט. *Condivit aromatibus, myrrhâ, aloë, cedromelle, ſale, cerâ, bitumine, & reſina corpora mortuorum, ut incorrupta maneant, & aſſerventur in loculis, nec fœteant: Sicut Judæi & Ægyptii faciebant.* Sed hæc cauſa non habet locum apud eos, qui corpora mortuo-

rum in rogum imponere & combu-rere, non verò integra ſervare con-ſuevere. Illi igitur, ut opinor, cum vel munditiei & nitoris, vel luxûs câusâ unctionem adhibebant, tum, quam rationem Donatus adſignat in VI. Æn. quam etiam paulò ſuperiùs adduxi, ut celeriùs cadaver flammam conciperet. Nequaquam tamen am-bigo, ungi etiam apud Romanos ſo-litos fuiſſe mortuos ad abigendum fœtorem illum lethalem, & mole-ſtum halitum, quem caro exanima-ta reddit. Quia autem conditura fe-cimus mentionem, æquum erit ſcire modum, quem in defunctis condien-dis obſervârint antiqui, qui corpora incorrupta conſervare vellent. Mo-dus enim ille pro gentis varietate e-tiam diverſus fuit. Judæi extrinſe-cùs corpori unguenta applicabant, faſciisque deindè involvebant, ut ex hiſtoriâ Chriſti cuilibet notum. Æ-gyptiis verò intrinſecùs conditura fie-bat, exenterato ventre, ſive exem-ptis inteſtinis, quorum locum aroma-tis & medicamentis explebant, quod accuratè docet. Herodotus lib. II. cujus verba quamvis prolixiora, quia tamen totum iis ritum expoſuit, me

non pigebit hîc apponere: *At hi* (Taricheutæ) *relicti in ædibus hunc in modum diligentiſſimè condiunt corpus: Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem educentes ita locum ejus medicamentis explentes. De hinc acutiſſimô lapide Æthiopico circa ilia conſcindunt, atque illac omnem alvum protrahunt: quam ubi repurgarunt, ac vino palmeo eluerunt, rurſus odoribus contuſis proluunt: tum alvum complentes contuſâ myrrhâ purâ, & caſiâ, & aliis, exceptô thure, odoribus, iterum conſuunt. Ubi hæc fecere ſaliunt nitro abditum ſeptuaginta dies. Nam diutius ſalire non licet. Exactis ſeptuaginta diebus cadaver ubi abluerunt Sindone byſſinâ totum inciſis loris involvunt, gummi illinentes: quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in quâ mox inſerunt mortuum, incluſumque ita reponunt in loculo, & rectum ſtatuunt ad parietem. Siquidem mortuos ſumptuoſiſſimè apparant. Eos autem, qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumptum, ita apparant: Clyſterem unguine, quod è cedro gignitur, complent: Deinde ex hoc alvum mortui ipſam neque ſcindentes, neque extrahentes, ſed per ſeceſſum, prehenſo*

via

viæ poſterioris hiatu, inſerciunt: & tot quot dixi diebus ſale condiunt: quorum dietum ultimo cedrinum unguen tum, quod priùs ingeſſerant, ex alvo egerunt, quod tantam habet vim, ut una ſecum alvum atque inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis & oſſa relinquuntur. Ubi iſta fecere, ex quo ſic tradidere mortuum, nihil ampliùs negotii ſuſcipiunt. Sed potiùs audiamus ipſum Herodotum græcè loquentem, ne quis verſionis auctoritati ſtare cogatur: ὁ δὲ ὑπολειπόμενοι ἐν οἰκήμασι, ὧδε τὰ σπουδαιότατα ταριχεύουσι. πρῶτα μὲν σκολιῷ σιδήρῳ διὰ τῶν μυξωτήρων ἐξάγουσι τὸν ἐγκέφαλον, τὰ μὲν αὐτοῦ οὕτω ἐξάγοντες, τὰ δὲ φάρμακα ἐγχέοντες. μετὰ δὲ λίθῳ Αἰθιοπικῷ ὀξέϊ παρασχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην, ἐξ ὧν εἷλον τὴν κοιλίην πᾶσαν ἐκκαθήραντες δὲ αὐτὴν, καὶ διηθήσαντες οἴνῳ φοινικηΐῳ, αὖτις διηθέουσι θυμιήμασι περιτετριμμένοισι. ἔπειτα τὴν νηδὺν σμύρνης ἀκηράτου τετριμμένης, καὶ κασίης, καὶ τῶν ἄλλων θυωμάτων πλὴν λιβανωτοῦ πλήσαντες, συῤῥάπτουσι ὀπίσω. ταῦτα δὲ ποιήσαντες, ταριχεύουσι νίτρῳ, κρύψαντες ἡμέρας ἑβδομήκοντα. πλεῦνας δὲ τουτέων οὐκ ἔξεστι ταριχεύειν. ἐπεὰν δὲ παρέλθωσι αἱ ἑβδομήκοντα, λούσαντες τὸν νεκρὸν κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σινδόνος

βυσσίνης τελαμῶσι καταπετμημένοισι, ὑποχρίοντες τῷ κόμμι, τῷ δὴ ἀντὶ κόλλης τὰ πολλὰ χρέωνται Αἰγύπτιοι. ἐνθεῦτεν δὲ παραδεξάμενοί μιν οἱ προσήκοντες, ποιεῦνται ξύλινον τύπον ἀνθρωποειδέα. ποιησάμενοι δὲ, ἐσεργνῦσι τὸν νεκρόν. καὶ κατακληΐσαντες οὕτω θησαυρίζουσι ἐν οἰκήματι θηκαίῳ ἱςάντες ὄρθὸν πρὸς τοῖχον. οὕτω μὲν τοὺς τὰ πολυτελέςατα σκευάζουσι νεκρούς. τοὺς δὲ τὰ μέσα βουλευμένους τὴν δὲ πολυτελητὴν ἐκφεύγοντας σκευάζουσι ὧδε. ἐπεὰν κλυςῆρας πλήσωνται τοῦ ἀπὸ τοῦ κέδρου ἀλείφατος γινομένου, ἐν ὧν ἔπλησαν τοῦ νεκροῦ τὴν κοιλίην, οὔτε ἀναταμόντες αὐτὸν, οὔτε ἐξελόντες τὴν νηδὺν. κατὰ δὲ τὴν ἕδρην ἐσηθήσαντες, καὶ ἐπιλαβόντες τὸ κλύσμα τῆς ὀπίσω ὁδοῦ, ταριχεύουσι τὰς προκειμένας ἡμέρας· τῇ δὲ τελευταίῃ ἐξιεῖσι ἐκ τῆς κοιλίης τὴν κεδρίην, τὴν ἐσῆκαν πρότερον· ἡ δὲ ἔχει τοσαύτην δύναμιν, ὥςε ἅμα ἑωυτῇ τὴν νηδὺν καὶ τὰ σπλάγχνα κατατετηκότα ἐξάγει· τὰς δὲ σάρκας τὸ νίτρον κατατήκει· καὶ δὴ λείπεται τοῦ νεκροῦ τὸ δέρμα μοῦνον καὶ τὰ ὀςέα· ἐπεὰν δὲ ταῦτα ποιήσωσι, ἀπ' ὧν ἔδωκαν οὕτω τὸν νεκρὸν, οὐδὲν ἔτι πρηγματευθέντες Quibus è verbis etiam tempus conſtat, quamdiu ſcilicet Cadaver nitro imbuerint. Quod tamen apud Ægyptios vetuſtiores quadraginta tantum dies duraſſe

(per

(per quos tamen non *nitro*, ſed *aromatis* corpus condiverint) ſatis luculentè probant Sacræ Literæ. Geneſ. L. 2. 3. ubi Moſes, qui Scriptorum omnium habetur antiquiſſimus, ſuâ linguâ ita loquitur: ויצו יוסף את עבדיו את הרפאים לחנט את אביו ויחנטו הרפאים את ישראל: וימלאו לו ארבעים יום כי כן ימלאו ימי החנטים ויבכו אתו מצרים שבעים יום: Quem locum LXX. reddunt: καὶ προσέταξεν Ἰωσὴφ τοῖς παισὶν αὐτοῦ τοῖς ἐνταφιασταῖς ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ ἐνεταφίασαν οἱ ἐνταφιασταὶ τὸν Ἰσραήλ. καὶ ἐπλήρωσαν αὐτοῦ τεσσαράκοντα ἡμέρας. οὕτω γὰρ καταριθμοῦνται αἱ ἡμέραι τῆς ταφῆς. καὶ ἐπένθησεν αὐτὸν Αἴγυπτος ἑβδομήκοντα ἡμέρας. Inſuper etiam hîc Moſes dies LXX. poſuit; non verò tot dies condiebant cadavera, ut tradidit Herodotus, ſed lugebant. Ad Scripturam ergo Sacram propius accedunt verba Diodori Siculi, (qui inter Scriptores Græcos haud immeritò illud meretur encomium, quod omnium primus nugari deſierit.) l. I. biblioth. in quibus refert ad dies plures XXX. condiri corpora ſolere. Locum, quia cum Herodoto eleganter Ægyptiorum conditura modum oſtendit, totum hîc appoſui: *Quampri-*

primum, inquit; *ad ſolti cadaveris curationem convenere* (ἐνταφιασταὶ) *unus per blandam manu ad praecordia immerſâ, quidquid inteſtinorum eſt, praeter cor & renes, extrahit. Alius alvum cum viſceribus ſingulis repurgatam, vino palmeo, aromatiſque odoribus perluit. Lotum denique cadaver ad dies plures XXX. unguento primum cedrino, aliiſque, delibutum reddunt. Myrrhâ deinde ac cinnamomo aliiſque, non longiori tantum conſervationi, ſed etiam fragrantiae aptis conditum propinquis reddunt.* Non etiam omittenda cenſeo hac occaſione notatu digniſſima ea, quae in Itinerarii ſui parte primâ lib. II. c. V. Dominus de Thevenot, homo minime fabuloſus, ſed fide digniſſimus, & curioſisſimus rerum indagator (dum in Ægypto Momias perluſtrabat) de unguento illo, & vi ſalis praeſervatrice terrae ibi propriâ ac innatâ quaſi, inter alia nobis narrat. Verba ipſius ex noſtrâ verſione ſunt haec ſequentia: *Ick wende alle myn aendacht tot het beſchouwen van deſe balſem, waer van men het gebruyk verlooren heeft. Sy is ſwart, hard, en glinſterende gelyk pek; en ſelfs heeft ſy daer ook de reuk af, doch aengenaemer. Deeze balſem bewaert de lichamen*

men in hun geheel; en ik geloof, dat het zand daer oock niet weynig toe deed: Want zelfs in de groote Woeſtynen van Arabie, vind men ſomtyds doode Honden, en ſomtyds oock wel Menſchen, die noch 't eenemael geheel en gaaf ſyn, welke in slaap geraekt, of van de Karavaanen achter gebleven zynde, door de hevige winden, die een gantſche zee van zand met zich voeren, overvallen, en ſo diep onder het gedachte zand geſtolpt worden, dat het hen 't eenemael onmogelyk is zich daer uyt te redden. Dit zand, 't geen ſoutachtig is, bewaard deze ligchaamen voor verrotten, door alle de Vogtigheyt daar uyt te trekken. Wanneer nu een andere Wind 't gemelde zand weer te rug dryft, vind men deze lichaamen 't eenemael verdroogd, doch niet verrot. Veele hebben geloofd, dat deeze gedroogde lichaamen de rechte Momien waren; doch ſy hebben daer een verkeerd gevoelen af gehad. Dum autem heic in Momiis explicandis occupor, fateor, mihi temperare non poſſum, quin addam ea, quæ idem modò allegatus auctor de veterum condiendi corpora Ægyptiorum more l. c. refert, quemque in loculo quodam Ægyptiaco, cui Momia inerat, depictum ſe vidiſſe teſtatur, ubi ſimul

mul agit de loculis non non modò ligneis, ſed & ex Sindone purâ factis ac Gummi illitis, qui ligneis fermè ſunt durabiliores: de tenuibus item faſciis, quibus corpus involvebant, quæque M. ulnarum longitudinem ſuperarent, compluribus nexibus mirum in modum in ſemet ipſos implicatis, & celantibus capita; ac de pluribus notatu digniſſimis rebus; imprimis cum quodammodò quædam Herodoti ſuprà citatis verbis conveniant: *Dit licham was ſeer groot en breed, en lag in een kiſt van geweldig dik hout, die aen alle zyden ſeer wel geſlooten was. Dit hout, 't geen wy bevonden van den oprechten Wilde-Vygeboom te wezen, welke men in Egypten Pharaos-vyge boom noemt, was gantſch niet verrot; want het heeft daar op ver na zoo licht geen nood af, als eenig ander hout. Boven op het zelve zag men 't aengezicht van den geen, die daar in lag, verheven uytgehouwen. men vind oock van deeze Kiſten of Koffers van ſteen, met het aengezicht der geener, welke ſy beſluyten, daer verheven op afgebeeld, en langs heen Hieroglyfiſche figuren. Noch ſyn er van deeze Kiſten, welke van verſcheidene doeken, op malkander gelymd, gemaekt,*

maeckt, en alzo ſterck zyn als die van hout. 'k Heb 'er een van deeze ſoort in myn kabinet, die van meer als veertig doeken, den een op den ander gelymd, gemaakt is, aen de welken men noch gantſch geen verrotting beſpeuren kan. Deeze kiſt is 'teenemael bedekt met Afgoden en Hieroglyfiſche figuuren, ſtaende op een ſeer dun pleiſter, daer de buytenſte doek mee beſtreecken is; doch 't werck is een weinigje beſchadigd, vermits de pleiſter hier en daar wat af is gevallen. Onder deeze figuuren is een parkje, na beneden toe, dwars over de gedachte kiſt, van twee duimen breed en een voet lang; waer in men uitgebeeld ziet de manier, op welke de oude Egyptenaaren de lichaamen balſemden. Int midden van dit parkje ſtaet een lange tafel van gedaante als een leeuw, op welkers rug het lichaam, dat gebalſemd ſal worden, uitgeſtreckt legd, en daer by een man met een mes in de hand, met het welke hy het zelve opend. Deezen man heeft een masker voor 't aengezicht van fatſoen als een Sperwers-bek, buiten twyfel volgens gewoonte hunner Balſemers, die zich van dusdanige maskers dienden, om de kwaade lucht, welke door de verrotting in de doode lichaamen veroor-

ſaeckt

ſaeckt word, niet in te trecken; gelyk de genees meeſters noch tegenwoordig in Italien doen, die in Peſt-tyden nimmermeer zonder zoodanig een masker, in welkers lange neus eenig reuck-werk, geſtopt word, de zieken gaen bezigtigen. Men zou echter konnen twyffelen, of dit masker niet het hoofd van Oſiris was, welke d'Egyptenaars met een ſperwers-hoofd verbeelden, gelyk Anubis met dat van een Hond, de Nyl met dat van een leeuw, enz. Maer tot een gewiſſer teecken dat het een Balſeming is, ziet men onder de gedagte tafel, vier kruycken of vaten zonder ooren, die niets anders konnen weezen, als de vaten, daer de noodzakelykheden tot de balſeming, zoo van binnen als van buiten, in bewaard wierden. Aen beyde de zyden van deeze tafel ziet men oock ettelycke perſoonen, welcke in verſcheydene poſtuuren ſtaen, en zitten. Van binnen in deeze kiſt is de gedaante van een gantſch naakte Dochter met uytgeſtreckte armen verbeeld. Maer om weer tot myn eerſte redenen te koomen. Na dat wy met groote bylſlagen deeze houte kiſt, daer ick hier voor afgeſproken heb, aen ſtucken hadden gebroken, vonden wy een geheel ligchaam, in, 't geen aldus geſteld was. 't Aenzicht was, gelyck gemeenlyck alle de anderen

deren

deren zyn, bedekt met iets, als een helmet van doek, met plaeſter overſtreken; op het welck in goud het trony van deezen Gebalſemde uitgebeeld ſtont. Doch als wy deeze deckſels daer van afnaamen, vonden wy daar niets af overig: want het aenzicht vergaat gemeenlyck tot ſtof; 'twelck, geloof ick, toekomt door dat het zo wel niet gebalſemd kan worden als d'andere deelen des lichaams. Niet te min heb ick 't hoofd van een Momie gantſch en gaaf te Parys gebracht; maer dit hoofd is t'eenemael met windſelen ſoo net bewonden, dat men, niet tegenſtaande de zelven, de gedaante der oogen, neus en mond kan zien, 't overige des lichaams was in kleine zeer net gemaakte lindene windſelen gebakerd; maer deze windſelen liepen met ſoo vel keeren en herkeeren, dat ick geloof dat ze meer als duyzend ellen konde uytmaecken: en in waarheid zy zyn ſo wonderlyck door malkander gevlochten, dat men 't tegenwoordig, gelyk my verſcheydene wond-heelders verzekerd hebben, zoo niet na zoude konnen maaken. Over de borſt in de langte liep een reep van ruym drie vingeren breed, en wel anderhalf voet lang, welke op een zeer konſtige wyze aen de andere windſelen vaſt was. Op de gedachte

reep

reep ſtonden verſcheydene Hieroglyfiſche letters met goud geſchreeven. Hæc de Thevenot. Æthiopum quod attinet condituram & illi cum Ægyptiis hoc habebant commune, quod exſiccantia adhibuerint remedia mortuis, ſed dein eos jam arefactos Gypſo inducebant, ſicuti ritum illum videre eſt apud aliquoties citatum Herodot in Thaliâ hiſce verbis: Ἐπεὰν τὸν νεκρὸν ἰσχνήνωσι, εἴτε δὴ κατά περ Αἰγύπτιοι, εἴτε ἄλλωσκως, γυψώσαντες ἅπαντα αὐτὸν γραφῇ κοσμέουσι ἐξομοιεῦντες τὸ εἶδος ἐς τὸ δυνατόν. Ἔπειτα δὲ οἱ περιϊστᾶσι στήλην ἐξ ὑέλου πεποιημένην κοίλην. Ἡ δὲ σφι πολλὴ καὶ εὐεργὸς ὀρύσσεται. Ἐν μέσῃ δὲ τῇ στήλῃ ἐνεὼν διαφαίνεται ὁ νέκυς, οὔτε ὀδμὴν οὐδεμίην ἄχαριν παρεχόμενος, οὔτε ἄλλο ἀεικὲς οὐδέν. Καὶ ἔχει πάντα φανερὰ ὁμοίως αὐτῷ τῷ νεκυϊ. Ἐνιαυτὸν μὲν δὴ ἔχουσι τὴν στήλην ἐν τοῖσι οἰκίοισι οἱ μάλιστα προσήκοντες, πάντων ἀπαρχόμενοι, καὶ θυσίας οἱ προσάγοντες. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐκκομίσαντες ἱστᾶσι περὶ τὴν πόλιν. Hunc cadavera condiendi morem eſſe antiquiſſimum conſtat, cui autem genti originem debeat, ambigitur; meo quidem judicio forent Ægyptii, qui illum invenerunt, cum primi ſint, apud quos hunc ritum extitiſſe legimus. Sic vel antiquiſ-

quiſſimo Patriarcharum tempore ita Iſraelem conditum fuiſſe ſuprà habuimus. Ab Ægyptiis verò Hebræos hunc morem fuiſſe mutuatos veriſimile eſt, quod ex Gen. c. L. haud obſcurè intelligitur, quamvis condiendi modus ipſe apud illos fuerit diverſus, ut ſuperiùs indicavi. Huc ſpectat, quòd teſtantur Sacræ literæ de funere Regis Aſſæ II. Paral. XVI. 14. quod nempe *ἐκοίμισαν αὐτὸν ἐπὶ τῆς κλίνης, ϗ ἔπλησαν ἀρωμάτων, ϗ γένη μύρων μυρεψῶν,* Verba ſacri Textus ſunt: וישכיבהו במשכב אשר מלא בשמים וזנים מקחי םבמרקחת מעשה. Ab Hebræis poſteà ad Chriſtianos videtur tranſiiſſe, quos etiam Arabicas olim merces funeribus adhibuiſſe auctor eſt Tertullianus lib. de Reſurrect. Carnis, cum inquit: *Proindè enim & corpora medicata condimentis ſepulturæ mauſoleis & monumentis ſequeſtrantur.* Quod & hodie ſæpiùs in Imperatorum, Regum, ac Principum cadaveribus obtinet. Inter alios gentiles etiam vel indè ab Iliaco tempore mos hic fuit frequentatus: De Trojanis refert Horat. lib. epod. od XVII.

Unxe-

Unxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus, atque canibus Homicidam Hectorem,

Sed de mortuis ſatis. Tempus jam eſt, ut pergamus ulteriùs ad res reliquas. Veterum domos & habitacula luſtraturi, ædium poſtes unctas videbimus à ſponsâ mariti domum ingreſſurâ, à quâ etiam re dicta Juno Vnxia videtur. Donatus ad Terent. Hec. Act. I. ſc. II. *Cum puellæ nuberent maritorum poſtes ungebant, ibique lanam figebant.* Et Servius ad illud IV. Æneid.

Velleribus niveis & feſtâ fronde revinctum:

Moris, inquit, *fuerat, ut nubentes puellæ ſimul cum veniſſent ad limen mariti, poſtes, antequam ingrederentur, propter auſpicium caſtitatis ornarent laneis vittis: unde ait velleribus niveis: & oleo ungerent.* Quod oleum ex adipe ſuillo vel lupino factum fuiſſe tradit Iſidorus lib. IX. cap. ult. Et de ſuillo quoque confirmant hæc Plinii verba lib. XXVIII. c. IX. *Proxima in communibus adipis laus eſt, ſed maximè ſuilli, apud antiquos etiam religioſi. Certe novæ nuptæ intrantes etiamnum ſolemne habent*

poſtes

poſtes eo attingere. Videntur autem ſuillo uſæ boni ominis causâ, ut eo denotarent, quam ſibi optarent fœcunditatem, ut tam fœcundæ eſſent, quam ſues, qui denos pariunt. Lupino vero poſtes inungebant, nequid veneficum aut peſtilens domum ingrederetur, vel ipſi obeſſet. Quod clarè innuit idem auctor eopſe cap. *Maſſurius*, inquit, *palmam lupino adipi dediſſe antiquos tradit. Ideò novas nuptas illo perungere poſtes ſolitas, ne quid mali medicamenti inferretur.* Porrò occurrit in Horat. epod. lib. od. V. locus, quo unctorum meminit cubilium hiſce verbis:

Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.

Quæ verba ita explicavit Porphyrio: *Indormit cubilibus unctis oblivione omnium Pellicum; & eſt ſenſus, Cubilia uncta ſunt medicamentis, quæ oblivionem inducerent omnium pellicum, circumlita.*

Sed addamus reliqua; conjecturam nonnulli faciunt, morem antiquitùs obtinuiſſe uncto linteo emungendi, vel potiùs extinguendi lucernas, in cujus vicem nos hodiè ferreis utimur emunctoriis. Ex Plauto originem

cepit opinio cum in Bacchid. act. III. ſc. III. ait:

It Magiſter quaſi Lucerna uncto expretus linteo.

Præterea ſunt, quibus ex ejusdem Plauti verbis, quæ habet in Aulul. act. III. ſc. V.

Aut Manulearii, aut Myrrobathrarii.

Calceamenta muliebria unguentis, odoribus, & ſuffimentis imbuta fuiſſe placeat. Sed dum loquitur de mulierum calceamentis, haud adeò erit incongruum obſervare σάνδαλα propriè ea fuiſſe, Heſychio teſte. Et indè Lucianus inquit, Omphalen Sandalo Herculem percuſſiſſe. Ælianus quoque var. hiſt. l. I. c. XVII. loquens de priſcarum fæminarum luxu inter alia ſandalis illas pedes induiſſe ſcribit: Ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς κεφαλῆς στεφάνην ἐτίθεντο ὑψηλήν. Τοὺς δὲ πόδας σανδάλοις ὑπεδοῦντο. Undè Venus etiam Bioni in Adonide mortuo dicitur per ſylvas iviſſe ἀσάνδαλος, καὶ ἀμάσσουσα πόδας.

Inter Mulieres apud Apulejum lib. XI. Metam. Pompam Iſidis proſequentes erant, *quæ cæteris unguentis, & geniali balſamo guttatim excuſſo, conſpergebant plateas.* Judi-

Judicum tabellæ *malthâ* perlinebantur, id quod clarè indicat Pollux lib. VIII. cap. IV. cum ait: *Maltham eſſe ceram, quâ illinerentur judicum tabellæ.* Quibus verbis etiam docet, quid Maltha fuerit. Sanè Heſychio *cera mollita* dicitur: μάλθα enim ſive μάλθη fuiſſe dicitur κηρὸς μεμαλαγμένος. Fiebat autem è pice liquidâ & unguine, quod vocamus ſevum vel axungiam, item è calce minutatim ſuperadjectâ. Sicuti id pleniùs deſcribit Plinius lib. XXXVI. cap: XXIV. adi etiam Palladium lib. I. cap. XVII. Feſtus maltham ita deſcribit: *Maltha dicitur à Græcis pix cum cerâ miſtâ.* Unde gloſſæ vett. exponunt πισσόκηρον. Ceræ tamen non meminit Palladius, ſed alii quos adduxi.

Libros etiam ſuos *cedrio* perungebant veteres. Hinc ait Martialis de ſuo libello lib. III. ep. II.

Cedro nunc licet ambules perunctus.

Et Ovid. Triſt. lib. I. el. I.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Id fecere, ne à tineis & carie lædcrentur, quam rationem adſignat Plinius lib. XVI. cap. II. ac lib. XIII.

c. XIII. ex ſententiâ Caſſii Heminæ ſcribit, Libros Numæ ideo tineas non tetigiſſe, quod *cedrati* fuiſſent. Eandem Cedrio vim tribuit Vitruvius lib. II. cap. IX. cum hæc ſcribit: *Item Cedrus & Juniperus easdem habent virtutes & utilitates: ſed quemadmodum ex cupreſſu & pinu reſina, ſic ex cedro oleum, quod cedrium dicitur, naſcitur, quo reliquæ res cum ſint unctæ, (uti etiam libri) à tineis & carie non læduntur.* Hæc Vitruvius. Nolo alia huic ſubjicere loca, cum ad alia tranſire tempus jubeat.

CAPUT IV.

DE

VASIS UNGUENTARIIS.

Unguilla. Onyx. Onyx marmor, Onyx Gemma. Albaſtrum. Onyx conchylii genus. Conchæ. Pyxides. Guttus, vas unguentarium. Guttus vas vinarium. Ἐπίχυσις. Λήκυθος. *Ampulla.* Αὐτολήκυθοι. *Ampullæ verborum. Seſquipedalia verba.*

Præ-

Præmiſſis hiſce de variâ gentilium unctione, tempus ſuaderet, ut receptui caneremus, ni reſtaret, ut devolveremur ad vaſa unguentorum noſtrorum. De quibus pro exigui temporis ratione quædam adhuc erunt dicenda, ut conſtet, quibusnam in vaſculis unguenta habuerint? *Unguilla* Solino vas eſt, ex quo inungebant: Omnium tamen præſtantiſſimum fuit *Onyx*, cujus paſſim apud Scriptores ſit mentio. Ita Martialis lib. XI. ep. LI.

Profertur Coſmi nunc mihi ſiccus Onyx.

Et Propert. l. II. X.

Cum dabitur Syrio munere plenus Onyx.

Item Catullus de comâ Berenices, & alii &c. Videtur autem Latinis hoc nomen Onyx commune Gemmæ & Marmori, quamquam primò de Marmore dicebatur, unde dein gemmæ id nomen tributum. Clarè id nobis, Plinius, ſi audiamus, ſuggeret lib. XXIII. cap. VI. quo de variis gemmis tractat: *Exponenda eſt & Onychis ipſius natura, propter nominis ſocietatem: hoc in gemmam tranſilit ex Lapide Car-*

 maniæ.

maniæ. Voſſii tamen eſt ſententia, Lapidem Carmaniæ potius â gemmâ nomen cepiſſe. Duxit Onyx, juxta plurimos appellationem à ſimilitudine unguis humani, vel quod, ut unguis, ſit cornei candoris, vel quia nihil ſit in ipſo rugoſum vel aſperum, ſed omnia, ut in ungue, lævia ac polita. Nam ὄνυξ, *unguis.* Et Plinius eopſe capite: *Sudines dicit in gemmâ eſſe candorem unguis humani ſimilitudine.* Plura de Onyche gemmâ habet ibidem Plinius; hodiè verò à plurimis cum Onyche marmore confunditur. Cum verò nobis de Onyche vaſe ſit ſermo, marmorem intelligimus; ubicunque enim Onyx pro ingenti vaſe ponitur, non de gemmâ accipi poteſt, ſed de lapide vel marmore, de quo tractat Plinius lib. XXXVI. cap. VII. *Onychum*, inquit, *etiamnum in Arabiæ montibus, nec uſquam alibi naſci putavere noſtri veteres. Sudines in Germaniâ, potoriis primùm vaſis inde factis, deinde pedibus lectorum, ſelliſque.* Ubi pro *Germaniâ*, *Carmaniâ* quidam reſtituunt. Initio quidem rarior fuit hic lapis, poſt verò invaleſcente luxu, etiam in columnas & pavimenta tranſiit. De columnis Plinius paulò inferiùs

riùs ſubjungit: *Cornelius Nepos tradit, fuiſſe magno miraculo cum P. Lentulus Spinther ex eo Chiorum magnitudine cadorum oſtendiſſet: poſt quinquennium deinde XXXII. pedum latitudine columnas vidiſſe ſe.* De pavimentis teſtatur illud Martialis lib. XII. ep. L.

Calcatuſque tuo ſub pede lucet Onyx.

Atque & hinc ſatis conſtat aliud fuiſſe Onychem gemmam, qui tantum lapillus eſt, aliud Onychem marmorem ex quo columnæ, totaque pavimenta, atque ingentia fierent pocula. Prætereà Onyx gemma vocabatur ὀνύχιον. At lapis contrà ὀνυχίτης λίθος ſive *Alabaſtrites*, ut idem ſit, quod *Alabaſtrum.* Id confirmat Plinius lib. XXXVI. cap. VIII. de marmore onychite ita loquens: *Hunc aliqui lapidem Alabaſtriten vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optimè ſervare incorrupta dicitur.* Et Dioſcoridis teſtimonium eſt: Ἀλαβαςρίτης, ὁ καλέμενος ὄνυξ. Vid. etiam Hermolaum Barbarum. Atque de his verbis Horatii lib. IV. od. XII.

Nardi parvus Onyx eliciet cadum.

Monet Acro, vocabulum *Onyx* hic

poni pro ampullâ marmoreâ, propriè que ſic dici marmoris genus, ex quo ad unguenta odorata parva fierent vaſa. Quæ erant longitudine faſtigiata in pleniorem orbem deſinentia, ut indicant, quæ de elenchorum figurâ (quos alabaſtris confert) refert Plinius lib. IX. cap. XXXV. Sed minimè heic omittendam eſſe admonitionem cenſeo, quam dedit Celeberrimus Voſſius: cavendum nimirum *putes antiquis id fuiſſe alabaſtrum, quod nos hodiè ſic vocamus. Vulgò enim ſic dicitur lapidis genus, è quo torno vaſa fiunt, venis ſubnigris per ea diſcurrentibus, pellucidô livore, materiâque planè fragili: quæ gypſi ſpecies eſt, non ſpecies veteris alabaſtri: qui cujusmodi fuerit, imprimis ſciunt, qui Romæ veterum ædificiorum rudera viderunt.* Hæc Voſſius. Meminit Alabaſtri vaſis Martial. lib. XI. ep. IX.

- - - *Quod Coſmi redolent Alabaſtra.*

Et Lucianus in tractatu de Aſino: καὶ μύρον ἔκ τινος ἀλαβάστρου προχεαμένη τούτῳ ἀλείφεται. Quin etiam inter Judæos id vaſis genus fuit ad diuturnam unguenti cuſtodiam probatiſſimum; Hinc Lucas Evangeliſta cap. VII. 37.

de-

de muliere peccatrice ſcribit; ἐπιγνῦσα, ὅτι ἀνάκειται, ἐν τῇ οἰκίᾳ τῦ Φαρισαίυ, κομίσασα ἀλάβαςρον μύρυ. Sed præterea *conchylii* quoddam etiam videtur genus fuiſſe, quod *Onyx* dicebatur: de quo Dioſcorid. lib. II. ὄνυξ, inquit, πῶμά ἐςι κοſχυλίυ ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας, ἐυρισκόμενον ἐν τῇ Ινδίᾳ ἐν ταῖς ναρδοφόροις λίμναις, διὸ καὶ ἀρωματίζει νενομένων τῶν κοſχυλίων τὴν νάρδον. Senſus eſt: *Onyx conchylii eſt operculum purpuræ operculo ſimile, quod reperitur in Indiâ in paludibus iis, quæ Nardum ferunt. Itaque & odores ſuaviſſimos afflat, quoniam conchylia Nardo veſcuntur.* Ex his igitur teſtis ſeu conchis fieri etiam poterant vaſa ad unguentum ſervandum aptiſſima, quæ ſervato nomine *Conchæ* appellabantur. Atque huc, credo, faciunt, quæ habet de conchis Horatius: lib. II. od. VII.

- - - funde capacibus
unguenta de conchis.

Et Juvenalis Sat. VI.

Cum bibitur concha.

Præterea apud Martialem legimus de *vaſis* quibusdam *plumbeis.* lib. VI. ep. LV.

Fragrâs plumbeâ Nicerotianâ.

Quæ alii referunt ad ſagittas plumbeas, quibus cinnamomum ex Phænicis alitis nido decuſſum tradit Ariſtoteles lib. VI. de nat. Animalium. c. XIII. Mihi verò & illud minimè ineptum videtur, hæc intelligi poſſe de unguentis à Nicerote unguentario confectis & in vaſis plumbeis coctis; ut ſcribit Plinius lib. XIII. cap. II.

Plurimum etiam paſſim apud auctores *pyxidum* fit mentio: quæ propriè dicuntur de vaſculis *è buxo* factis. Dein verò per abuſum, quia plerumque illis utebantur, factum, ut & alia etiam alterius materiæ vaſcula pyxides dicerentur. Quomodo *pyxidem auream* dixit Petronius. Et apud alios *argenteam* vel *corneam pyxidem* legere eſt. Atque hinc Fabius lib. VIII. *Pyxides*, inquit, *cujuscunque materiæ ſunt*.

Verum age, feſtinemus ad Balnea. Videbatur ibi *Guttus*, quod erat vaſculum, è quo oleum guttatim diſtillabat. De eâ voce ſic vetus Juvenalis interpres Sat. III. *Guttus ab eo dicitur, quia guttam mittit, quos habent*

bent Capſarii. Lautiores autem & nobiliores utebantur in balneis gutto, facto è cornu Rhinocerotis. Quod oſtendit illud Juvenalis Sat. VII.

Exitus hic eſt
Tongilli, magno cum Rhinocerote lavari
Qui ſolet.

Pauperibus contrà in uſu erat guttus ex cornu taurino vel bubalino; quod colligere queas ex Martiali, qui in Apoph. ep. L. ſub lemmate *Gutti cornei* id expreſſit:

Geſtavit modò fronte me juvencus
Verum Rhinocerota me putabis.

Figuram talis cujuſdam vaſculi exhibebit hic puer cum hero ſuo balneum aditurus, in ſubjectâ icone, quam mutuati ſumus ex Guilielmi du Choul tractatu de Balneis, eamque oculis hîc ſubjiciendam duximus.

Alioquin etiam guttus erat vas vinarium, *à quo* (verba ſunt A. Turnebi lib. XXII. cap. XXX.) *vinum fundebatur in Simpulum, quod pro Cyatho erat: è Simpulo in Calicem. Nam potionem Cyathis, & antè Simpulis metiebantur.* De hoc vinario gutto ſic Var-

Varro lib. IV. de L. L. *Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, à guttis Guttum appellarunt: & quo ſumebant minutatim, à ſumendo Simpulum nominavere.* Voſſius in eâ verſatur ſententiâ, quod ἐπίχυσις & guttus idem ſint. *Gutta* enim, inquit, *dicitur quaſi Chuta:* χυτὴ à χύω, *hoc eſt, fundo. funditur enim.* Quamvis longè aliter videatur ſentire Turnebus loco ſuprà citato, cum inquit: *Cæterùm epichyſeos, quæ gutto poſteà ſucceſſit, meminit his verbis Athenæus:* (quibus æneam ἐπίχυσιν fuiſſe videmus) ἐπὶ δὲ τῷ τρίποδι ψυκτὴρ χαλκοῖς ἐπέκειτο καὶ κάλος καὶ σκάφιον, ἀργυροῦν δύο κοτύλας χωροῦν, καὶ κύαθος, ἡδ᾽ ἐπίχυσις χαλκῆ. i. e. *in Tripode frigidarium æneum poſitum erat, Cadus, Scaphium argenteum duarum capax heminarum, Cyathus, epichyſis autem ænea.* Sic in eo quoque differre videntur, quod Cyathum & Simpulum idem fuiſſe Voſſius affirmet; *Nam*, inquit, *ex epichyſi ſeu Gutto fundebant guttatim in Cyathum ſeu Simpulum:* Turnebus verò hæc diſtinguat verbis ſuprà allegatis, ubi dixit: *Vinum fundebatur in Simpulum, quod pro Cyatho erat.* Et poſteà: *potionem cyathis & antè ſimpulis metiebantur.*

tur. In hoc tamen conveniunt, quod Guttus & Gutturnium idem eſſe uterque dixerit.

Poſtremò, inter vaſa hæc unguentaria occurrit etiam Λήκυθος ſeu *Ampulla.* Nam in Iſidori gloſſis exponitur, Lecythus, *Ampulla olearia.* Erat hoc vas olearium, quod in balneis ad unctiones habuerunt, atque etiam Palæſtritæ eo utebantur, quod indicat Theocriti Scholiaſtes: Λήκυθον, τὴν ἔχουσαν τὸ ἔλαιον ᾧ ἐχρῶντο ἐν ταῖς παλαίστραις. Operæ pretium duxi Lecythi figuram hic exhibere, quam ita conſpici in veteribus lapidibus ſeu monumentis indicavit Scaliger, in notis ad Petronium:

Quod ſi quis rationis alicujus pondere vellet firmari, age, audiat quam graphicè Ampullam deſcripſerit Apulejus Florid. lib. I. vel juxta alios in initio libri II. cujus hæc verba adduco. *Qui magno in cœtu prædicavit, fabricatam ſibimet ampullam quoque oleariam quam geſtabat; lenticulari forma, tereti ambitu, preſſulâ rotunditate.* Divites ſuos ſervos habebant, qui Lecythos in balnea portarent, unde à Græcis pauperes dicebantur αὐτολήκυθοι, quod *ſibimetipſis ampullam in bal-*

nea

nea ferebant, *cum ſervos Ampulligeros non haberent*. Vide ſis Turnebum lib. IV. c. I. Ab hoc Ampullarum *tumore*, & *amplitudine* tranſlationis quoddam genus profectum eſt, ut verba *ampulloſa* ac *tumentia* ab Horatio in libello de arte Poëtica *Ampullæ* dicantur, cum inquit:

Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba.

Ubi per *ſesquipedalia* intellexiſſe creditur verba magnitudine ampullas æquantia, per *ampullas* vero orationis turgiditatem & grandiloquentiam. Et huc faciunt etiam illa lib. I. ep. III.

An Tragica deſævit. & ampullatur in arte.

Quod autem *ampullatur* dixit, id fecit Græcorum æmulatione, qui ληκυθίζειν dicebant, cum tumidam vellent deſcribere orationem. Undè & Lais, quia buccis etat tumentibus, πρὸς τοῖς γνάθοις λήκυθον, habere dicebatur. Et ſimili quoque ratione Plinius hæc Tullii verba l. I. ep. IX. ad Atticum: *Totum hunc locum, quem ego in Ariſtocratiâ variè in meis orationibus, quarum tu Ariſtarchus es ſoleo pingere, de flammâ, de ferro (noſti illas ληκύθους) valde*

de graviter pertexuit, accepit de oratione amœnâ. Cum lib. I. ep. II. quæ eſt ad Marcum, ſcribit: *Non tamen omninò Marci noſtri* ληκύθυς *fugimus*, *quoties paulum itinere decedere non intempeſtivis amœnitatibus admonebamur*. Nam oratiationis gravitati & magnificentiæ probè convenit ejusdem quoque amœnitas ac elegantia.

Hæc ſunt, A. Lector, quæ de Gentilium unctionibus unguentisque hac vice in medium afferre & volui, & potui. Judaicæ, quia peculiarem ſibi tractationem poſtulant, atque minus hujus loci ſunt, forſan alio tempore commodiùs locum invenient. Itaque receptui canens nullus dubito, quin Tu, A. L. opellam hanc benevolè ſis accepturus. Interea certus eſto hæc mea conamina, ſi placuerint prima fore, ſin diſplicuerint, ultima. Quod ſi tamen quis meliora edoctus me quoque iſta docere velit, inveniet nunquam me pertinaciter & ad faſtidium usque oppoſiturum. Interim quædam ſtudio credas me prætериiſſe memorem ſcilicet ſcopi quem mihi præfixeram: Fuit autem iſte non opera ſcribere, ſed diſſertationem: Contentus igitur hoc Catone, verba

hæc

hæc Horatii commendata habe:

Vive, vale; ſi quid noviſti rectius iſtis
Candidus imperti: ſi non, his utere me-
cum

Cla-

Clariſſimo Juveni

REGNERO VERWEY.

ANDREAS CHRISTIANUS ESCHENBACH

S. P. D.

Bienninm ferè eſt, Reinere doctiſſime: cùm relicta terra Batavâ, dulciſſima tua Patria, noſtras has oras adiiſti, & imprimis Illuſtrem hanc Academiam Jenenſem Muſarum tuarum ſedem elegiſti: ex quo tempore quanta fide quantaque religione Amicitia inter nos culta fuerit, nec ut Te doceam, nec ut multis verbis hîc prædicem, opus eſt. Tute enim noſti, quanto ardore Te complexus fuerim, quam primum Te iisdem mecum Elegantiorum Muſarum amoribus capi intellexiſſem; & tantum abeſt, ut me rivalem aut timueris aut affectum meum reſpueris, ut potiùs non ſolum viciſſim amaveris amorem meum, ſed quò arctius flammæ noſtræ copularentur, idem etiam mecum contuberninm quæſieris; in quo, quanta animorum conjunctione, quanta mentis tranquillitate quan-

toque ingenii ardore delicias noſtras ſectati ſimus, vix verbis exprimerere poſſum. Certè, quoties recordor optatiſſimi illius temporis, quo ſèpoſitis nonnunquam gravioribus ſtudiis, vel optimos auctores legendo, vel aliquid commentando, vel quæſtiones propoſitas ſolvendo, vel Græcas literas ſcrutando, vel antiquos ritus priſcaſque hiſtorias inveſtigando tempus nonnunquam & otium conjunctiſſimi feſellimus, non poſſum, quin eidem fortunæ, quæ Tibi me felicibus aſtris conjunxit, verè & ex animo ſuccenſeam, quòd exoptatiſſimam Tuam converſationem oſtendere mihi potiùs qnàm præſtare voluerit. Vix enim arctiſſima hæc animorum noſtrorum conjunctio corroborari incipiebat, cùm ſubitò caſus; neſcio quis, dulciſſimum noſtrum contubernium disrupit. Timui profectò tum temporis ne interrupta illa arctior noſtra converſatio, animorum quoque juncturam aliquanto laxaret, & ne affectuum terminos ex corporum diſtantia metireris. Sed facilè illum mihi metum excuſſit Tua in amore conſtantia. Non ſolùm enim magno animo divortium illud tuliſti,

ſed

ſed etiam quotidie mecum ad veteres noſtros amores perrexiſti, illornmque caſtiſſima fana mecum adoraſti. Quin, quo omnibus nunc Tuus erga me affectus innoteſcat, cùm jam iisdem deliciis noſtris, h. e. omnis elegantiæ ſtudiis, ἀνάθημα ſuſpendere laboras Eruditam ac verè Tuam de Gentilium Unctionibus Diſſertationem; meum quoq; nomen eidem tabulæ inſerere, illamque meo ſub Præſidio proponere deſideras. Quamobrem utrique; noſtrûm gratulor. Tibi, quod non ſolùm Deus O. M. tanta in Te animi dona, pietatem, modeſtiam, doctrinam omniumque virtutum genuinum amorem contulerit, ſed etiam quod facultatem Tibi conceſſerit, venerandæ Religionis noſtræ myſteriis, quæ duce Summo Viro, Magnifico Domino D. Bajero communi noſtro Patrono ac Præceptore, egregiè hactenus familiaria Tibi reddidiſti, amœniores quoque Muſas feliciſſimo nexu conjungendi. Mihi, quod talem amicum nactus ſim cujus non tantùm probitas, doctrina ac eruditio omnibus probatur, verùm etiam, qui ſinceros amicos ſincerè diligere novit. Age igitur,

tur, chariſſime Reinere! inſiſte porro his, quæ hactenus calcaſti, gnaviter veſtigiis, nunquamque à regiâ illa viâ, quam & Deus, & ad optima quæque facta Indoles Tua Tibi oſtendunt, deflecte. Sic, quin Scopum tuum, ad quem omnes curas & cogitationes Tuas hactenus direxiſti, brevi aſſecuturus ſis, uti nullus dubito, ita, ut eundem feliciter quoque attingas, ex animo voveo. Denique fac ut eundem amicum, quem communia ſtudia, commune contubernium, communis fortuna Tuum reddidere, quemque brevi iidem, qui Te Viales comitabuntur, impoſterum quoque diligas. Vale! Scribebam Jenæ, Prid. Eid. Nov. cIↃ IↃc LXXXVII.

INDEX

INDEX
Locorum S. Scripturæ.

Genes.	XXX.	11.	Pag. 20
	XXXII.	24.	116
Levitic.	XIX.	4.	12
Deuteronom.	XXXII.	17.	9
Eſth.	II.	12.	425
Pſalm.	XCI.	6.	14
	XCVI.	5.	13
	XCVII.	7.	13
	CVI.	6.	14
Eſaï:	XIII.	21.	11
	XVII.	7.	11
	XXXIV.	14.	13
	LXV.	11.	14. 19
Habacuc.	II.	18.	12
Marc.	XIV.	5.	352
- - - - - - -		8.	421
Luc.	IV.	6.	12
	VII.	46.	482
Johan.	XII.	3.	421
Act.Apoſt.	XII.	7.	119 &c.
	XVII.	18.	16
- - - - - - -		28.	51
1 Corinth.	VI.	3.	17

Digitized by Google

I N D E X

Rerum & Verborum.

A.

ACHillis genius. 129
ἀκονιτὶ νικᾶν. Proverbium hoc unde. 430
Actores ſervi, quinam olim. 262 &c.
Acus crinalis olim in uſu. 449
Ægyptiorum unguenta contra culices. 349
Ἀλείφειν quid 337. Diſcrimen inter & χρίειν. ib.
Aliptæ olim varii, aliptæ in balneis, aliptarum varia officia. 411. Jaraliptæ, capſarii. Cinerarii, Crinifiones. 412 &c.
Alruni Indorum. 134
Ambroſia, unguentum. 365
Amomum, quid. 364. ἀμωμὶς. 365
Amomia. 495
Ampulla 524. Ampullæ verborum, Seſquipedalia verba. 526
Ancillæ olim ungebant. 435
Ancyra qualis olim nota criticorum 328
Angelis à Patribus tributa corpora ſubtilia. 85. Angeli adſumſerunt corpora, ſed ad tempus. 86. Angelos coſtodes ſolis baptizatis attribuit Origenes. 115. Judæorum de Angelo cuſtode ſententia. ibid. Angeli Patriarcharum præceptores 116. Angelus Eſavi cum Jacobo luctatus ibid. Patrum opinio de Angelo Cuſtode cuilibet pio adſignato 119 &c. 160. Antiqua opinio de Angelo bono & malo hominum. 138
Antiquarii, quinam olim. 259. 294
Antigraphus, nota vett. Criticorum qualis 316
Antiſigma, qualis olim nota Criticorum. 316

Antra in lucis amata 211. Antrum in colle Palatino ib. Corycium 212. Trophonianum. 213
Aphe pulvis, vel arenula quædam, qua adſpergebant athletas. 429
Ararum cultus naturalium in locis excelſis olim non infimus erat Deorum cultus. 222. 208
aræ poſitæ ad arbores proprias illi Deo cui lucus dedicandus. 226
Arabia patria unguentorum. 344. Arabes teneri & molles dicti. ib. arabius odor. ib.
Arborum cultus admodum antiquus 198. vid. in voc. lucus. Arbores unctæ, 221. 405. Coronatæ & ornatæ 222. vittis circumvolutæ 223. arborum ſacrandi mos apud Druidas. 226
Ariſtarchus præſertim diligentiam adhibuit in Homeri textu emaculando & diſponendo. 304
Aſteriſcus, qualis nota Criticorum. 312 &c.

B.

Bætylia, quæ 388. Bætylus diverſis diis dedicatus 389. unde vox originem habeat. 391
Baleares, qui. 435
Βελόνη, quid. 449
Βιβλιογράφοι qui. 294
Bidental, quid. 195
Britanni cur cærulei dicti 469, cur picti dicti, unde dicti. ib. 470
Brunonis malus genius. 143
Bruti malus genius. 141

C.

Calamiſtrum 413
Calamiſtratorium, quid. 451. calamiſtrati habitis

ti in miniſterio olim. 455. 456
Cardamomum, quid. 364
Capſarii, qui olim. 412
Carmelus mons & Deus. 210
Caſia & Cinnamum diverſa. 372
Caſſii Parmenſis malus Genius. 142
Ceraunion, qualis nota Criticorum. 311
Ceroma, unguenti genus, & locus palæſtræ. 427
Ceruſsâ olim uſi Vett. 464
χ Litera, olim erat nota. 315. 317
χέειν quid & diſcrimen inter ἀλείφειν. 337. 338
χεῖσμα μεμαγευμένον. 438
Cinnamomus, avis nomen. 361. Cinnamomum verum hodie nobis incognitum. ibid. ejus durabilitas 362. Caſia & Cinnamum diverſa. 372
Cinerarii, qui olim. 413. 414
Collyricum jus, quod nam. 465
Color Myrteus 441. ὑπόκιῤῥ☉ 442
Coniſterium, locus ubi pulvis adſervabatur palæſtræ 429
Conlucatio vel collucatio, quid. 232
Conſecratio lucorum. vid. lucus
Conſtantii genius familiaris. 124
Coronatio arborum ſacrarum. 221
Coronæ olim in conviviis. Apium iis admixtum, cur 483. aviculæ iis alligatæ. 484
Crines amicæ fædare pro pæna olim habitum 442 uncti. 443. capillus rutilus commendatus à vett. 452. cinere rutilabant capillos ib.
Calvi capite olim ſe ungebant. 445
Cryphia qualis olim nota Criticorum. 316
Culpæ dictæ olim adnotata vitiorum in alienis ſcriptis 309

D.

Δάιμων, δαιμόνιον· origo harum vocum ex variis authoribus. 6, 7. &c. quas voces hebræas Græci Intt. Bibliorum reddiderunt per δαιμόνια. 9, 10. δαιμόνιον μεσημβρινόν. ib. Opinio Zabiorum de hircina dæmonum forma 11. cur diabolus in ea forma appareat, 12 Dii ipſi à Platone δαίμονες dicti 15. δαιμόνια non ſemper in Scr. Sacr. malos Spiritus ſignificant 16. ſors quædam Planetarum ſic vocata ab aſtrologis priſcis 17. de Dæmonibus inter ſe non conveniunt Platonici 60. definitio dæmonnm ex Apulejo. ib. Animal de Spiritibus apud Platonem & Ariſtotelem dicitur 61. dæmones Platonicis mediæ poteſtates inter Deos & homines ratione loci 62. iidem ſunt animalia animo paſſiva, & immortalia 63. Immortalitatis plures gradus facit Proclus, & medium tribuit dæmonibus 74. Dæmonum locus, juxta Platonicos, aër 87. & ſeqq. δαίμων ἕτερος genus malus dictus 140

Deculpata ſcripta, quænam 309

Deus. Deorum tres Species apud Platonem 48, 49 Plato cognovit Deum eſſe unum 49. Nomina Dei apud Platonem 50 Verus Deus an pie poſſit dici Jovis ſive Jupiter? 52. Juxta Platonem reliqui Dii à ſummo Deo producti ibid. is loquitur de Diis ſæpe ex ſententia vulgi 53. Dii Deæque olim varii culti in lucis. vid. lucus. Dii agricolæ, & ruricolæ. νόμιοι θεοί. 404

Diis Conſentibus peculiares luci adſignati 248. omnibus templis additæ olim porticus è ligno lucis, conſitæ 249. in ipſis templis circa aras quoque arbores plantatæ 250. omnes luci licet nullis certis

Diis

Diis ſacrati, tameu ſancta reverentia culti. 251
Diabolus ſimia Dei conatur imitari opera. 117
Diomedis genius. 129.
Dionis Caſſii genius. 132
Diſcerniculum, quid. 450
Divites olim unguentis perfundebantur. 433
δρομεῖς, quinam olim? 432

E.

Exceptores apud Vett. quinam 294

F.

Faunus, ſive Pan. vid. Pan.
Februarius ultimus anni menſis erat antiquis. 398
Fontes & amnes in lucis olim. 214 &c.
Fucandi faciem mos. 461.
Fulmine tacta antiqui ſacra habebant & fulgurita vocabant. 194
Fuſtibus cæſus pejerans per Genium Principum. 177

G.

Gammati Lapides, qui. 388
Genere olim dictum pro gignere. 5
Genius. Etymologia genii ex variis authoribus. 4, 5. 160. Genii Ethnicorum iidem, qui fidelium angeli. 9. Genius pro anima in corpore. 21. Anima cujuſque, Genius cujuſque ſingularis ibid. Genius pro anima defuncti 26. Romani & habuere genus Geniorum anguſtius, qui nunquam in corpore fuerunt, medii quaſi inter Deos & homines 27. Genius viris olim additus, ut Juno fæminis 28. Juno Natalis 29. Divites, ſuos genios, vocabant olim paraſiti. ibid. Differentia Laxis & genii; 31. Genius dictus

dictus Deus Natalis, Deus Naturæ, Pædagogus, Myſtagogus, Dei Filius, & Parens hominum, filius Jovis & terræ, Agdiſtes. 40, 41. Genius præſtes vocatus. 43. & Angelus. ibid. Genii, an pro Diis à gentilibus habiti. 48. Secundum Platonicos Genii non ſunt Dii, etſi à Platone quandoque Dii appellentur. 57, 58. Immortalitas Geniorum in dubium vocata. Exemplum Genii mortui. 75. Paſſibilitas dæmonum probata ex Platone, & Apuleio 78. ex Plutarcho. 80. 81. apud Genios virtutibus & vitiis locus. ibid. Genii juxta Platonicos corpore aërii. 82. Corpora inviſibilia iis tributa 84. de Geniis Deorum. Genius Jovialis 102. Genius Junonis, Genius Numinis fontis 103. Genius Plutonis 104. An genius Deorum ſit numen ab eſſentia Deorum diverſum 104, 105. genii Deorum quandoque Nominibus eorum vocabantur. 107. Genius hominum Generalis & ſpecialis 109. Genius populorum. 110. Genius Principum, Cæſarum, et Regum ex Numiſmat, & Inſcriptionib. illuſtrat. 110. 111 & ſeqq. Genius ille homini ſtatim ab ipſo nativitatis articulo adeſſe creditus. 114. Tyrius tantum probis tribuit genium 115. Origenes angelos cuſtodes ſolis baptizatis. ibid. Genius unius hominis metuit genium alterius 122. homines morti propinquos deſerit, poſt mortem aliis communicari poteſt 123. Genii familiares Socratis, Conſtantii, Pythagoræ, &c. 125 & ſeqq. cuilibet duo aſſignati Genii, bonus & malus 137. boni genii effigies 140 Genius malus, ſiniſter, ater, & δαίμων ἕτερος dictus 140. 141. Genius malus viſus omen mortis fuit. ib. Genius die natali quomodo cultus. 143. an victimâ cultus. 145. lectus genialis in nuptiis in honorem Genii ſtratus 148. Juramentum per genium Principis. 149. 159. &c. urbem obſeſſuri

ſeſſuri Romani, prius certo carmine Genios evocabant 161. Genius alius alio valentior. 162
Guttus, vas vinarium. 522
γεράφοντες εἰς χαλκόν. quid. 244

H.

Hecate ἐνοδία. 242
Hercules Sancus, euſque nomina. 39. 40. 240
Hircina dæmonum forma. vid. dæmon. Planetarum ſortes. inter eas δαίμων & Τύχη præcipuæ. 18
Hypolimniſcus, olim nota criticorum. 325
Hoſpites olim uncti. 434

I.

Iaraliptæ, qui olim. 11
Ignis ſacer ſuſpenſus ex arboribus ſacris in lucis. 222
Ilices vetuſtæ apud Romanos religioſe cultæ. 207
Indorum olea miranda. 346
Iuno Natalis. per eam mulieres, earumque amaſii, jurabant. 29
Iupiter unde. 158
Jusjurandum ſemper religioſe habitum 155. Fundamentum humanæ ſocietatis ib. ejus elogia 156. præcipue Romanis inviolabile habitum 157. in concipiendis & formandis juramentis varie fluctuarunt 158. Juramentum per genium Principis 149. 159. Chriſtianorum per ſalutem Cæſarum 150. Juramentum per genium principis olim quanti habitum 168. Chriſtiani ſe ab eo abſtinuerunt 169. pejerantium per Genium Principis pœna 171 &c. juramenta per ſalutem Principum, per caput ſuum, per caput filiorum, per ſalutem ſuam, per virginem

nem Mariam, per Michaëlem & Gabrielem. 179. 184. Jurandi modus virorum & fæminarum. 185 &c.

K.

Καρποβάλσαμον. 364
καταπλάσματα quæ. 466
Κριτικὴ prima & nobiliſſima grammaticæ pars. 283. illius officium. 284. quænam requirantur in Critico. 285. præcipui apud vett. Critici, & apud hodiernos. 286-289. olim per notas ſeu σημεῖα ſcribebant. pag. 291. duplicem in finem, ad obſcuritatem, & celeritatem, ibid. &c. hæ notæ, & ſcribendi compendia vocata Sigla. 295. quinam illas invenerint. 296; Notæ Criticorum quæ & quales fuerint. 298. σημειώσεις vocabantur. vocis illius etymon. 299. varietas notarum illarum infinita erat 300. 301. multi olim jam de iſtis ſcripſerunt. ibid. Celebratiſſima nota erat Obelus 302. &c. & Metobelus 307. & Obelus agnoſtigmenos. 309. & nota literæ φ. quid illa deſignarit. 310. & Ceraunion 311. & Aſteriſcus. 312. &c. & Antigraphus, Antiſigma, & Cryphià. 316. χ litera quoque olim præcipua criticorum erat nota. 317. ut & ☧ 318. & χχ 320. & Limniſcus 322. Hypolimniſcus. 324. ΩΡ nota qualis 326. & LL. 327. & Ancyra. 328

L.

Lapides informes colendi origo. 392
Lapides inungendi origo. ibid.

Lares,

Lares, animæ defunctorum, & quales juxta Platonicos. 31. 32. Cultus eorum origo. ibid. filii Mercurii, & Laræ. ibid. Lar notat principem, præſidem, præſtitem. 33. Lares Dii domorum. Lar domus, & Lar Familiaris. Lar Servorum. 34. 35. Lares vicorum. 36. Lares compitalitii & viales. 37. Lares urbium. Lares permarini. 40. Lares viales in lucis habitare crediti. 212. Lares familiares, urbani, hoſtilii. permarini &c. ibid. Lares varii. 402. 403

Librarii, qui olim? 259. 294. erant vel græci, vel latini. 270

Limniſcus olim nota Criticorum. 322

Lucernæ votivæ ſuſpenſæ ex arboribus in lucis ſacris. 222

Lucernas olim uncto linteo emungendi mos. 513

Lucus. Vocis Etymologia. 191. 196 lucus, nemus ſilva & ſaltus quomodo differant 193. circa omnia templa, divitum villas, & ſepulcra luci plantati & conſecrati 194. luci primus deorum cultus 197. 198. denſitas & obſcuritas in lucis obſervata 199. Diverſa arborum genera in lucis olim 201. 202 inter illas quoque frugiferæ fuere 203. omnes illæ arbores luci, & totus lucus ſacra & inviolabilia, & violatores eorum graviſſime puniti. 203. vetuſtate præcellentibus arboribus major veneratio ineſſe credita quam junioribus ibid. Ratio 205. quercus præ aliis arboribus religioſe culta vid. quercus & ilex. vid. Ilex. Præſertim illæ arbores præ reliquis veneratæ, quæ illi Deo vel Deæ, cui lucus dedicatus erat, ſanctæ et propriæ erant 207. in plantandis lucis obſervata loca editiora 208. antra & ſpeluncæ in lucis amata ut eorum umbra horridior redderetur 211. fontes et amnes quoque 214 etc. Conſecratio et dedicatio prius requirebatur, antequam ſacri Nemoris vel Luci nomen mereretur. 217, 218. Ritus ad conſecrationes adhibiti, erant pre-

preces et Sacrificia. 218, 219. precibus conceptis, ex omnibus arboribus una eligebatur, illi Deo, cui lucus dedicandus eſſet, propria, ſub qua ſimulacrum Dei collocabatur, et ad quam aræ ponebantur. 220, 221. illæ arbores ungebantur 221. coronabantur et ornabantur 222. Sacrum ignem et Lucernas votivas ex iis ſuſpendebant ib. Vittis et tæniis circumvolvebant 223. Titulos et tabellas votivas ſuſpendebant. ib. his votivis tabellis diræ et imprecationes additæ 224. Aræ ponebantur 226. Statuæ quoque et Simulachra. 227. inprimis Deorum coram quibus omnis Religio exercebatur. ib. quomodo luci poſſent violari à quoquam 229. pœnæ violatorum 231. etc. nonnunquam tamen impune ſuccidebantur tales luci, piaculo prius facto, et precibus præmiſſis 232. Singulis locis certi Dii Deæve præficiebantur 233 etc. lares viales in lucis habitare crediti. 242. non tantum Diis, ſed ipſis hominibus defunctis luci poſiti. 244 ad ſepulcra ideo luci plantati. ibid. animas defunctorum in arboribus lucorum vivere, et violatis arboribus defunctos violari, creditum olim 245. impietatis arguebatur, qui lucum conſecratum in villa ſua non habebat. ibid.

Lupercal. 211

Luto oblinere vultum, ſignum maximi luctus apud Ægyptios. 477

Lycurgi congreſſus cum Apolline. 128

M.

Magæ olim inunctæ. 436

Malobathrum Syrium. 351

Maltha tabellæ judicum perlinebantur. 515

Mania dea larum. ejus cultus. 32. 33

Mars Sylvanus olim cultus. 239.

Men-

Menſam ſolebant in Ægypto ponere ultimo anni die variis epulis refertam, & poculum mulſo mixtum, & ita auſpicari fertilitatem anni. 20. Judæi & menſæ liba fundebant. 16.
Mercurius dictus, ὅδιος, ἐνόδιος, ἡγεμόνιος, τετράγωνος ejus ſtatuæ hermæ. 37. ejus columna Irmenſaul. 38. 242.
Metobelus, qualis nota Criticorum, & quomodo picta. 307. &c. eandem vim habuit cum litera ρ vid. ibid.
Minerva Achillis & Diomedis Genius 129.
Μίνησις. quæ. 293.
Minoïs congreſſus cùm Jove. 128.
Montes prima loca ad cultum fuere 197. 208. diverſa templa in iis ædificata. 209. cavi montes arboribus tecti domicilia Heroum crediti 210. montes pro ipſis Numinibus habiti. ib.
Mumia. 495.
Mundi anima genius univerſalis. mundus Philoſophis priſcis animal rationale ejus partes ſeu membra. anima mundi Deus, imo ipſe mundus Deus. 22, 23, 24. & ſeqq.
Μύρον, incognitum Græcis antiquioribus. 338. Myrrhodinum oleum 348 Myrobrecharii qui. 417.
Myrrhinum unguentum. Myrrha Orontea, Achaica 355.

N.

Nardinum oleum varium. 350. Nardus Achæmenia 16. Coſtum Achemænicum. 354. Tyrius Nardus ib. unguenti Nardini confectio & præſtantia. 352.
Natali die an victima mactata. 145. 146.
Nemus, lucus, ſylva & ſaltus quomodo differant 193.
Νόμιοι θεοί. 404.

Notarii, quinam olim. 260. &c. 291. 292. 294
Notæ vett. Criticorum vid. voc. κριτική. notæ Cenſoriæ, quæ. & notam adſcribere quid. vid. pag. 297. notæ iſtæ potiſſ. triplices erant. ibid. &c.
Nudi an fuerint athletæ olim. 432
Numæ Genius 127. de eo opinio ex ejus congreſſu cum Egeria orta. ib. Cœnal àʹgenio ejus apparata. ibid.
Nympharum ætas longiſſime ſe extendere credita à gentilibus. 204. Nymphæ variæ apud vett. 239. arborum. 240, 241

O.

Obelus, qualis nota, 302. vocata quoque δορύ. & ῥάϐδος. 303. Obelus agnoſtigmenos. qualis nota. 309
Oleo ſimplici olim utebantur, admixto odore ex fructibus præſertim roſæ. unde Roſaceum 338. diſcrimen inter olea & unguenta 343. oleum pro unguento. ib.
Onyx, marmor, & gemma. 517. conchilii genus ib.
ΩΡ qualis olim nota Criticorum. 326
Opobalſamum. 363
Ornatores Glabrarii. vel Galearii, qui olim. 418
Ornatrices ancillæ olim, quæ. 415

P.

Palæſtræ cur λιπαρὰι dictæ. 425. palæſtritæ. 426 cur uncti. 427. 428
Pales quis olim fuerit. 103
Pan Paſtorum & ruſticorum Deus; 234. primus dicitur lucos ſacraſſe &c. illius oraculum, & mors. 235. ingens numerus Panium ibid.
Paraſitorum Genii, divites. 29

Παρε-

Πάρεδροι Genii. 125
Φ Litera, olim erat nota, quæ & qualis. 310
Pila Mattiaca. 455
Picatrices, quæ. 418
Plecuſæ, Plecæ, quæ olim. 418
Pocillatores ſervi olim, qui. 479
Poëtæ olim fæce perunꝉi. 475
Pollinꝉores, pollingere. 419
Preces adhibitæ ad conſecrationem Lucorum. 218
Principibus divina quædam virtus ineſſe credita 163
Dii vocati. 169. vis morbos ſanandi, iis inſita 165 &c.
Procli Genius. 131
ψέκας. ψεκάζειν. 417
Pythagoræ Genius familiaris. 125. multa miranda, vel potius fabulæ de eo narrata. 126

Q.

QUercus religioſe præ aliis arboribus culta, 206 quercus Dodonea. ibid. arbores circa ſepulcra, & Templa; hodieque plantandi ritus unde. 246. in ipſis templis circa aras arbores plantatæ. 250

R.

ROris nomen unguentis olin datum. 345
Roſaceum oleum, quid. 338
Rubricâ olim vett. utebantur. 465

S.

SAcrificia adhibita ad conſecrationem lucorum. 219

Saltus, ſylva, lucus & nemus, quomodo differant. 193
Sandalia. 514
Sandyx. 464
Satyri, ſylveſtria numina, qui, 235, 236
Scipionis Genius. 129
Scriba. vocis Etymologia. 255. 256. Scribæ olim erant publici, vel privati 258. diverſa nomina pro diverſitate officiorum, habebant. ibid. vel librarii, vel antiquarii 259. vel Græci, vel Latini 260 privati hi Scribæ & Notarii dicebantur. ibid. actores Servi, quinam 262 &c. Officium Scribarum, quodnam 264. Conditio eorum vilis 265. Publici Scribæ quinam fuerint, 266. & ſeqq. Nomina Scribarum varia olim: Scribæ Pontificum, Ducales, Imperatorii, Conſulum &c. Prætoriani. 269. in multas decurias olim tranſlati 270 &c. Officia ſcribarum publicorum 273. & ſeqq. munus eorum apud Græcos honorificentius, quam apud Romanos 275. Scriba Navalis omnium viliſſimus 276. Ordo tamen Scribarum publicorum erat honeſtus. 277
Scriptum facere, quid. 257
Scribendi ratio apud antiquos varia 291. vid. & in voce Κελτική. Notarii. Exceptores 293. ταχυγράφοι, Βιβλιογράφοι. 294
σχόλιον. quid. 292
Sepulcrum. ad ſepulcra luci plantati. 244. opulentiores in villis ſuis et prædiis ſepulti, 245
Sertorii cerva alba pro genio vendit[a]ta 132
Servus furcifer Ludis Circenſibus per circum traductus. 105, 136
Σημειώσεις, quæ. 299
Sigla, quæ. 295. Siglarii. 296
Sileni, qui. 237

Σμηγ

Σμήγματα, quæ. 466
Socratis Genius familiaris. 124. ejus bonus Genius 139
Speluncæ in lucis. vid. antrum.
Spiritus familiares noſtro ſæculo uſitati. 133
Spuma Cattica. 455
Στακτή, quid. 355
Statuæ et ſimulacra poſita in lucis ſacris. 227. unctæ olim 381. ſtatuis dedicatis nomina titulique inſcripti. 385, ſtatuarum origo. Statuæ Dii nuncupatæ. 386
Statuæ impolitæ. 388
Stibio olim uſi vett. 468
Strigiles qui. 489. Strigilum origo. ib. figura. 492
Sylva, nemus, lucus, et ſaltus quomodo differant. 193
Sylvanus Deus, quis. 238
Syrium unguentum. 351. Syrium Malobathrum. ib.

T.

Tabellæ votivæ ex arboribus ſacris ſuſpenſæ in lucis. 223. diræ et imprecationes illis additæ. 224
Tabelliones, et tabularii, quinam olim fuerint. 257
Ταχυγράφοι qui. 294
Telemachi dæmon. 129
Templum nullum ferme apud vett, ſine luco erat imo et in ipſis templis circa aras plantatæ arbores. 250
Termini, cippi dicti. 386. ungebantur olim. ib. Termini Dii, colebantur ſub figura Stipitis vel ſaxi. ib. termini ubi ſiti. 392. quibus ritibus uncti termini. 394. à Viatoribus præſertim culti termini 365. termini agrorum præſides 396. primitiæ fructuum iis oblatæ. 398. terminalia feſta. ib. terminum intra tectum conſiſtere, nefas. 399. agna terminis ſacrificata

cata ib. et puls et libum. 403. Terminos loco movere impium; muris circumſepiebantur. Certum agri Spatium iis datum. ibid. cur? 401. termini lares viales, 402
Thapſus. 458
Θῆτα qualis nota olim. 308. Literæ illius ſignificatio. ibid.
Trajani bonus Genius. 139
Trinitatis myſterium juxta quoſdam à Platonicis agnitum. 54, 55. unde hoc hauſerit. ib.
Τύχη præcipua inter ſortes Planetarum, Lunæ attributa, dicta & κλῆρ☉ τῆς τύχης, & ἀγαθὴ τύχη. 18. 19.

V.

Vaſculis unguentariis olim potabant. 446
Verbenaca, quæ. 438
Veſpaſianus cæcis viſum reſtituit, & manu ſanavit ægrum. 118. 165
Veſpillones. 422
Violatio lucorum ſacrorum. vid. lucus.
Vinum Nardinum. 447. vino olim mixta unguenta. ibid.
Virgula Cenſoria, unde. 303
Ungere. Etymologia Vocis. 336, 337. origo unguenti. ib. unguentorum uſus antiquiſſimus. 339 &c. unctum, luculentum. 341. & unctus, lautus, ib. & unguentatus pro molli. ib. unguenta ſtricte dicta. 342. diſcrimen inter olea & unguenta 343. oleum pro unguento. ibid. Arabia patria unguentorum 344. Indorum olea miranda. 346. oleum Myrorhodinum. 348. Ægyptiorum unguenta contra culices. 349. oleum Nardinum 350. Varium. 351.

Cyprinum 354. Baccarinum, Crocinum, Gleucinum. ib. Myrrhinum. 355. Foliatum. Amaracinum. Sampſucum. 357. Cinnamominum. 358. Balſaminum. 362. Ambroſiæ. Narcilſinum. 365. Irinum. Ænanthinum. Roſaceum, Acanthinum, Ωμοτελὲς. Omphacinum. Megalinum. 366. Telinum. 367. Sambucinum. unguentum Veneris 368. Balaninum. 369. oleum Regium 370. Jasminum. Caſia. 371. Ladanum 278, 374. Siſymbrium. ibid. mos ungendi in conſecrationibus 377 &c. ungere qui debebant, erant pontifices, ſeu eorum collegium. 379. Statuæ unctæ. 381. per unctionem lapides Dii fieri crediti 383. Termini & cippi uncti. 386. etc. origo moris lapides inungendi 391. cur Homerum unctum et lana coronatum è Rep. ſua deduci cenſuerit Plato. 393. quibus ritibus uncti termini. 394. arbores unctæ 221. 405. Aliptæ apud vett. qui. varia eorum officia. 410 etc. nomina et officia eorum, qui mortuos ungebant. 419 Virgines ungebantur oleo ſimplici. 423. myrrha et Stacte, non unguento. 424. Palæſtritæ uncti. 426, 427. cur. 428. ungebantur et divites 433. et hoſpites. 434. et magæ. 436. ſingulis membris ſua unguenta accommodata. 440. crines uncti. 443. Senes olim uncti. 444. unguenta olim vino mixta. 447. et cibis. ibid. unguenta Veneri propria. 448. Fæce olim peruncti Poëtæ. 474. pedes quandoque ungebant viatores. 475. in nuptiis ungebantur. ib. in lætitia. 476. in calamitatibus vulgaribus pulvere crines collinebant. 477. diebus feſtis ungebantur. 478. et in compotationibus. ib. ante epulas 480. et inter epulas 481. in Balneis uncti 485. unctorium quodnam. ib. unctiones ſiccæ quæ. 486. Cadavera uncta. 493. oſſa mortuorum uncta & cineres, 495. etc. unguenta in rogos conjecta. 497. Ægypti-

gyptiorum mos in ungendis mortuis. 499. Æthiopum mortuos condiendi mos. 500. poſtes ædium inungendi mos. 512 maltha tabellæ judicum perlinebantur. 515. Cedro perungebantur libri. ibid. Vaſa unguentaria. 517 etc.
Uſtores. 422

X.

ξηραλοιφεῖν quid. 486
ξυλοβάλσαμον. 364

Z.

ZEnus apud Jndos. 136
Zaleuci congreſſus cum Minerva. 128

F I N I S.

VITTORIO EMANUELE
ROMA

Errata emendanda.

Pag:		Linea			lege
8	-	5	ὖν	-	ὗν
8	-	17	dieuntur	-	dicuntur
11	-	16	שעידים	-	שעירים
16	-	12	Plutachus	-	Plutarchus.
16	-	20	δοκεῖ	-	δοκεῖ
19	-	30	טבי	-	טני
20	-	1	טבי	-	טני
23	-	11	ἀφησὶ	-	ἅ φησι
316	-	11	pucto	-	puncto
356	-	3	etam	-	etiam

Cæterum monendus lector, quod in quibusdam vocibus Græcis Spiritus aſper pro levi & Accentus acutus pro gravi & viceverſa ſit poſitus.

MAG 2020000

Digitized by Google

Digitized by Google